


ACCADEMIA DI MEDICINA
DI
TORINO

Ex Libris Nicolai De Cassinis
Philosophię et Medicinę Doctoris
Augustę Taurinorum
Uniuersitatis

JOH. JACOBI WALDSCHMIDT

Medic. Doctor. &c.

OPERUM MEDICO-PRACTICORUM.

TOMUS SECUNDUS

Exhibens

Disputationes ejusdem Medicas varii argumenti

CUM

Decade epistolarum de rebus Medicis, & Philosophicis, nec non de Morbis Mulierum,

PHILIPPI FRAUNDORFFER

Opusculo adjecto.

INDEX

Disputationum Medicarum.

Disput. 1. *Medicus Cartesianus detegens aliquot in Medicina errores, hactenus ex ignorantia philosophiae commissos, pag. 1.*
Disput. 2. *Chirurgus Cartesianus detegens aliquot in Chirurgia errores, hactenus ex ignorantia philosophiae commissos, 7.*
Disput. 3. *Astrologus Medicus, catarrhorum Theoria, & praxi astrorum vim, & influxum in microcosmum paucis thesibus exhibens, 17.*
Disput. 4. *de Morbis aulicis, 28.*
Disput. 5. *disquisitio Medica de haemorrhagia narium, 37.*
Disput. 6. *de chylo, & sanguine, 40.*
7. *dissert. Medic. de pernionibus, 49.*
8. *de Chylificatione, 54.*
9. *de Sanguificatione quae fit in hepate, 62.*
10. *de Venenis pestilentialibus, ut & alexipharmacorum natura, & in corpus humanum agendi modo ex verae philosophiae principiis perspicue demonstrato, multisque experimentis suffulto, 68.*
11. *Theriacae Greiffianae coelestis dictae vires in calculo, podagra, epilepsia, apoplexia aliisque innumeris affectibus, 76.*
12. *de Cura lactis, podagricorum solatio, & certo podagrae remedio. 82.*
13. *Scrutinium pestis, 92.*
14. *de Mania, 102.*
15. *de Stupendo affectu catalepsi, 108*
16. *de Epilepsia, 113.*
17. *Consilium diaeteticon rationale pro haemoptoico, 122.*
18. *Monita medica circa opii & opiatorum usum, 125.*
19. *Theses Medicae sanitatis studiosorum methodum exhibentes, 132.*
20. *de Ventriculi, & intestinorum morbis, 139.*

CAPUT PRIMUM
Continens morbos ventriculi.

Art. 1. *de Cruditatibus, ibid.*
2. *de Anorexia, 141.*
3. *de Fame canina, 142.*
4. *de Pica & Malacia, 143.*
5. *de Nausea & vomitu. 144.*
6. *de Singultu. 145.*
7. *de Soda & cardialgia. 146.*
8. *de Cholera. ibid.*
9. *de Siti nimia. 147.*

CAPUT SECUNDUM
Continens intestinorum morbos.

Art. I. *De lienteria & coeliaca. 148.*
2. *de diarrhoea. ibid.*
3. *de dysenteria. 149.*
4. *de Colica. 151.*
5. *de Iliaca passione. 152.*
6. *de lumbricis intestinalibus. 153.*
7. *de Hæmorrhoidum affectibus. 154.*
Disput. 21. *de ebrietate & insolentibus aliquot ipsius affectibus. 155.*
22. *de Phthisi. 162.*
23. *de dysenteria maligna. 170.*
Cap. I. *Proponit morbi definit. ibid.*
2. *subiectum explanat. ibid.*
3. *Agit de caussa proxima, & remota. ibid.*
4. *differentia. 173.*
5. *In diagnosin deducit. ibid.*
6. *Prognosin instituit. 174.*
7. *Curationem docet. ibid.*
8. *Diaetam praescribit. 176.*
ult. de curatione prophylactica. 174.
sequuntur observationes practicae. ibid
Disput. 24. *de Colica. 179.*
25. *de hydrope. 187.*
26. *de calculo renum. 197.*
27. *de usu lienis. 202.*

28.

28. de glandulae pinealis statu naturali, & praeter naturali. 205.
29. de generatione hominis in ovo. 213.
30. de caussa partus monstrosi; hac occasione de monstrorum humanorum caussis in genere. 219.
31. de colore Aethiopum. 233.
32. sequuntur Collegii practici disputationes tredecim.
1. de febribus in genere. 240.
2. in specie. 241.
3. intermittentibus. 243.
4. de synocha putrida, causone, tertiana continua, aliisque febribus continuis putridis. 245.
5. De febribus malignis, peste, variolis, & morbillis. 246.
6. De capitis affectibus. 251.
7. De Apoplexia. 252.
8. De incubo, vertigine, & epilepsia. 254.
9. De Paralysi. 255.
10. De Phrenitide, Melancholia, Mania, & Hydrophobia. 257.
12. De Angina & Pleuritide. 261.
12. De Phthisi, & Empyemate. 264.
13. De reliquis thoracis morbis.
Cap. I. De Haemoptysi. 268.
2. De Tussi.
3. De Asthmate, & difficili respiratione. 270.
4. De Palpitatione cordis, & syncope 271.
Disput. 33. dissert. chymic. de auro. 272.
34. De argento & cupro. 279.
35. De Potu Theae. 285.
36. De Acidulis. 294.
37. De acidularum usu earundemque vero operandi modo.
Cap. I. Exhibens statum machinae naturalem, & praeternatur. 298.
Cap. 2. Inquirit acidularum operationem. 301.
3. Persequitur morbis, qui legitima acidularum administratione tolli posse videntur. 304.
4. Usus fontium acidor. 310.
Disput. 38. De febri maligna, definitionem, subiectum, caussam, signa, prognostica, curationem, & diaetam exhibens. 319. 330.
Disput. 39. De Scorbuto. 331.
40. Exhibens casum adolescentis laborantis scorbuto. 342.
41. De Paralysi. 350.
Disput. 42. Diatriba inauguralis.
De purgantium de foro Medico proscriptione. 356.
Epist. 1. Ioh. Iacob. Waldschimidt ad D. Ioh. Dolaeum. 368.
Epist. 1. Ioh. Dolaei ad D. Ioh. Iacob. Waldschimidt. 375.
2. Ioh. Iacob. waldschimidt. ad eundem Dolaeum. 384.
2. Ioh. Dolaei. 391.
3. Ioh. Iacob. Waldschimidt ad eundem. 404.
Monita medica de morbis Puerperarum. 414.
4. Ioh. Iacob. Waldschimidt ad eundem Auct. 416.
5. Ioh. Iacob. Waldschmidt ad eundem Auct. 429.
Epist. 3. Ioh. Dolaei ad Ioh. Iacob. Waldschmidt. 436.
4. Ioh. Dolaei ad hunc Auctor. 446.
Tractatus de Morbis Muiierum Philippi Fraundorffer. 457.

JOH.

JOHANNES DOLAEUS
Lectori Benevolo
SALUTEM DICIT PERENNEM

EN *TIBI* Lector Erudite Celeberrimi nostri Waldschmidii *τοῦ Μακαρίτου Praxin Medicinae Rationalis, una cum Monitis ejus Medico-Practicis,* ut & Notis ad *Barbette* , aeque ac ad Guldenklee Praxin & Chirurgiam.

Autorem horum opusculorum vobis velle commendáre, qui in Athenaeo Marburgensi non duntaxat Professoriam Dignitatem tanto omnium bonorum applausu nuper tuitus , sed & officio Archiatri Serenissimi ac Potentissimi nostri Hassiae Principis optime defunctus est, foret post Homerum Iliada describere.

Quis enim qualisque fuerit Waldschmidius noster, post viri desideratissimi exequias facundo ore depinxit *Cl. Zaunschliffer us*, illius Academiae Professor Juris Celeberrimus. Quanto enim studio, quanto judicii acumine, Autor noster, dum viveret, omnia sua opera elaboraverit, ac conscripserit, multa prostant testimonia, inter quae tanquã inter ignes luna minores micant Institutiones ipsius nuper editae, una cũ Epistolis ad me datis, ac plurimis aliis elaboratis & limato judicio conscriptis Disputationibus.

In primo hoc Tractatu fere omnium morborum historias per casus tradit, additque eorum definitiones, caussas, diagnoses, ac prognoses, curasque in quibus methodum medendi observat accuratam, depromitque medicamenta experientia viginti annorum comprobata. Quam praxin monitis medico-practicis per plurimos morbos illustrat , additque notas egregias ad praxin & Chirurgiam Barbette, ut & Casus practicos Guldenklee, dum viverent celeberrimorum Medicorum.

Nac Noster in omnibus suis Scriptis prolixas obscurasque descriptiones evitando, claras ac succinctas substituit , Lectorum attentionem sine imaginationis confusione ut sibi conciliaret.

Dies mihi deficeret, si acumen judicii ac sapientiam hujus Medici ac Philosophi in rebus ipsis inveniendis; si verborum vim ac notiones ad res ipsas exprimendas, imprimis in Praxi Medica experientiam , ac succinctam medendi methodum , una cum Medicamentorum optimorum formulis velim aperire. Quid multis? Waldschmidius magnis Philosophis Medicisque merito est comparandus , & plurimis certo anteponendus.

Mon ita ipsius Medica instar Hippocratis Aphorismorum observanda sunt. Medicinae ergo Candidati, qui Medicinae Practicae & Chirurgi-

cae operam navare in animum induxerunt, non meliorem Ducem elegerint nostro Waldschmidio, cujus auspiciis ad intima Praxeos penetralia pervenire dabitur. Methodus, quia ex ipsis rationis & experientiae immobilibus fundamentis, & quasi omnium consensu stabilita ac deprompta est, neque emendationem, aut reprehensionem patitur. Pluribus his tecum ageremus Erudite Lector, verum vino vendibili non opus est haedera suspensa, quum praesertim Autor abunde se commendet ac tueatur. Non enim jam multa praefari lubet de ipsius Authoris meritis; pluribus ita clarus existit Scriptis, ut publicis adulationibus non indigeat. Suffecerit ordinem, quem in Scriptis tenet, explicasse. Nihil enim amplius in ipsius laudem & elogium adjiciendum existimamus, ne lucem Soli foenerari videremur. In ipsis Opusculis miraberis sat scio Viri singularem perspicacitatem & judicii acumen, quibus reddidit facilem ad Praxin Medicam aditum, omnia ad mentem Cartesii magni illius Philosophi deduxit, cujus Philosophiae propugnator fuit acerrimus. Certi ergo sumus nos rem gratam praestituros Tyronibus, ac intelligibilis Philosophiae, & purioris Medicinae Candidatis, quorum emolumenta quaesivi, nec aliorum cavillationes curavi. Vale Lector Amice, atque magni hujus Viri laboribus ex animo fruere.

INDEX

INDEX CAPITUM
Et Casuum Medicinalium.

LIBER PRIMUS,
Institutionum Medicinae rationalis.

Cap. I. *De ortu Medicinae, ejusque objecto & fine.* pag. 1.
2. *De elementis.* 4.
3. *De chylo & sanguine.* 6.
4. *De spiritibus.* 11.
5. *De partibus corporis humani.* 14.
6. *De temperamentis & nutritione.* ibid.
7. *De sanitate.* 17.

LIBER II.
Sive Pars Pathologica.

Cap. I. *De morbis.* 18.
2. *De accidentalibus morborum differentiis.* 19.
3. *De temporibus morborum.* 20.
4. *De caussis morborum.* ibid.
5. *De Aëre.* 21.
6. *De Cibo & potu.* ibid.
7. *De Somno & vigiliis.* 22.
8. *De Motu & quiete.* ibid.
9. *De Excretis & retentis.* ibid.
10. *De passionibus animi.* 23.
11. *De Plethora, cacochymia & turbata mistione sanguinis.* 24.
12. *De Flatibus, lumbricis, & calculo.* 25.
13. *De Caussis morborum intemperiei, conformationis, compositionis, et solutae unitatis.* 26.
14. *De Symptomatibus.* 29.

LIBER III.
Sive Semiotica.

Cap. I. *De Signis in genere.* 39.
2. *De Signis in specie, quae ex urina desumuntur.* 40.
3. *De Signis, quae ex pulsu desumuntur.* 42.
4. *Continens signa, quae Plethoram, Cacochymiam, turbatam sanguinis mistionem, et cruditatem tum acidam, tum nidorosam indicant.* 43.
5. *De Signis prognosticis generalibus.* 44.
6. *De Signis prognosticis specialibus.* 45.
7. *De Signis prognosticis ab excretis et retentis sumendis.* 47.
8. *De Signis prognosticis in specie, quae ex qualitatum corporis mutatione petuntur.* 48.
9. *de Crisi, et diebus criticis.* 49.

LIBER IV.
Sive Hygiena.

Cap. I. *De Sanitatis conservatione in genere.* 52.
2. *De Sanitatis conservatione in specie.* 53.
3. *De Diaeta gravidarum.* 54.
4. *De Regimine puerperarum.* 55.
5. *De Diaeta a prima infantia usque ad mediam aetatem observanda.* ibid.
6. *De Mediae, et decrepitae aetatis diaeta.* 56.
7. *De Cibis ex regno vegetabili sumendis.* 57.
8. *De Cibis ex regno animali desumendis.* 59.
9. *De Potu.* ibid.

LIBER V.
Sive Therapeutica.

Cap. I. *De Methodo medendi.* 61.
2. *De indicante et indicato.* 62.
3. *De indicatione curatoria morbos intemperiei respiciente.* 63.
4. *De indicatione curatoria quatenus morbos turbatae mistionis sanguinis respicit.* 65.
5. *De curatione morborum compositio-*

tionis, conformationis, & solutae unitatis. ibid.
6. *De indicatione praeservatoria usum venae-sectionis commendante.* 68.
7. *De Repulsione.* 71.
8. *De Intercipientibus.* 73.
9. *De humorum restagnantium discussione, emollitione, et suppuratione.* 73.
10. *De tollenda Cacochymia per vomitum.* ibid.
11. De *Eccoproticis, et lenientibus.* 75.
12. *De* Humorum *praeparatione.* 76.
13. *De Actu purgatorio et purgantibus.* 77.
14. *De Evacuatione per urinam.* 83.
15. *De Evacuatione per sudorem.* 84.
16. *De turbata anguinis mistionis restitutione.* 85.
17. *De particularibus evacuationibus.* 86.
18. *De Indicatione symptomatis urgentis, horumque curatione.* 87.
19. *De Indicatione vitali.* 88.
20. *De Medicamentis eorundemque facultatibus.* ibid.
21. De *Operationibus pharmaceuticis.* 91.
22. *De Instrumentis et furnis.* 93.
23. *De Medicamentorum compositione, et distributione.* ibid.
24. *De Formulis.* 94.

C A S U S.

1. Cephalalgia. 96.
2. *Hemicrania,* 97.
3. *Epilepsia.* 99.
4. *Apoplexia.* 100.
5. *Paralysis.* 102.
6. *Vertigo cum consumtione totius.* 103.
7. *Mania.* 105.
8. *Phrenitis.* 106.
9. *Ophthalmia.* ibid.
10. *Suffusio.* 107.
11. *Catarrhus ad nares.* 108.
12. *Auditus difficultas.* 109.
13. *Tinnitus aurium.* ibid.
14. *Dentium dolor.* 110.
15. *Angina.* 111.
16. *Orthopnoea.* 112.
17. *Asthma stomachale.* ibid.
18. *Pleuritis.* 113.
19. *Peripneumonia.* 114.
20. *Phthisis.* ibid.
21. Haemophthisis. 115.
22. *Palpitatio cordis.* 116.
23. *Tussis stomachalis.* 117.
24. *Cruditas acida.* 118.
25. *Cruditas nidorosa.* 119.
26. *Vomitus cruentus.* 120.
27. *Cholera.* ibid.
28. *Colica biliosa.* 121.
29. *Colica pituitosa ex febre male curata.* 122.
30. Hernia *& passio iliaca.* 123.
31. *Catarrhus intestinalis.* 124.
32. *Dysenteria.* 125.
33. *Lienteria, & coeliaca,* 126.
34. Haemorrhois coeca. 127.
35. *Affectio hypochondriaca,* 128.
36. *Obstructio hepatis.* 130.
37. *Ascites.* 131.
38. *Icterus.* 133.
39. *Scorbutus.* ibid.
40. *Scorbutus confirmatus.* 135.
41. *Mictio cruenta.* 136.
42. *Atrophia scorbutica.* 137.
43. *Calculus renum.* 138.
44. *Dolor nephriticus.* 140.
45. *Urinae suppressio.* ibid.
46. *Mensium paucitas.* 142.
47. *Mensium suppressio.* 143.
48. *Mensium difficultas.* 146.
49. *Fluxus mensium nimius.* ibid.
50. Fluor albus. 148.
51. *Passio hysterica.* 149.
52. *Symptomata in praegnante.* 150.
53. *Partus difficilis.* 151.
54. *Secundinarum retentio.* 152.
55. *Dolor haemorroidum.* 253.
56. *Urinae incontinentia.* ibid.
57. *Defectus lactis,* 254.
58. *Ephemera.* ibid.
59. *Tertiana intermittens.* 255.
60. Febris quotidiana 257.
61. *Tertiana notha.* ibid.
62. *Tertiana lenta.* 258.
63. Quotidiana intermittens. 259.
64. *Quartana intermittens.* 260.
65. *Synocha cum paralytica affectione*

ne. 261.

66. *Synocha putrida cum arthritide vaga.* ibid.

67 *Continua cum somnolentia.* 262.

68. *Ardens.* 263.

69. *Continua cum ictero.* 264.

70. *Continua cum tussi.* ibid.

71. *Hungarica.* 265.

72. *Petechialis* 267.

73. *Hectica.* ibid.

74. *Inflammatoria puerperarum.* 268.

75. *Tormina alvi, vel colica infantilis.* 270.

76. *Dentitio difficilis.* 271.

77. *Tussis stomachalis.* ibid.

78. *Alvi fluxus.* 272.

79 *Variolae.* ibid.

80 *Vermes sive lumbrici.* 274.

81. *Scabies humida.* 275.

82. *Metus abortus.* 277.

83. *Gangraena.* ibid.

84. *Gonorrhoea cum suspicione luis venereae.* 279.

MONITA MEDICA.

De Morbis chronicis. 280.

Notae in Praxin Barbettianam. 305.

LIBER PRIMUS

De capitis affectibus.

Cap. I. *De Epilepsia.* 306.

2. *De Apoplexia.* 312.

3. *De Paralysi, caro, comate vigili, & somnolento, catalepsi, incubo, lethargo, &c. opisthotono, emprosthotono, tetano.* 314.

4. *De Lethargo.* 316.

5. *De Catarrhis.* 317.

LIBER II.

De Affectibus colli.

Cap. I. *De Angina.* 319.

2. *De Scrophulis.* 323.

3. *De Aneurismate.* 325.

LIBER III.

De Affectibus thoracis.

Cap. I. *De Pleuritide.* 326.

2. *De Phthisi.* 329.

3. *De Febribus.* 334.

LIBER IV.

De Affectibus imi ventris.

Cap. I. *De nimia ciborum appetentia.* 344

2. *De Vomitu.* 346.

3. *De Scorbuto.* 350.

4. *De Hydrope.* 353.

5. *De Dysenteria.* 355.

6. *De Fluxu hepatico.* 360.

7. *De Ileo.* 360.

8. *De Dolore nephritico.* 362.

9. *De Uteri suffocatione.* 365.

10. *De Hernia uterina.* 367.

11. *De Mensium suppressione.* 367.

12. *De Partu difficili.* 370.

13. *De Nimio mensium fluxu.* 371.

NOTAE IN CHIRURGIAM BARBETTAE.

De Vulneribus. 372.

De Ulceribus. 388.

De Tumoribus. 392.

Collegium Medicum practicum ad casus medicinales Timaei.

LIBER PRIMUS

De Affectibus capitis.

Cas. I. *De Cephalalgia biliosa.* 397.

2. *pituitosa.* 403.

3. *De Cephalea scorbutica.* 405.

4. *De Hemicrania.* 408.

5. *De Dolore capitis ab ebrietate.* 409

6. *De Phrenitide.* 410.

7. *De Delirio scorbutico.* 414.

8. *De Mania.* 415.

9. *De Caro* 418.

10. *De Vertigine per consensum ventriculi.* 421.

11. *De Memoriae imminutione.* 428.

12. *De Epilepsia ab utero.* 424.

13. *De Apoplexia.* 425.

14. *De Paralysi.* 430.

15. *De Melancholia hypochondriaca incipiente cum scorbuto.* 432.

16. *De Incubo.* 438.

17. *De Catarrho.* 440.

18. *De Catarrho suffocativo.* 445

19. *De Tumore palpebrarum.* 446.

20. *De Coecitate ex verruca oculi male curata.* 447.

21. *De Palpebrarum paralysi.* 449.

22. *De rubedine oculorum, lachrymis, & videndi imbecillitate.* 449.

23. *De Visus diminutione subito exorta.* 451.

24. *De Visu debili ad remota.* 452.

25. De

25 De cataracta, seu suffusione vera. 453.
26 De suffusione spuria. 455.
27 De coecitate ex ulcere pedis rheumatico intempestive occluso. 456.
28 De coecitate ex veneficio. 457.
29 De Aurium tinnitu. 457.
30 De difficultate auditus. 459.
31 De surditate diffinitus curata. 460.
32 De Narium haemorrhagia immoderata. 461.
33 De tumore linguae, & calculo. 462.
34 De balbutie ex intemperie humida linguae. 463.
35 De gustu depravato. 463.
36 De Cancro ex labiorum fissura. 464.
37 De oris distortione. ibid.
38 De dentium c su ex intempestivo usu spirit. vitriol. 465.
39 De Dentium dolore, vel dentium podagra. 466.
40 De dentium dolore ploratu soluto. 468.
41 De inflammatione tonsillarum, & gurgulionis laxitate. ibid.

LIBER II.
De Morbis medii ventris.

Cas. 1. De Angina. 469.
2. De Peripneumonia. 473.
3 De Phthisi. 475.
4 De Pleuritide cum febri maligna, & gangraena brachii. 479.
5 De Pleuritide gravissima cum vigiliis. 480.
6 De Asthmate pituitoso. ibid.
7 Seroso. 482.
8 De tussi humida cum raucedine. ibid.
9. De Haemophtisi. 483.
10 De cordis palpitatione. 484.

LIBER III.
De Morbis infimi uentris.

Cas. 1. De intemperie frigida ventriculi cum pituita. 485.
2 De Anorexia. ibid.
3 De siti nimia. 486.
4 De ventriculi debilitate cum ptyialismo. ibid.
5 De singultu ex potu aq. frigidae, & nitri. 487.
6 De Vomitu sanguinis. ibid.
7 8 De cholera ex ovis barbi piscis, & ex usu malorum persicorum. 488.
9 10 De lumbricis, & scarabeis. ibid.
11 De Hernia intestinali. 489.
12 De dolore colico a pituita vitrea. ibid.
13 De colica ab humoribus biliosis & acribus. 490.
14 De alvi retentione. ibid.
15 De Diarrhoea. 491.
16 De Hypercatharsi. 492.
17 De Dysenteria. ibid.
18 De obstructione Hepatis. 493.
19 De Hydrope. ibid.
20 De Ictero flavo. 495.
21 De Obstructione lienis. ibid.
22 De Arthritide vaga scorbutica. 496.
23 De Calculo. 497.

LIBER IV.
De Morbis mulierum.

Cas. 1. De Intemperie uteri frigida & humida cum pituita. 498.
2 De Intemperie uteri calida, & sicca cum bile. 502.
3 De Dolore uteri a potu frigido. 503.
4 De Inflatione uteri. 504.
5 De Ascaridibus uteri. 506.
6 De Mensium defectu. 507.
7 De Mensium suppressione. ibid.
8 De Mensium retentione Colocynthide curata. 511.
9 De Mensium paucitate, & stillicidio cum dolore. 512.
10 De fluxu Mensium nimio. 513.
11 De sanguine Menstruo per vomitum rejecto. 515.
12 De Mensium fluxu undecimo aetatis anno erumpente. ibid.
13 De Mensibus usque ad septuagesimum sextum aetatis annum ordinate fluentibus. ibid.
14 De fluore Muliebri. 516.
15 De chlorosi. 518.
16 De suffocatione uteri ab odore rosarum. 519.
17 18 De sterilitate. 522.
19 De Mola. 524.
20 De Gemellis. ibid.
21 De lacte toto gestationis tempore e mammis effluente. ibid.
22 De vagitu uterino. 525.
23 de partu difficili. ibid.

24. de

24 de Foetu in utero mortuo,& ultra trimestre in eodem detento.527.
25 de secundina retenta lethali.528.
26 de lochiorum retentione.529,
27 de impetuoso sanguinis a partu fluxu.530,
28 de dolore post partum. 531.
29 de ruptura Vulvae ad anum.532.
30 de urinae post partum difficilem incontinentia.ibid.
31 de Ephemera plurium dierum ex lactis generatione.ibid.
32 de febri continua ex lochiorum suppressione.534.
33 de Pleuritide in puerpera.536.
34 de Mammarum ex lacte retento tumore.ibid.
35 36 de inflammatione & erysipelate Mammarum.537.
37 de Cancro Mammarum.538.

LIBER V.
De Morbis Infantum.

Cas. 1. DE febre ardente continua. 538.
2 de variolis,& Morbillis.541.
3 de Achoribus.542.
4 de Phthiriasi aloë curata. 543.
5 de Hydrocephalo.ibid.
6 de Pavore in somno. ibid.
7 de vigiliis nimiis.544.
8 de epilepsia.ibid.
9 de Aphthis.545.
10 de dentitione difficili.546.
11 de tussi,& respiratione difficili a catarrho.547.
12 de vomitu ex lacte corrupto.ibid.
13 de ventris torminibus a flatibus.548.
14. De Alvi fluxu. ibid.
15. De Alvi constipatione. 549.
16. De Lumbricis. ibid.
17. De Hernia 551.
18. De Umbilici prominentia, ibid.
19. De Ani procidentia. ibid.
20. De Urinae difficultate. 552.
21. De Urinae incontinentia. ibid.
22. De Mafie a crinonibus, sive dracunculis. ibid.

LIBER VI.
De Partium externarum morbis.

Cas.1.2.3. De Corpulentia nimia &c.555.
4. De Erysipelate. 557.
5. De Bubone simplici. 558.
6. De Parotide maligna. 559
7. De Panaritio. 560.
8. De Pernionibus. ibid.
9. De Ecchymosi ex contusione. 561.
10. De Herpete miliari. ibid.
11. De Tumore oedematoso pedum. 562.
12. De Scirrho testiculi dextri incipiente, 563.
13. De Cancro labii inferioris. 564.
14. De Scabie. 565.
15. De Pruritu muliebrium. 567.
16. De impetigine seu lichene. 569.
17. De Varis. ibid.
18. De Gutta rosacea. 570.
19. De Struma. ibid.
20. De Gaglione. 571.
21. De Verrucis in manibus. 572.
22. De Ulcere rheumatico. ibid.
23. De Ulcere sordido, putri, & corrosivo. 573.
24. De Ulcere fistuloso ani. 574.
25 De ambustione faciei, manuum & abdominis. 575.
26. De Gangraena pollicis manus sinistrae lethali. 576.
27. De Gangraena brachii, & sphacelo ex ulcere pedis &c. 577.
28. De Gangraena scroti. ibid.
29. De Maculis epaticis. 578.
30. De Canitie. 579.
31. 32. De Vulneribus. ibid.
33. De Morte repentina ex vulnere cordis. 581.
34. De Vulnere pulmonum. ibid.
35. De Vulnere femoris sclopeto inflicto lethali. 582.

LIBER VII.
De Morbis quibusdam venenatis & malignis.

Cas.1.2.3. De Lue venerea. 582.
4. De Cicuta. 585.
5. De Fungo venenato. 586.
6. De Helleboro. 587.
7. De Euphorbio. ibid.
8. De Juglande arbore. ibid.
9. De Lixivio e crystallis nitri. 588.
10. De Plumbo. ibid.
11. De Arsenico. 589.
12. De Spiritu vitrioli. ibid.

13. De *Calce viva.* 590.
14. De *lacte coagulato.* ibid.
15. De *Sanguine taurino.* 591.
16. De *Rubetae veneno.* ibid.
17. De *Morsu serpentis.* 592.
18. De *Hirudinibus deglutitis.* ibid.
19. De *Cantharidibus devoratis.* ibid.
20. De *stranguria cruenta ex cantharidibus extra applicatis.* 593.
21. De *Morsu canis rabidi.* ibid.
22. De *veneno canis rabidi esu lactis vaccini communicato.* 594.
23. De *Morbis ex incantatione.* ibid.
De *Philtris.* 595.

LIBER VIII.

De Febribus.

Cas. 1. 2. 3. De *Ephemera, diaria, & synocha simplici.* 596.
4. De *Synocha cum maculis rubicundis.* 597.
5. De *Causo exquisito.* ibid.
6. De *Tertiana continua.* 599.
7. De *Quotidiana continua.* 600.
8. De *Tertiana intermittente exquisita.* ibid.
9. De *Tertiana simplici unica purgatione curata.* 603.
10. De *Tertiana legitima aceto absinth. curata.* ibid.
11. De *Tertiana pura,* 604.
12. De *Tertiana paralysi superveniente.* ibid.
13. De *Febre quotidiana intermittente.* ibid.
14. De *Quartana intermittente.* 605.
15. De *Quartana scorbutica.* 606.
16. 17. De *Semitertiana.* ibid.
18. De *Hectica simplici.* 607.
De *Febribus malignis in gen.* 607.
19. De *Febre petechiali.* 609.
20. De *Morbo Hungarico.* 610.
21. De *Febre ardente maligna cum inflammatione faucium, & linguae.* ibid.
22. De *Variolis, & Morbillis,* 611.
23. De *Peste.* 613.

D. JOH.

JOHAN. JACOBI WALDSCHMIDII

Medicinae Doctoris, & Professoris Marpurgensis

DISPUTATIONES MEDICAE

Varii Argumenti.

DISPUTATIO I.

MEDICUS CARTESIANUS,

detegens.

Aliquot in Medicina errores,

Hactenùs ex ignorantia Philosophiae commissos.

RESPONDENTE

JOH. JACOBO BAJER Eschwecensi Hasso.

I. N. D.

THESES

I. 

Ato uno absurdo sequuntur plura: scientiarum enim regimen Democratico proximum est, ut ait *Baco*. Apud populum plurimum vigent doctrinae, aut contentiosae, & pugnaces, aut speciosae, & inanes, quales videlicet assensum, aut illaqueant, aut demulcent. Atque acriores si forte contemplationes usquam emicuerint; opinionum vulgarium ventis subinde agitatae sunt, & extinctae. Adeo, ut tempus tanquam fluvius levia, & inflata ad nos devexerit, gravia & solida demerserit. Haec temporis injuria, non parum inquinavit ipsam medicinam, quam illotis, multisque in philosophico curriculo arreptis erroribus, involant manibus, & postmodum in gravissimas errorum sortes projecti non eunt, qua eundum, sed e praecipitio acti coecos sequuntur ductores, & unde pedem referant vix

gnoscunt: hinc operae precium erit, aliquot hactenùs ex ignorantia philosophiae commissos in medicina errores in apricum producere, ut vel inde innotescat, quam utilis, & necessaria sit futuro practico philosophia illa vera, & genuina experimentis suffulta, & illustrata; neque enim hic illam intellectam volumus, quae ociosis concertationibus illigata disputatione errores alit non tollit: quae ad lucem rebus inferendam, aut nihil, aut parum confert. Habet enim, ut videtur *Verulamio*, quod proprium est puerorum, ut ad garriendum promta, ad generandum invalida sit, & immatura: controversiarum ferax, operum est effoeta. Nihil adeo est mirum, si quaestio semper maneat quaestio, & per disputationes, non solvatur, sed figatur. Alia longe philosophandi ratio est, si talibus utamur principiis, quae tam clara, & evidentia sunt, ut nullus dubitationi relinquatur locus. Deinde si ab illis communium aliarum rerum cognitio dependeat, ut certam sic, & indubitatam omnium rerum nobis comparare possimus scientiam, id quod nobis spondet philosophia illa mechanica, a Philosopho, & Mathematico parem, non habente restaurata. Quemadmodum enim hujus ope phaenomena extra nos apparentia per veras suas causas evidentissime explicamus, ita pari felicitate, & successu ea, quae in corpore nostro contingunt, nobis perspecta reddimus, & errores hactenus ex ignorantia hujus philosophiae commissos emendare contendimus. Faxit Deus ut feliciter, ne aliorum errores recensendo ipsi erremus.

II. Quod damnum tulit philosophia ex praejudiciis, & superstitioso antiquitatis cultu, idipsum quoque ad medicinam alteram physicae partem transiit: unde ab eo tempore, quo scholastica medicina, polemico scribendi genere corrupta, & obfuscata, coli coepit, ipsique Medici ceu pedarii Senatores in unius Philosophi, dictaturam affectantis, iverunt sententiam, nobilissima haec ars stetit, & si non retroivit, saltem non profecit; quia per novas in dies (ut loquitur *Helmontius*) centurias ivit in circulum. Mansit manca, elumbis, vaga & incerta, tot gravissimorum in medendo errorum ferax, ut in scenas, & vulgi ludibrium hodie num trahatur, eo quod medentes sapere nolint, nisi ad consuetum scholarum: quae enim legunt, credunt, quia alii idem credunt. Verum vix *Cartesius* mundum literatum, alto peripateticismi veterno stertentem, excitaverat; erant statim etiam ex ordine Medicorum, qui ad novum hoc accensum lumen libertatis in ratiocinando affectabant auram. Nec deseruit eos spes; factum quippe est, ut in hunc usque diem nihil amplius etiam in foro Medico, ubi de corio humano agitur, admittamus, quod non clare, & distincte perceperimus; huicque clarae perceptioni plus fidamus, quam centum auctoritatibus, id quod in progressu prolixius demonstraturi sumus. Sed vellicat mihi non nemo aurem. Ergone, dicit, academiae hactenus nihil profecerunt? totque virorum praeclara ingenia, & nos ipsi fuimus stipites? Solusne *Cartesius*, qui nunquam fuit Medicus, ad mensam solis accubuit, ut rejectis prioribus ferculis novas has dapes vobis offerret? An Hippocrates, Galenus, Platerus, Forestus, Crato, Sennertus aliique fidi antiquitatis Machaonicae interpretes, & viri supra laudem positi, qui per totam aetatem arterias, & matulas habuere magistras, erroris, & ignorantiae accusari possunt; quum in arte medica fuerint expertissimi, & gravissimos, teste experientia, sciverint tollere morbos. Fac! ipsos nescivisse corpus esse rem extensam, animam esse rem cogitantem, non dari facultatem attractricem, aut qualitates reales a subjectis realiter distinctas: hepar non sanguificare: morborum communem nidum esse chylum, & sanguinem: dari materiam mundi subtilissimam. Sufficit, quod sciverint feliciter mederi, & ignorantia illarum rerum prudentiae medicae praejudicare nequit. Resp. Achilles hoc *Galenistarum* est argumentum, quod velut anguli caput in prima ponunt acie, quodque aliquid ponderis prae se ferre videtur: verum si rem aequa trutinemus lance, apparebit, illud tibicinibus admodum infirmis fulciri, id quod in liquidum deducam.

eam. Is enim non sum, qui in contemtum tot celeberrimorum virorum calamum stringere velim: hoc tamen citra ullius injuriam dicere possum, illos suis temporibus fuisse doctos, celebres, & felices Medicos: quod si possibile esset, ut Orbi redderentur, ipsos non puderet illa demum addiscere, quae suis temporibus tenebris immersa, & sepulta jacuerunt. Fieri potest, ut medicamentum, cujus vires, & operandi modus latent, pro voto respondeat, quamvis etiam ipsius subjecti accurata cognitio ex anatome, & physiologia petenda deficiat: sed quis non videt, aliquod saltem aegrotantis periculum hic subesse, indecorum esse Medico, collimare ad finem per vias sibi incognitas, vel saltem non satis perspectas; quum ipsi prosperi successus, non tam prudentiae medicae, quam fato, vel fortunae sic in acceptis ferendi sint. Deinde & hoc notandum venit, quod felicitas practica saepius magis dependeat ab opinione vulgi, aliisque mille artibus, quam ab eruditione Medici: magna enim inest vis verbis, herbis, & lapidibus. Quod ipsius *Hippocratis* attinet medicamina, ea ita se habent, ut si quis illis hodierno tempore uti vellet, barbarus esse, & crudelis in suos aegros. Dices, ipsa tamen multis profuisse. Resp. Laudem meretur *Hippocratres*, quod aperte confessus sit: *Naturam curare morbos. Medicum autem impedimenta tollere, & naturae ministrum esse, nunc actorem, nunc spectatorem*. Si omnia *Hippocratis* evolveris scripta, videbis eum paucissimis usum fuisse medicamentis: magnam autem famam sibi acquisivisse prognosi in acutis. Quum enim in calidiori degeret climate, plures etiam habuit aegrotos febribus acutis correptos, quae quum per crisin, & ope aetheris fuerint solutae, palam fit, aetherem maximam curationis si non utramque absolvisse paginam, & quotquot evaserunt, non ex certa scientia, sed solius Dei munificentia, & naturae suae bonitate convaluisse. Ambabus quoque largimur manibus, *Cartesium* non fuisse Medicum: Medicis tamen opem tulit, ut vi suorum principiorum de natura mentis, & corporis, de natura fluidorum, aliisque, functiones corporis, & mentis ipsiusque sanguinis, & spirituum indolem adeo nunc clare explicent, ut nihil clarius: omniaq; illa tanquam sapientiores AEsculapii proles abstergant spongia, quae mechanicis principiis hodiernisque inventis, non sunt congrua. Et quid quaeso de circulatione sanguinis dicam, qua inventa plus lucis accessit rei medicae, quam quidem ab omnium Galenistarum voluminibus expectari potest? Quare hanc non ad Anticyras relegamus ceu inventum supervacaneum, quum tot celeberrimi vixerint Medici, qui sine hujus cognitione magnos quoque curaverint morbos? Sic profecto actum foret de gloria illorum, qui novis suis inventis veritatem in lucem protraxerunt, aut non satis liquidam discussis nebulis illustrarunt. Et ridiculum foret, scientiam ex numero pilularum, & eruditionem ex remediorum copia, & barbaris, vel semigraecis nominibus, metiri velle.

III. Ignorantia philosophiae gravissimum peperit in medicina errorem, quod Medicus solum occupatus esse debeat circa res sensibiles; hinc factum est, ut circa corticem haerentes sensibiles illos humores pro caussis morborum habuerint, & productum cum causa sua confundentes semper a vera aberraverint curationis via. Ex philosophia mutuari hoc debuissent, partes corporis dividi in sensibiles, & insensibiles, illas ex his componi, earumque naturam ex his quoque addiscendam.

IV. Errorem excipit error, quod morborum semina debeat esse sensibilia. Imposuit hoc Medicis, ut relicto semine morbosam progeniem eliminare allaboraverint, quam ipso in semine suffocare debuissent. Et quemadmodum brutum hoc effatum: nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensibus, plurimos coecutire fecit Philosophos, ita ipsos quoque fascinavit Medicos, ut de spiritibus animalibus, quid proferre vix ausi sint, donec *Cartesius* tenebris his faciem admoverit, eorundemque genesim mechanice descripserit.

V. Obstetricante hoc praejudicio alius prodiit ex ignorantia philosophiae er-

ror generi humano magis infestus. Caussa morbi (dicunt) sensibilis sensibiliter per alvum foras est eliminanda: hinc suum intonant purgandum, & homines purgantibus vexant usque ad maciem, nescientes rarius humores ope cathartici excretos sub tali schematismo in corpore delitescere. Saepe ac multum mecum cogitavi, quare in dissectis cadaveribus tantam humorum saburram non amplius reperiamus, quum si viventibus purgans fuisset exhibitum, tales abunde excrevissent. Ipsa videlicet purgantia cruorem, & carnem promiscue liquant, resolvunt, & putrefaciunt, atque in omnibus cum venenis pari passu ambulant, ut recte dixerit *Helmontius*, nomen purgationis esse nomen impostorium, quum non sit purgans, sed destruens, & hostile vitae virus. Omnia purgantia sanguinis laedunt mistionem, & vitae vinculum laxant, aut penitus rumpunt, unde in momento prava illa humorum prodit caterva; id quod *Helmontius* maximo suo damno, & pecuniae jactura expertus est, qui scabie correptus, & a duobus Medicis purgantibus inique vexatus tandem exclamavit, theoremata scholarum falsa esse, & scabiosa. Quod si quandoque videantur exspectationi satisfacere, id non tam vi catharticae, quam resolventi, & attenuanti, qua pollent, virtuti acceptum ferendum. Ipsis itaque purgantibus, qua purgantibus carere possumus, & optandum foret cum celeberrimo *Wedelio*, ut vulgo tam cordi haberent homines diaphoretica, ac purgantia; sic enim plurimi servarentur, qui febribus abrepti, & purgationibus emaciati debitum naturae ante tempus solvunt. Ipsa quippe purgantia sanguinem reddunt cacochymicum; diaphoretica autem heterogeneum sanguini confusum expellunt, & vitalem mistionem potenter restituunt.

VI. Error est, quod ex ignorantia philosophiae credant Medici, partes quasdam solidas corporis humani viventis certis quibusdam instructas esse facultatibus alimento, & sanguini conficiendis, & distribuendis destinatis; quasi ejusmodi facultates ceu inspectores, vel protectores rebus humanis praeessent. Docebit ipsos vera philosophia, nihil in rebus corporeis reperiri praeter extensionem, & modos, nec posse ullam aliquam cognitionem tribui ipsis rebus materialibus, qualem tamen hi actus, attrahere utile, & inutile expellere, praesupponunt, nisi confundere velimus res intelligibiles, & cogitantes cum materialibus, & extensis. Docebit ipsos physica, viscera omnem suum calorem, & temperiem habere a fluidis, & impetum fac ē ibus partibus. Ipsa autem fluida vitam suam, hoc est mistionem, habere a materia primi elementi sive aethere, cujus naturam vix capiunt, quod neglexerint veram philosophiam de natura corporis fluidi, & solidi agentem, quam si non ex Cartesio, saltem ab ejus discipulo Rohaultio, addiscere poterunt. Debuissent ex hac nosse, calorem non esse qualitatem ab essentia ignis distinctam, sed esse ipsum ignem: Essentiam non esse quid distinctum a subjecto cujus dicitur essentia, sed haec duo unum idemque esse; neque enim pluralitas notionum logicarum res, quae unum idemque dicunt, faciet diversas. Mirandum profecto, quod de rebus non existentibus, & nunquam futuris tam seriae, & perniciosae fabulae sint confictae, & creditae.

VII. Error haud levis, ex ignorantia philosophiae subortus, est, quod aliquot morbos medicamentis, ex pharmacopolio petitis, expugnare contendant Medici, qui non nisi aëris solique mutatione curari possunt: Alius aether, alius vitalium succorum motus; novus aether, nova sanguinis mistura. Si aetheris naturam ex physicis addiscerent, scirent prudentius medicari, nec aegros intempestivis suis remediis obruerent. Natura enim vult duci non cogi. Et cui bono, quaeso! tot saccharata, perlata, alkermisata, aliaque preciosa, & externa, & interna praescribunt? nisi dicere velis fieri id in gratiam pharmacopoei, ut inanitis pyxidibus hujus loculus accrescat. Id quod potissimum locum etiam habet in doctrina de febribus, cui tum quoad theoriam, tum quoad praxin tot gravissimi aspersi sunt errores, ut ipse *Hel-*

Helmontius jam suo tempore monuerit, quod primus Medicus eorum, qui ab Ethnicis medendi fundamenta petunt, adhuc desideretur, qui febrium radicem agnoverit ac justa remedia. Ducentos si evolvas Auctores, qui de febribus scripserunt, videbis eos ad unum omnes cantum cuculi cecinisse, idemque semper aliis verbis sibi subscripsisse.

VIII. Errorum genetrix est ignorantia philosophiae; ex hac enim naturam fermentationis, & liquorum fermentescibilium in corpore nostro indolem melius, quam hactenus factum, addiscere deberent. Sic horrendos in curandis variolis evitarent scopulos, in quos plures hodie impingere videmus cum aegrotantis naufragio, dum variolas sudoriferis calidioribus, & agitatoriis remediis expellere primis diebus intempestive conantur, quibus primis his diebus phrenitidem, ultimis autem totalem mistionis sanguinis destructionem, hoc est febrem pestilentialem, accersunt.

IX. Eosdem sibi vendicat natales alius error, qui in inflammationis curatione notatur. In hujus enim principio dicunt adhibenda esse repellentia: sed quaeso quo repellunt? Poros potius magis obstruunt, inflammationem augent, saepius ad gangraenam, & sphacelum sternunt viam, ut malum, quod in principio suffumigio, aut resolutivo aliquo compesci potuisset, reddatur contumax, & difficilioris curationis. Haec omnia ex eo proveniunt, quod nesciant, quanta vis insit aetheri, quamque potens ille sit in agitandis particulis terrestribus sola materia mundi subtilissima cinctis.

X. Sic inanis illa corruit de remediis specificis, & certis partibus dicatis imaginatio. Dandum hoc ignorantiae philosophiae, quod putaverint dari medicamenta cephalica, thoracica, splenetica, hepatica, hysterica. Nisi enim explicuerint, in quo consistat appropriata illa vis, idem est ac si dicerent, se nescire. Sin dicant fieri id propter appetitum, & inclinationem quandam ad hanc potius partem, quam aliam, affingunt medicamentis aliqualem cognitionem. Et quum sanguis aequaliter dispensetur ad omnes partes totius corporis, aeque facile aqua splenetica propinata ire poterit ad cerebrum, quam ad lienem. Itaque effectus medicamenti vix extra sanguinem, & humores circulantes se extendunt, atque perinde erit, sive in effectu cerebri ex caussa frigida spleneticum, aut hystericum, aut alii parti dicatum praescripseris medicamentum, modo vim habuerit sanguinem volatilisandi; omnia enim subtilia sine acredine notabili, & corrosiva sunt cephalica, thoracica, hepatica, stomachica, splenetica, diuretica, uterina, menses moventia, lac & semen generantia.

XI. Quod si alias medicamentorum qualitates sub examen vocare velim, quae non garrulitas, & ignorantia notabitur? Nullibi enim veteres magis lapsi sunt, quam in explicandis qualitatibus medicamentorum, quum in vera philosophia non fuerint enutriti, docente, qualitates has a sola textura, hoc est particularum magnitudine, subtilitate, motu, situ, figura, &c. dependere. Quod enim quaedam medicamenta habeant vim frigefaciendi, indurandi, condensandi, constipandi, obstruendi, incrassandi, repellendi, bilem alterandi, acidum invertendi, & salia absorbendi: hoc est a particularum ea constituentium magnitudine. E contra, quod alia habeant vim attenuandi, praeparandi, digerendi, volatilisandi, est ab earum subtilitate. Quod quaedam sint acida, est a figura, prout latera plus minus acuminata sunt. Quod quaedam sint salsa, est a figura spiculari, & cuspide praedita, plus minus acuta, vel obtusa, cum rigiditatis, vel flexibilitatis majoris, vel minoris attributo. Quod quaedam sint mollia, alia vero dura, hoc est a situ, prout particulae, nunc in uno, nunc in pluribus punctis se contingunt, & prout aliqualem, vel nullam ferre possunt concussionem.

XII. Sed neque sic omnes notavimus errores ex ignorantia philosophiae hactenus

nus commissos. Quum enim Galenistae facile animadverterent, principia sua infirma esse, & insufficientia omnibus phaenomenis explicandis fixerunt dari quosdam morbos explicabiles: dari etiam qualitates medicamentorum occultas extra intellectus nostri sphaeram positas. Hanc ignorantiam si serio perpenderis, fateberis mecum nil aeque imperite tractari apud Medicos, quam quae vitam mortalium concernunt. Ipsi sunt, qui dum claves scientiae se custodire praesumunt, nec ipsi adita intrant, nec alios intrare volentes admittunt, sed arcent omnes omnibus technis semper discentes, & nunquam ad veritatis scientiam pervenientes. Quia ignorant physicam, tyrones manent in medicina, quae ex illa lucem foenerari debet. Quippe ex physica generali constat nulla corpuscula concrescere, & combinare posse, ut non aliqua minutissima intervalla, & exiguos poros juxta se relinquant. Hi materia subtilissima replentur, quum implicet vacuum concipere. Ipse hic aether pernicitate sua, qua corpora transit, impedit, quo minus partes corporum solidorum eo ipso quo concrescunt se immediate in omnibus punctis contingant, ut in adamante, glacie, crystallo, vitro videre est. Subtilissima hac materia a prima etiam conceptione sanguinis motum, & mistionem conservat: haec est natura morborum domitor, & sanitatis custos. Elementum hoc cum aëre, medicamentis, & alimentis haurimus, & inspiramus, quod si conveniens sit consueto aetheri sanguinem jam permeanti a primordiis circulationis novas quasi vires recuperamus; id quod quilibet tempore majali in aurora obambulans, & occultum hunc vitae cibum captans experiri potest. Sin cum aëre purgantibus venenis, vel alimentis peregrinus aether, accesserit partes sanguinis, ordine prius digestae turbantur, crasis & mistio laeditur, febres mali moris, & pestilentiales excitantur, & nisi naturae, hoc est consueto aetheri nobisque amico, alexipharmacis mature feramus suppetias, alium aetherem inferentibus, qui hostilem expellat, profuget: domesticum vero foveat, & aumentet, actum est de vita aegrotantis. E quibus luce meridiana fit clarius, nihil hic occultum, & inexplicabile admitti, quum effectus a motu, & figura, rebus omnibus notis, dependeant. Utinam Medici ad veram hanc stupendorum horum phoenomènorum causam majori sedulitate, & animo, scientia physica probe imbuto, attenderent propius etiam ad sanandi accederent methodum. Hac quippe causa neglecta omnia manent obscurissima, pleraque falsissima, & intacta, quae maxime ad scopum sanandi conducunt.

XIII. Denique tota errant via, qui haec nimiae subtilitatis, novitatis, & oc iosae speculationis arguunt, nam ex his totius oeconomiae animalis dependet veritas ejusque cognitio; & in scientia medica caput rei est, si Medicus oeconomiam animalem accurate cognoverit, in quo plures hallucinari videmus: hinc ubi cum aliis Doctoribus in medium consulere, suasque producere schedulas quandoque coguntur, magis muti sunt quam pisces, aut inconditas effutiunt ratiocinationes nuce casa vix dignas; in praescribendis formulis fluctuant, dubitant, nunc saltum faciunt, nunc terga vertunt, miscent quadrata rotundis: quae non possunt non ipsum aegrotantem in maximum discrimen conjicere. Sed ne partium studio laborare videar, catalogum hunc errorum intuear, hactenus ex ignorantia oeconomiae animalis, & philosophiae mechanicae commissorum.

Toto errant coelo, qui catarrhi sedem quaerunt in cerebro.

Erroneum est, aliquid in catarrho suffocativo delabi a cerebro.

Errant, qui anginosos purgant.

Longe errant, & lege Aquilia tenentur, qui dysentericos, & pleuriticos purgant.

Erroneum est hecticam esse intemperiem calidam partium carnosarum, aut etiam sanguinis.

Error medicus est, si febricitantibus frigida commendentur.

Erro-

Erroneum est, icterum produci a bilis regurgitatione in sanguinem.

Erroneum est melancholiam esse ex liene.

Erroneum est, calculum renum debere diureticis curari.

Erroneum est, vapores ex utero, liene, vel ventriculo, ascendere ad caput, & mentis metropolim turbare.

Errant sine certa sede, qui putant uterum posse situm suum mutare.

Tota via errant, qui purgantia exhibent hystericis.

Capitalem errant errorem, qui in calidis morbis puerperarum frigida propinant.

Et quis omnis recensebit errores? transeant hi cum coeteris erroribus. Cujusvis hominis est errare, nullius nisi insipientis perseverare in errore.

Tu lector benevole, si vera me dixisse videas, mecum gaudebis. Si vero sint, quae displiceant, cremato has pagellas, aut alio ignobiliori usui eas damnato; mihi enim perinde erit, quibus vindiciis contra Medicum Cartesianum, errores detegentem, insurgas; non enim rem suam, sed publicam, humanam, & quae omnes tangit tractavit.

DEO O.M. sit laus honor, & gloria in sempiternum.

DISPUTATIO II.

CHIRURGUS CARTESIANUS,

detegens

Aliquot in Chirurgia errores,

Hactenus ex ignorantia Philosophiae commissos.

RESPONDENTE

WILHELMO HULDERICO Waldschmidt Hanoviensi.

J. Lisp. Cent. 1. Epist. 88.

UT eadem purpura homines delectat, & ad gaudium provocat, tauros offendit, & irritat ad pugnam; sic eadem veritas, aut virtus intelligentes capit, laedit improbos, & imperitos.

Th. Cornelius in Epist. ad Francisc. Glissonium, & Thom. Willisium pag. m. 192.

MAgnam mihi spem facit illa philosophandi ratio, quam a vobis susceptam video, expectationemque plurimam commovet multorum ad eadem ferme studia conspirantium consensus atque communio. Audio enim Georgium Entium atque Warthonum populares vestros non mediocrem in excolenda physiologia operam consumsisse. Ego vero, ut de me loquar, tanta olim industria, tantoque labore ad investigandam hominis naturam aggressus sum, ut ea re aliquam certe gratiam a Viris in sapientiae studio

studio exercitatis me initum ire speraverim. Sed invidit mihi fortuna ocium vitaeq; tranquillitatem; nam Neapolim adverso sidere advectus, necessè habui curas, & cogitationes, non tam in literas, quam in salutem incolumitatemque meam intendere, atque omnino id agere, ne Sycophantarum calumniis aliquando succumberem. Dici autem vix potest, quantam mihi invidiam malevolorum turba constarit ex studio novae istius minimeque vulgaris doctrinae, quam ego a praeclarissimis nostrae aetatis scriptoribus institutam meisque peculiaribus inventis aliqua ex parte illustratam in hanc Urbem primus induxi. Nimirum hoc hominum genus quoniam quidem literis disciplinisque haud quaquam excultum est, sed totum plane ex fraude, & mendaciis compositum, ab his sibi maxime metuit, qui veritatis cultores sunt, & fucum ac fallacias insectantur.

B. C. D.

I. EA nunc Medicis sint tempora, haec saeculi nostri infelicitas, ut quicquid pulchrum, novum atque politum, nec circumforaneae eruditionis, edax depascat livor, carpatque dente invido immanis aevi barbaries. Labuntur cuncta in deterius, postquam homines factionibus, & studiis trahi caeperunt: quiescebat enim olim post fata livor, tuebaturque ex merito unumquemque suus honos: certis terminis circumscripta sublatam osculis virtutem quaerebat invidia, languebat effrenata lingua, quae nunc immissis libera habenis vagatur, nec unum laesisse contenta: toti quandoque instat Medicorum ordini, & viis tam obliquis suam in eos maledicentiam exerit. Experimur & nos, postquam grande patientiae dedimus documentum, verum esse, id, de quo *Tacitus* conqueritur: *non minus periculum ex magna fama, quam ex mala*. Quis enim nescit, benignius agi quandoque cum his, qui cum aliis errare malunt, quam cum bonis recte sentire? Verum enim vero cordati viri est vincere, ac supergredi vitium parvis magnisque civitatibus commune, *ignorantiam recti, & invidiam*. Juvabit olim majores, & posteros cogitasse, id quod secum perpendens *Chirurgus Cartesianus*, noluit amplius extra invidiam juxta, ac extra gloriam vivere, hinc vestigiis *Medici Cartesiani* insecutus in arenam nunc descendit, errores proditurus, quos hactenus tum in cognoscendo tum in medicando tota fere Chirurgorum cohors commisit. Arduum est, fateor, caussas errorum exscindere velle, hoc praesertim tempore, ubi magna vis inest manibus agilibus: ubi sermonis suavitas, & verborum copia, quamvis rerum adsit inopia, plus quandoque valent, quam recta ratio: ubi multi plus aestimant irrationalem chirurgiam, quam rationalem operandi methodum. Assurget Chirurgorum Phalanx, vestibus, comis, & barbis ad elegantiam compositis, aureis atque argenteis scutellis, spatulis, stylis, mucronibus, caeteroque splendido apparatu armatorum, qui commune periculum concordia propulsare, & tergo meo assultare nitentur. Verum nec vanus ille me quidem terret aspectus; auri enim atque argenti fulgor neque tegit neque vulnerat pro veritate dicentem. Salus publica hic murus est aheneus, qui & me contra quoscumque tuebitur arietes, atque ipsos errantes ad metam recti invitabit. Nihil enim nobis negocii cum illis, qui ut inquit *Horatius*.

Turpe putant parere minoribus; & quae imberbes didicere, senes perdenda fateri.

Multo minus eo devenit calamus audaciae, ut omnes Chirurgos, erroris convincere, aut in munere suo, quo hactenus egregie defuncti, perstringere velim: multi enim ex illorum ordine etiam vix monitore opus habent; multi sunt, quibus sublime ingenium atque multorum annorum praxis rectum tramitem indicavit, quique rudimenta atque studia sua philosophis, & chirurgis undiquaque celeberrimis approbarunt. Sed dabunt mihi hi boni viri, esse tamen non paucos fratres ignorantiae, artem, quam nunquam pro rei dignitate didicerunt, profitentes, & exercentes horum magna est praesumtio, hinc ferro, & igne non minus periculose, quam nefarie in genus humanum grassantur, & nefario suo ausu mutilos quando-

que,

que, ac mancos reddunt, aut neci tradunt, quos in integrum restituere debebant: qui, si locuples est aeger, avari sunt, si pauper ambitiosi: quos non oriens, non occidens saturaverit: qui omnium opes atque inopiam pari affectu more militum apud *Tacitum* concupiscunt: qui auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium; atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant. De his quidem nunc mihi sermo erit, horumque errores, quos aut terra, aut opinio, tegit, in apricum deducam, idque majori cum confidentia, quum meliora tempora spondere possit nemo: nam solent nunc Chirurgi pueros ad tyrocinium chirurgiae admittere, qui vix litteras pingere norunt, nedum in humanioribus jacere fundamenta; imo multi eos satis aptos judicant, si infantem placare, si cunas agitare, si temulento hero facem praeferre, aut alios serviles labores sustinere queant. Unum quod est necessarium ne cogitatur quidem, unde fit, ut absoluto triennio usque tamen rudes sint, in examinibus, ut finem, & initium tyrocinii, vel nullo, vel exiguo internoscas discrimine. Hinc metuendum erit, ne brevi adhuc transacta periodo ars chirurgica vera, & rationalis, extinctis nempe senibus, in exilium agatur, atque pauci futuri sint, quibus harum rerum summa committi possit.

II. Quo vero ab ovo exordium desumere, atque ipsos errorum fontes detegere possim, recurrendum nobis erit ad sanguinis circulationem, quem primum esse vivens, & ultimum moriens nostrorum temporum fide satis probatum est. Pauci sunt Chirurgi, quibus nectaris hujus purpurei itus, & reditus innotuit, propterea in phaenomenis explicandis hallucinantur; & confidenter assero, inter centum vix unum esse, cui in caussis inflammationum, tumorum, aliorumque vulnerum, fracturarum, & luxationum symptomatum explicandis non haereat aqua, & qui in medicamentorum operandi modo tradendo saltem non obmutescat. Quaere ex Chirurgo, quare venam tundant infra ligaturam? & nihil solidi respondebit. Quaere unde sanguis ex aperta prosiliens vena? & respondebit eum ex corde versus exteriores profluere partes. Sed si res ita se habeat, quare quaeso non tundunt venam supra ligaturam, quo sanguis qua data porta, commodius egredi possit? Vides ergo ipsos sanguinis itum per arterias, & reditum per venas ignorare, adeoque luscorum more in tenebris palpitare, nec dignos esse, quibus salus hominis committatur.

III. Vulnera definiuntur, quod sint continui solutio, vel quod sint partium carnosarum ab instrumento aliquo facta solutio. Animum ergo tantum intendunt ad partes solidas, atque ad magis sensibiles curationem dirigunt. Sed quis nescit corpus nostrum ex solidis, & fluidis componi partibus? neque illas dividi posse aut rumpi, ut non fluidarum ordo, & mistio turbetur, quo divortio semel admisso novae statim fiunt combinationes, nova prognascuntur concreta, variae exsurgunt hinc inde excrescentiae, intumescentiae, coagulationes, restagnationes, quaeque Auctores existunt omnium illorum graviorum symptomatum, quae vulnera comitari solent. Sicuti enim in aliis corporibus, & mistis regni, tum vegetabilis, tum mineralis videre licet, dum varii generis particulae, variae configurationis, consistentiae, magnitudinis, situs, & motus amicabiliter tandem conspirant, & unum totum constituunt, in quo particulae crassiores detinent, & ligant volatiles, oleosae obtundunt acres, subtiliores servant crassiores in motu proportionato, & rei naturae accommodato; aquosae temperant viscidas, flexiles demulcent rigidas: verum si textura illa paululum reseretur, & vincula rumpantur, nova statim prodeunt producta, a priori massa quoad indolem, & naturam, mirum quantum! abludentia: ita res etiam se habet in nostro corpore, quod nihil aliud, quam congeries indefinitorum, canaliculorum, tubulorum, & vasculorum, fluida varii generis corpuscula transmittentium, de quo vide *celeberrimi Delaei epistolam secundam, & Blankhardi anatomiam novam*. Itaque si turbae in his partibus

tibus excitantur, & harmonia illa stupenda, quae a legitima pororum dispositione, & particularum ordine dependet, auferatur, eadem contingent infausta emergentia: ibi corrosivum senties acidum; hic acria notabis salia: illic tetridum restagnabit liquamen, alibi purulentam conspicies amurcam; hinc intumescentiam, ibi excrescentiam reperies; quae omnia, non tam ex continui solutione, quam ex fluidorum, & impetum facientium perverso ordine, statu & mistione natales suos habent.

IV. E quibus haud obscure apparet, tantum quidem apparatum ad curanda vulnera non exigi, quum totum curationis negocium in momento temporis, ut praelii eventus, consistat. Si enim aëris ingressus arceatur, & fuiditas humorum per partem vulneratam circulantium praesidiis, temperiem partis foventibus vulgo dictis, conservetur, res erit in vado. Cui indicationi satis fit, si vulnus recens statim deligetur; quo magis enim pori labiorum sibi respondent, eo citius coalescunt labia, & eo minus humores in transitu praepediuntur. Deinde si vulnus semel deligatum rarius detegatur; quamvis enim litem à *Septalio* Chirurgis motam hac quidem vice non faciam meam; persuasum tamen habeo in eo saepissime peccari a Chirurgis, quod frequentioribus solutionibus longisque, atque crassis turundis novum vulnerato creent dolorem, atque ipsam curationem erudite retardent, forte ut plus temporis absumentes plus pro mercede pecuniae exigere possint, atque in exoptata hac opportunitate majorem sibi comparent famam, Nauclerum imitantes, qui dum navim in mari libero posset agere, eandem inter cautes, & brevia inserit; unde licet majoris peritiae gubernationis famae comparandae opportunitatem nanciscatur, servato in tanta desperatione navigio, viri prudentis saltem nomen amittet, vide de his *celeberrim. Bontekoe*, Sereniss. Elect. Brandenburgici quondam Consiliarium, & Archiatrum, nec non doctiss. multaeque lectionis Viri *Dn. D. Albrecht*. Physici Hildesheim. celeber. eruditas notas in istius chirurgia reformatam. Ergo satius est tenacia, & viscida aërem non admittentia vulneri recenti ocyssime imponere, quo spectat resina pini, colophonium empl. contr. ruptur. stipt. *Croll.* cera, & ipsum denique saccharum, quo vel solo maxima vulnera sanari, posse compertum habeo. Nempe juvant haec, quia aërem arcent, qui vel solus satis potens est, ut poros vi sua elastica pervertat, & peregrinis quibus foetus est particulis humorum circulantium mistionem turbet, varias coagulationes, & secessiones producat, atque insolitas introducat fermentationes. Triennium est, ex quo paracenthesin in Hydropica institui. Videbantur omnia pro voto successisse. Verum quum in cubili ventis valde exposito perageretur operatio, ipse etiam Chirurgus saepius de die serum ex abdomine emitteret, incidit tandem aegra in vehementissimum imi ventris dolorem, cum subitanea vulneris inflammatione, & subsequente gangraena cujus doloris, ardoris, & inflammationis caussam ego quidem nullam aliam agnosco, quam aërem, experientia edoctus, quam funestam fluidum hoc in fluidis edat catastrophen.

V. Sin qualitates cum puris, tum vulnerariorum remediorum in scenam introducere, nunc velimus, quas non apud Chirurgorum vulgus offendemus tenebras. Pus ipsis est nescio quid novi, & insoliti, a natura ope medicamentorum generati. Nos dicimus pus esse lacteam sanguinis partem, in ipso vulnere plus minus alteratam, cui quaedam subinde portiunculae dilaceratorum tubulorum una cum cruore admiscentur. Pus ergo eo laudabilius erit, quo magis ad naturam chyli, & succi nutricii accedet: sin vero acorem nimium contraxerit, inficiet sanguinem, febres producet, corrodet atque exedet canaliculos fuidorum; si aquosum, & tenue nimis, aut viscidum, foetidum fuerit, pejoris merito censetur notae, nec puris nomine dignum erit, quum contumacis obstructionis, praecipitationis, & putredinis indubitatum perhibeat testimonium. Sed quis quaeso est ex ordine Chirurgorum,

qui de acido cogitet? & cui quaeso remedia acidum corrigentia, vel absorbentia nota sunt? vix enim ultra primas sapiunt qualitates, & nihil nisi calorem nativum, & insitum, naturae robur, vel imbecillitatem, medicamenta pus generantia, nec non digestiva sua crepant, nescii quid dicant, aut quod pro acoris conditione, nunc potentiora, nunc mitiora acidum compescentia eligenda sint remedia; imo inexcusabilis ignorantiae est argumentum, uno digestivo eadem semper oberrare chorda, & *Herculis* cothurnos infantibus applicare: scilicet haec ipsis est consuetudo, prospera omnia sibi vindicare, adversa autem soli naturae imputare.

VI. Sed excipient forte, pus non statim primis diebus sisti conspectui, sed post triduum, vel quatriduum demum apparere, argumento, illud medicamentorum pus generantium esse progeniem. Verum observare te velim, pus primis diebus, non prodire, nec chylum a sanguine secerni posse, quod ex fibrarum contorsione, & illaqueatione tanta facta sit obstructio, ut nec molliori sanguinis parti transitus concedatur, atque aliquot insumi dies, quibus chylus, cum sanguine arterioso advectus fibras reflexas, & in situ valde turbatas elongare, & in rectam viam protendere, sibique liberum transitum procurare possit. Quod si medicamenta quaedam id promovent, ex accidenti facere videntur, dum vel poros deobstruunt, vel sanguinem turgidiorem, vel etiam fluidiorem reddunt, de quo in sequenti thesi plura.

VII. Similis farinae sunt sesquipedalia illa verba, & vanae gloriationes, dum ejusmodi jactant medicamentum, quo vulnus spatio tridui perfecte consolidari possit, quum tamen ne quidem dari queant medicamẽta carnem generantia: ecquis quaeso unquam vidit carnem a medicamento fabrefactam, vel ex remedio generatam? Nugae! Omnes partes solidae sunt ex lacte, quo si sanguis abũdet idque per partem sauciatam libere dispenset, vulnus brevi sanabitur. Sin vero intemperie acida, aut salina, aut perversa mistione fuerit contaminatus, lentum opus erit sanatio. Imo frustra expectabitur cõsolidatio, nisi prius, vel infringatur acidum: aut sal acre temperetur, aut legima sanguinis mistura restituatur. Quibus vero remediis id assequamur, hoc opus hic labor est. Neque enim satisfaciunt practicorũ elogia, quasi sanguis ope vulnerariorum peculiari quadam virtute ad hoc negocium exornatorum ita disponatur, ut ex eo apta, & laudabilis caro quaevisq; alia substantia deperdita promte restitui possit; quamdiu enim peculiaris illa virtus explicari nequit, sicuti revera apud illos inexplicabilis est, tamdiu res ista versatur in ambiguo, & lubrico. Et quum triplicem sanguinis statum vitiosum notaverimus, quomodo una hac fidelia tres dealbari poterunt parietes? Praeclare sane errorem hunc castigat *celeberrimus Craanen*, & perversum atque irrationalem decoctorum vulnerariorum usum perstringit: quum enim minimae etiam circumstantiae totam rem variare soleant, earundem non minor hoc in negocio habenda erit ratio, & nunc ea adhibenda vulneraria, quae acido debellando sint dicata: mox talia eligenda, quae salinam intemperiem magis respiciant, saepius nova substituenda, quae vim etiam habeant turbatam sanguinis mistionem restituendi, quae si ignoret Chirurgus, sicuti omnes illi, qui in physicis praesertim rudes sunt, id ignorant, aegrum in praesentissimum, non raro deducet discrimen. Hinc ego quidem nova plane, & veteribus inusitata incedo via, & decocta vulneraria, non plenis buccis, & in tanta copia, sed cochleatim exhibeo, primis praesertim diebus, quo de sanguinis statu, atque acoris gradu reddar certior, id quod desumto quidem signo a juvantibus, & nocentibus haud erit difficile. His calculum, & pondus addit *celeberrimus Wedelius*, quando ita scribit in amoenis suis amoenitatibus: quemadmodum autem certum est, & constans fidumque assertum, vulneraria pro interno usu ad externam curationem plurimum prodesse, quo nomine expertissimam deprehendimus essentiã traumaticam in tractatu de terra Japonica Hagendornii descri-

 ptam,

ptam ut lapides cancrorum, vel solos cum successu usurpatos, taceamus; ita alterum illud certum quoque est, traumatica varianda esse pro ratione affectuum, & effectuum. &c.

VIII. Pari confidentia proscribimus etiam vulgaria illa externa pinguia, & oleosa, quae specioso, & splendido nomine defensiva appellantur, & quibus poros cutis infarciunt, & non raro inflammationi januam laxant. Et ego, quidem non video, quo sub colore aliquod inde solamen expectare possimus, quin persuasum habeo, rationi, & experientiae, non solum magis consonum, sed ipsi parti affectae, etiam magis proficuum fore, si vel sacculo arena calida repleto, vel vino calido foveatur, aut si spir. vini camphorato crebrius abluatur. Vide *Blankardi Cartes. Acad.*

IX. Neque minus severam meretur animadversionem perversa illa inflammationes curandi methodus, quae tamen altius haeret in Chirurgorum animis, ut facilius videatur clavam *Herculi* extorquere, quam radicata haec tollere praejudicia. Quid autem aliud agunt suis repellentibus, adstringentibus, & refrigerantibus, quam quod obstructiones augeant, humores crassiores detineant, qui subtilioribus evanescentibus acriores facti fibras discindunt, vel rumpunt, unde aucta obstructione major supervenit tumor, & ad gangraenam via redditur magis expedita. Quod periculum, ut mature avertatur, necesse erit, ut curas & cogitationes unice in obstructionem intendas, cui scopo inserviunt alcalia, volatilia, aromatica, balsamica: v. g. spir. vin. camphor. spir. sal. armon. aqua calcis vivae, suffimigia, sal volat. oleosum, diascordium, & quae novas inducit fermentationes theriaca. Item omnia illa quae acidum stygium temperant, invertunt, aut absorbent, quo epithemata lac virginis dicta merito suo referuntur, quorum caput est, & vel centies a me probatum, illud *Zwoelfferi* ex tussilag. flor. rosar alb. sambuc. vino, aceto, &c. paratum: nec minoris sunt efficaciae illa quae habet *Dn. Muys in observat. suis*: hic enim primus est, qui in chirurgia ignorantiae gelu congelata glaciem fregit, & de quo spem faciunt, quod integram chirurgiam ex magni *Cartesii* principiis illustratam in aegrotantium commodum, & sauciatorum solatium editurus sit.

X. Eadem ferula censoria digni sunt vehementes illi errores, quos in campo martio quotidie committi multi, non sine vitae discrimine experiuntur. Si enim castrenses Chirurgi vulnera sclopetis inflicta deligantes ipsarum partium laesarum fabricam, & structuram, nec non indolem, & naturam pulveris pyrii accuratius, & intimius noscerent, ipsosque omnis veritatis naturalis fontes delibassent, nec se ludibrio, nec alios periculo exponerent: certum equidem est, quod de vulnerum horum natura quandoque judicent, ut caeci de coloribus. Ecquis nescit? quod ad unum fere omnes vulnera sclopetorum pro venenatis habeant. Atque in eo quidem prudentiae edunt argumentum, quod ignorantiam suam celare, atque successus parum secundos malignitati, & virulentiae tribuere satagant: tantum enim abest omnia sclopetorum vulnera venenata esse, ut potius natura horum vulnerum ob rationes satis notas omnium illorum symptomatum ferax sit. Praeterquam enim, quod in his vulneribus aliquid de ipsa partis laesae substantia auferatur, etiam hoc majus adhuc infert periculum, quod plures fibrillae contundantur, & disrumpantur: in aliis autem vulneribus paucae saltem discindantur; inde enim est, quare sclopeto vulnerati gangrenae, & putredini, nec non convulsioni, & febribus, prae aliis sint obnoxii: major enim hic est obstructio, major tubulorum, & pororum perversio, major in fuidis perturbatio, quam in vulneribus caesim, vel punctim inflictis. Quae vero de combustione partis globo trajectae, aut vulnerum horum empyreumate, pro exaggerando periculo garruli quidam adducunt, ea ceu commentum anile inter fabulas collocamus; quis enim unquam vim ignitam in globulo observavit? Ecquis nescit ipsos tormenti globos acervum pulveris pyrii transi-

transire sine ullo accensionis metu? nisi forte impetum fecerint in corpus durum, ex quo ignis excussus ipsum pulverem pyrium accendat. Ridemus ergo illos, qui remedia sua contra empyreuma in his casibus venditant, quibus se & alios inani lactare spe, imo fallere solent. Magnam autem ex antedictis foeneramur in curatione lucem, jam enim evictum est, omnem in id intendendum esse nervum, quo putredini, brevi longe lateque serpenti, obviam eatur, id quod per sola deobstruentia, fibras contusas a sanis separantia, tubulos, & poros collapsos restaurantia, obtinebitur. In quem finem *interne* acetum bezoardicum, aut aliud simplex cum lap. cancr. nitrum praeparatum, & intuitu hujus ipsum pulverem pyrium, tinct. bezoard. essent. traumatic. omnia ex scordio, antimon. diaphoret. tinctur. rosar. flor. bellid. *externe vero* bals. Indic. bals. vulnerar. gumm. elemi, empl. diapalm. cum ol. cer. solut. terebinth. aloën, myrrham, ol. ovor. essent. absinth. aq. theriac. camphor. spir. vini, commendamus. Quod si profundior appareat putredo, admisceri his debet Mercurius praecipitatus, qui salibus atque spiculis suis dilaceratas, atque contusas fibras promtissime separat, poros deobstruit, ipsamque suppurationem (solius quidem naturae opus) egregie facilitat. Sin ex colore livido, sensus, & motus ablatione, atque cadaveroso frigore mortis principium, gangraenam scilicet, adesse animadvertamus, profundior statim in confinio instituenda erit scarificatio, quo sanguis acidus, & cruoris nomine magis dignus exprimatur: post scarificationem autem pars gangraenosa aceto forti, vel bezoardico, aut aqua muriatica erit fricanda, quo pori eo facilius aperiantur. Mox liquor ex calce viva cum aqua pluviali, spirit. vini, & Mercurio, vel melle applicandus, superimposito cataplasmate de quatuor farinis dicto, aut fotu ex marrubio, absinth. scordio, ther. spirit. vini aliisque parato. Neque enim hic ulla admittenda est mora, aut induciae concedendae, quum locum hic habeat illud, quod Tiberio cunctanti, & auribus lupum tenenti dicebatur, *aut age, aut desiste*. Quia quo citius pars mortua a sana separatur, eo certius aeger in tuto collocatur: sin autem id remediis his obtineri nequeat, extremae calamitatis, & aegro periculosa subeunda erit alea, atque ad extirpandam hanc hydram ferrum in subsidium vocandum.

Nam quod non sanat medicamentum, hoc sanat ferrum, quod non sanat ferrum, sanat ignis.

XI Enim vero putamus gangraenam incipientem in totali fere omnium tubulorum, & pororum consistere obstructione, usque adeo contumaci, ut non amplius sanguis, & humores, sed subtilis saltem horum humorum vapor ad partem gangraenosam perveniat, qui paucos illos humores ibi adhuc existentes commovet, turbat, acriores magisque corrosivos reddit, hinc fibrae nerveae penitus abscinduntur, quo ipso pars magis obstruitur, & omni motu atque sensu destituitur, atque ob denegatam nutritionem livorem induit. Chirurgus septuagenario majori vesicatorium in tarso pedis applicuit, subsecuta statim est gangraena, quae in sphacelum (maximum gradum, atque ipsam partis mortem) degeneravit: tandem, turbato a pestilenti hoc acore sanguine totius, profundior accessit somnus, quem elapsis aliquot diebus, cum morte commutavit, vir decrepitae quidem aetatis, sed longissimo aevo dignus. Caussa funesti hujus experimenti fuit lymphae defectus, quae spicula cantharidum alias demulcere solet: haec autem magis sic sui juris facta fibras nervosas amputarunt, quae in cincinnos retroactae angustationem pororum, partium vicinarum compressionem, & humorum, in tali senectute jam dum vi corrosiva contaminatorum, restagnationem produxerunt.

XII. Quaeri hic potest, unde dolor tum in principio, tum in progressu? ℞. dolor ille, qui sentitur dum vulnus infligitur, est ab agitatione, distensione, dilaceratione, & concussione fibrillarum nervearum; quo enim plures fibrillae vehementius discinduntur, eo majorem mens, de extremo aliquo insolito judicans, percipit

pit dolorem. Verum ille, qui facta solutione vulneratos torquet, & plerumque aliquot elapsis horis intenditur, est a novo impetu humorum circulantium, quibus transitus ab obstructione denegatur: hinc, elabentibus, qua data via, flexibilibus particulis, reliquae, acriores factae, rodendo dolorem augent.

XIII. Missis his transitum facio ad tumores, in quibus cum cognoscendis tum curandis a scopo aberrant irrationales Chirurgi, qui si in *Cartesianorum* scholis essent enutriti atque edocti, quid sanguis, quid caetera fluida, quid motus, quid figura, cautius de corio humano luderent. Horum profecto facit ignorantia, quare tumor indolens in apertum & immedicabilem abeat cancrum, & tumores molles imprudenter tractati scirrhosam induant duritiem. Humores circulantes ex varii generis componi particulis nesciunt; hinc si volatiles magisque agiles imprudenter discusserint, reliquae viscosae arctius ineunt connubium magisque indurescunt, ut vix amplius flecti, divelli & ad fluiditatis statum reduci possint. Fieri etiam potest, ut acidae quidem in tumore aliquo praedominium obtineant, sed quod plures oleosae particulae ipsis adhuc sint immistae, atque illae sic juxta se invicem quiescant, vel saltem minus agitentur, & durum quidem tumorem sed indolentem constituant. Verum si Barbae tonsor imposuerit medicamenta vi agitatoria praedita, expirant protinus partes balsamicae spiculorum cuspides obvolventes; hinc acidae plus agitatae majus spatium affectant, fibras rodunt & distendunt, atque acerrimum producunt dolorem, tandemque claustra sua rumpunt, unde ex cancro occulto & non ulcerato fit ulceratus, partes vicinas depascens & totam massam sanguineam maligna aura inficiens. Quem si prudenter quis tractare voluisset, cane pejus debuisset fugere suppurantia aut discutientia dicta, quibus nihil amplius perfecit, nisi quod crabrones irritaverit, quum potius saturnina acidum obtundentia hic fuissent provocanda. Utpote idem hic contingere videtur, quod in pulveris tonitruantis aut pyrii accensione fieri solet, ubi nova plane emergunt phaenomena, quorum caussas in illa massa praeextitisse vix credideris. Et sicuti nitrum sibi soli relictum longe alium prae se fert saporem, quam si in spiritum resolvatur, ubi spiculae capsulis suis excussa in continuo nunc sunt motu & fluore, atque ori indita undiquaque suis acuminibus in linguam impingunt, mentique acidum communicat saporem. Et (quod praeclare notat *cel. Maetz.*) sicuti maxima est differentia intra salem, cujus partes juxta se mutuo quiescunt, & inter salem, cujus partes in continuo sunt motu; qui enim quiescunt juxta longitudinem suam ex transverso linguae ut plurimum incumbunt; illi autem qui continuo moventur, ut plurimum suis extremitatibus acuminatis in linguam profunde incumbunt, nervosque vivide satis afficiunt, ut hoc in acubus ex transverso linguae impositis & quiescentibus, vel in iisdem diversis motibus concussis & quaqua versum agitatis, nec non secundum sua acumina linguae occurrentibus, cuique exploranti manifestum evadit: ita quoque humores antea in latibulo silentes & tranquilli ipsis medicamentis intempestive adhibitis efferi redduntur, atque gravissimorum morborum Auctores existunt.

XIV. Neque ego gravissimos hos miror errores, quin potius plures praesagiam ex ignorantia oeconomiae animalis, quam Chirurgi ne attingunt quidem. Et quamvis pone me servem catalogum vehementium errorum ab ipsis commissorum; paucos temen hac vice enarrabo. Fuit haud ita pridem insolens Barbae tonsor, qui herniam inguinalem pro abscessu habuit, nec prius errorem animadvertit, quam ubi lanceola tumore aperto faeces foetore suo nares ferirent. Cui illud apud Curtium regeri potuisset, Sciat iste insolens Barbarus, nihil esse difficilius, quam Laconis armati latus fodere *& iterum sanare*. Alius strumosum pro anginoso habuit, omnemque movit lapidem, ut tophaceum glutinum in pus mutaret. Puer 5. annorum coepit claudicare, atque de sinistri pedis dolore conqueri, parentes

tes vocabant me cum Chirurgo haud inexperto, contrectavimus partem affectam: vidimus spinam dorsi caeteraque confinia, sed nullibi caussam morbi invenimus: jussi tamen femori & genu empl. diapalmae imponere. Verum malum hoc manifesta indies sumebat incrementa, pes jam abbreviari videbatur, accedebat calor febrilis cum tumore quodam oblongo in regione lumbari; ancilla referebat, recordari se puerum ludentem cum sodalibus humi fuisse prostratum. Vocabuntur in partem curarum & consiliorum duo Chirurgi Francofurtenses, hi quum multa de luxatione fecissent verba, incisionem tumoris suadebant, & dictum factum esset, nisi ego solus obstitissem, regerens me ne signum quidem latentis puris observare posse. Sic abiere re infecta, mihique interim negocium committebatur. Itaque per ordinarium Chirurgum tumorem ter de die lav. spir. convulsiv. cum sale armoniac. interne etiam spirit. sal. armon. Sylvii saepius exhibui: quibus remediis per plures dies adhibitis & tumor disparuit, & puer pristinae redditus fuit sanitati in hunc usque diem optime valens.

XV, Nunc sub censum veniunt medicamenta repellentia quibus humorum ad partem affectam affluxum coërcere allaborant, in quo tamen labore inanem plerumque ludunt operam, ipsamque inflammationem remediis his alacrem humorum itum retardantibus magis magisque exaltant & obstructionem augent. Equidem falsissimum est, quod humores una vice majori in copia affluant, quam alia, ad unam videlicet corporis partem, quia sanguis arteriosus, a quo lympha reliquique succi omnes radicaliter dependent, aequaliter ad omnes totius corporis partes distribuitur. Deinde a vero non minus alienum est dolorem, & calorem attrahere humores, prout id antiquitus fuit creditum: nam dolori tumor supervenit non propter majorem humorum affluxum, sed ob eorundem restagnationem, dum interea novi semper a tergo sequuntur, & priorum copiam augent. Quod vero pars admodum incalescens vel inflammata etiam intumescat & rubeat, illud fit ob humorum majus spatium affectantium & vicinas partes distendentium agitationem & rarefactionem. Sicuti ergo absurdum foret, dicere foenum recens incalescere ob majorem succi abundantiam, novumque ejusdem affluxum: ita humores circulantes copiosius subinde in tubulis reperiuntur, non quod copiosius influant, sed quod ipsorum circulatio retardetur. E quibus palam fit, quo periculo partibus vulneratis & inflammatis medicamenta repellentia imponantur, quae potius digna essent, ut ex foro medico penitus proscriberentur.

XVI. Ante quam hinc abeamus, haud poenitebit de spinosa illa spinae ventosae doctrina verba facere, quod malum plerumque infantes infestat, praesertim circa articulos, cum tumore, livore & ulcere partium mollium, quae non solum ab acido fixo & lentescente lympha exeduntur, sed ipsum etiam os subjectum, quod focus hujus mali plerumque videtur, cariosum & nigrum esse solet. Describitur a *Severino*, quod sit abscessus corruptorius seu sphacelismus ossis circa articulum in pueris, ex primis spermatis & menstrui sanguinis inquinamentis non repurgatis per congestionem illapsis & computrefactis natus: nobis dicitur apostema ossis seu lentus ossis & vicinarum partium sphacelismus, ab acido fixo & maligno fermento intra osseam substantiam ipso in utero materno primitius congesto productus. Sicuti enim fermentum variolosum intra tubulos partium carnosarum a lacte, quibus infans nutritur, & ex quo etiam formatur, in ipso utero colligitur, & postmodum occasione novi & insoliti aetheris cum aere, ventis, vino aliisque advecti in actum erumpit, ita hoc fermentum in ossium uno vel altero tubulo ab eodem lacte corrupto generatur & mora, alimentis, novisque allabentibus humoribus, semper acrius & deterius redditur, donec focum suum perfodiat, os caeterasque partes exedat, lympham inficiat, & malignum hunc producat tumorem. Pauci autem sunt Chirurgi, qui indolem & naturam hujus affe-

ctus exacte norunt, hinc vocati nil nisi suum oxycroceum aut stipticum crepant: nonnulli adstringentia imprudentius commendant, ipsique serpenti putredini sua ignorantia fores pandunt & viam sternunt. Curatur autem hoc modo 1. si cutis adhuc fuerit integra, statim in formam crucis erit incidenda usque ad ipsum os: quod pro secundo scalpendum, aut terebrandum, aut urendum, aut excindendum. 3. Vulnus consolidandum. Ego hactenus *interne* bezoard. minerale, tinct. antimon. pilulas mercuriales, essent. viperinam *Zvvoelfferi*, vinum viperinum; gelatinam viperinam & omnia ex viperis: *externe* vero spir. vini cum ol. vitrioli, aqu. fort. cum spir. vin. tinct. solis cum spir. salis ad mentem *Zvvoelfferi* paratam pulverem ad cariem ossium cum melle, & spiritum vin. camphorat. laudavi. Quod si malum contumax haec eludat praesidia, praesentissimum remedium erit cauterium actuale, vel amputatio, de quibus vide ipsum *Severinum & Jacobum Mechern.*

XVII. Tandem ad ossa luxata devenimus, in quorum repositione ipsi Chirurgi quandoque suam produnt ignorantiam, quum non luxatum pro luxato, non repositum pro reposito saepius habeant. Quod inde fit, quia verum ligamentorum & tendinum situm ignorant. Quippe os semel e suo acetabulo elapsum reponi nequit, nisi in ligamenta partis oppositae curas intendas tuas; haec enim jam admodum distenta & elongata magis, illa vero in parte, per quam os elapsum est, contracta & breviora erunt: hinc summa opus est cautione, ne extendendo membrum luxatum his vel illis ullam inferas injuriam, sed sedula potius danda est opera, ut articulus praecise per eandem viam, per quam elapsus est, regredi possit: si enim graviorem hic erraveris errorem ipsam repositionem impossibilem & malum incurabile reddes, unde postmodum tumor, inflammatio, atrocissimus dolor & quandoque abscessus oriuntur, id quod aliquoties vidisse licuit. Quod si in infantibus repositio ad plures dies differatur, omnino impossibilis erit, quia lympha in acetabuli vacuum copiosissime transsudans & in cartilaginem excrescens omnem elapso articulo praecludit introitum. Tota ergo scientia chirurgica consistit in cognitione oeconomiae animalis, quam nonnisi in scholis Cartesianorum addiscent, & a *B. Ettmullero chirurgia medica* appellatur. Nec non in convenienti manuali operatione, quarum tamen fundamentum est ipsa oeconomia animalis, vel si mavis philosophia mechanica.

DEO sit laus, honor & gloria in sempiternum! Amen.

COROLLARIA.

1. *IN Casu notorio, & ubi nulla alius morbi signa apparuerunt, ex solis circumstantiis vulneris lethalitas pronunciari potest, hocque judicio medico stare tenetur Juris-Consultus.*

2. *In spectio cadaveris plus infert certitudinis respectu partium laesarum, sed non respectu lethalitatis praecise consideratae.*

3. *Neque ad lethalitatem vulneris praecise sumtam requiritur anatomica partis demonstratio, sed sufficiunt symptomata, vulneris quoad ingressum, & exitum situs, & conditio, Medicorum, & Chirurgorum indefessus labor, & opera, aliaeque circumstantiae, e quibus aeque certe colligi potest, vulnus aliquod lethale fuisse, quam ex ipsa inspectione oculari.*

4. *Chirurgia medica pertinet ad Medicos tanquam Dominos; practica autem ad Chirurgos illorum olim ministros.*

5. *Potus coffae intempestive, & nulla temperamenti, & constitutionis habita ratione sumtus, viam sternit ad paralysin.*

6. *Potus Thee ipsis etiam phthisicis, & hecticis tuto propinari potest.*

7. *Omnia enim deobstruentia temperata sunt etiam remedia antihectica, & antiphthisica.*

8. In

8. In febribus tam continuis, quam intermittentibus sanguis crassior, & minus fluidus est.

9. Et qui a sanguine febricitantium per venam tusam cum impetu saliente ad ejus majorem ebullitionem, & citatiorem circulationem argumentantur, nesciunt distinguere inter motum sanguinis intestinum, & progressivum; hoc enim imminuto intestinus augetur.

10. Errant ergo vehementer, qui calorem tanquam productum frigidis julapiis aliisque refrigerantibus, tam externis, quam internis extinguere satagunt, quum vel ipsam sic extinguant vitam, vel morbum reddant deteriorem.

DISPUTATIO III.

ASTROLOGUS MEDICUS,

Catarrhorum Theoria, & Praxi Astrorum vim, & influxum

IN

Microcosmum paucis thesibus exhibens,

RESPONDENTE

JOH. PHILIPPO FABRICIO Hersfeldensi Hasso.

I. N. J.

I. CAtarrhalem dicimus defluxionem, quando humor lymphaticus, nunc crassus, nunc tenuis in parte aliqua haeret, & a circumjacentium partium calore agitatus sese magis extendit ad partes subjacentes, unde dolor, rubor, & alia supervenire solent symptomata. Frequentius tamen ejusmodi defluxionibus illae corripiuntur partes, quae glandulis lymphae secretioni dicatis abundant, quaeque aëris externi injuriae magis sunt expositae, quales praeter ipsum cerebrum sunt nares, fauces, trachea, & collum, a quarum partium diversitate catarrhi diversas sortiuntur appellationes juxta vulgatos SCOLÆ SALERNITANÆ versiculos.

Si fluat ad pectus dicatur Rheuma catarrhus,
Si ad fauces bronchus, si ad nares esto coryza.

II. Veteres in doctrina de catarrhis, quam longissime a veritatis aberrarunt semita, statuentes materiam catarrhorum in cerebro vapores ex inferiori ventre attrahente, eosque instar alembici cucurbitae superimpositi condensante colligi, a quo postmodum humores in partes capiti subjectas depluant: hinc multa de parte mandante, & recipiente, de facultate expultrice irrita aliisque operose scripserunt, quae apud *Riverium* legi possunt. Enim vero haec veterum opinio, & auctoritas mira quadam credulitate apud vulgus ita invaluit, ut hodierno adhuc tempore doctissimi etiam Medici, quibus insignes hi errores ex fundamentis anatomicis, & physicis innotuerunt, ad sensum vulgi loqui, & captui ipsorum se accommodare cogantur: quamvis extra omnem dubitationis aleam positum nunc sit, materiam catarrhalem a cerebro ad fauces, palatum, vel etiam nares, non delabi, id quod jam dudum pulchre ostendit *Schneiderus in suis de catarrhis tractatibus.*

III. Veritati itaque magis consonum est, statuere humorem catarrhalem a glandulis plenitudine, nunc aggravativa, nunc irritativa onustis eructari, indeque in partes subjacentes imbris instar depluere, quas omnium accuratissime depingunt *Warthonus*, & *Stenonius*, & nuperrime *celeberrimus Willisius capite de respirationis organis*; quo Lectorem brevitatis gratia remittimus.

IV, Verum ut ad ipsum fontem, & scaturiginem accedamus proprius, dicimus mineram universalem esse massam sanguineam: particularem vero succum nutricium seu lympham in humorem excrementitium degenerantem, quatenus ip-

sum alimentum, non raro corruptionem inducit, & ex digestionis vitio excrementi magis, quam nutrimenti prae se fert faciem, quod *Helmontius* primo in scholas introduxit.

V. Sanguinem autem hic affici, & ex eo veluti Pandorae pyxide infausta illa prodire symptomata, vel ex sola febri illa continua, lenta tamen, catarrhos saepissime concomitante evidentissime patet, non jam de aliis dicam symptomatibus eo tempore plures etiam partes infestantibus. Quandoquidem turbata sanguinis mistione, non possunt, non plures heterogeneae particulae in glandulosas partes effundi, crassitiae, acrimonia vel aliis mille modis peccantes, quae membranas glandulosas his in partibus, quas catarrhalibus defluxionibus magis obnoxias esse superius docuimus, lacessentes, & irritantes, sternutationem frequentem, sputationem continuam, copiosi muci rejectionem, molestam raucedinem, & tussim in principio siccam, post humidam magis, producunt.

VI. Ipse autem succus nutricius, per tubulos partium solidarum, & ipsa vasa lymphatica trajici solitus, si forte in motu suo impediatur, salva adhuc sanguinis crasi existente, & ob glandularum molestam irritationem a peregrino fermento, cum aëre advecto introductam diutius detineatur, & spasmodica quadam expulsione eliminetur in partes vicinas, catarrhi auctor quoque existit. Id quod Chymicorum, & aurifabrorum funesta exempla comprobant, aërem fumis metallicis acrioribus impraegnatum in laboratoriis haurientium.

VII. Porro quum multi humores ad statum volatilitatis evecti per cavitates, & fibrarum interstitia hinc inde oberrare soleant, & per insensibilem transpirationem tenues abeant in auras, quoties his vaporibus ob pororum coarctationem, & insensibilium meatuum constrictionem liber denegatur commeatus, & transitus, ut concentrati humores iterum mentiantur, non potest non statim in illa parte tensio, tumor, rubor, &c. oriri; hinc angina, odontalgia, aliique prodeunt catarrhi, qui ab antiquis cerebro acceptum feruntur. Quanta enim singulis fere horis per insensibilem transpirationem abeat sub vaporum forma humorum copia, id argumentis ab experientia desumtis probat *Sanctorius in medicina sua statica*. Ut haud immerito inde concludamus, materiam catarrhi in corpore semper reperiri alia tamen sub forma incedentem, quae quamdiu libere cavitates, & meatus transit, nullas oeconomiae animali creat molestias: verum si in motu suo praepediatur passim catarrhales fluxus excitare apta nata est.

VIII. Atque adeo terminum a quo, ut loquuntur communissime, sanguinem, esse statuimus. Vias autem, per quas catarrhalis fluit humor, dicimus esse vasa sanguifera, arterias nempe & venas, quorum pori ita vitiantur, ut vel nimis fiant patuli, vel saltem secundum figuras suas ita pervertantur, ut peregrinas transmittant particulas nutritioni ineptas, quantitate, & qualitate autem molestissimas.

IX. Definitur nunc catarrhus, quod sit humoris alicujus e vasis sanguiferis effusio, in parte aliqua solida recepti ejusdemque poros, & tubulos obstruentis. Vel quod sit decubitus seu effusio lymphae plus minus vitiatae in partem quandam, quam definitionem nobis suppeditat *celeberrimus Ettmuller.*

X. Verum enim vero triumphum forte ante victoriam canimus, nondum enim solidis rationibus evictum esse videtur, cerebrum ex mandantium partium numero proscribi debere, quum multa adhuc sint, quae contrarium primo praesertim intuitu suadeant. Nonne enim gravativus capitis dolor catarrhos, vel praecedit, vel comitatur? Nonne eo tempore obstructio in narium radice palam observatur, quod evidentissimum est argumentum, os cribriforme ab humore pituitoso: nunc ita obstrui, ut non citra difficultatem aliquid amplius a cerebro in nares transmitti possit. Nonne eo tempore, quo catarrhi nos vexare solent, somnus laboriosus, & turbulenta insomnia nobis obtingunt; quidni ergo frigidam aeque ac humidam cere-

cerebri intemperiem accusabimus? Accedit quod alia adhuc via magis impedita ad oculum demonstrari possit, per quam revera humor ex cerebro ad nares, vel palatum transferri videtur, nempe infundibulum istud omnibus Anatomicis satis superque notum, cui glandula praeest ab officio pituitaria dicta: ast cum natura nihil frustra unquam fecerit, ipsi hac in parte consuetam suam velle adimere prudentiam, non minus imprudentiae esset argumentum, quam eam summis etiam proscindere injuriis.

XI. ℞. Committi fallaciam in duabus prioribus rationibus non causae, ut causae; dolor enim capitis gravativus, qui vel praecedit, vel comitatur catarrhum ab eadem caussa nempe sanguine pituitoso, vel etiam seroso proficiscitur, cujus progeniem catarrhum esse supra docuimus, non vero idem numero humor a cerebro transmissus postmodum defluxionem catarrhalem demum producit. Et obstructio illa circa narium radicem, non est intra, sed extra cranium ab humore lymphatico ibidem haerente, & tubulos porosque istius partis obstruente suborta. Os enim cribriforme membranis adeo arcte cinctum est, ut ne aërem quidem transmittere possit. Quod si refocillatio quaedam subitanea ab odoriferis percipiatur, non statim putandum quasi illa effluvia ad cerebrum usque per nares interveniente osse hoc cribroso penetrent, sed quod extra cranium sanguini alacritatem addant, ipsisque humoribus circulantibus vigorem concilient, ut recollectis quasi viribus spiritus alacrius munia sua subeant. Deinde ubi sanguis loco subtiliorum particularum plures crassiores in angustias, & maeandros meningum, & cerebri effundit, cerebrum obstruitur, dolor gravativus a tubulorum pressione supervenit, somnusque laboriosus, & turbulenta producuntur insomnia: quae tamen phaenomena nihil aliud comprobant, quam quod ipsum cerebrum in catarrhalibus defluxionibus saepius compatiatur. Quod tandem infundibulum, & usum glandulae pituitariae concernit, sciendum quod una cum subtilioribus sanguinis particulis, quae spirituum animalium nomine veniunt, paucae quoque crassiores per cerebri substantiam rapiantur, quae tandem motum suum deperdentes propria gravitate ad fundum tertii ventriculi subsidunt, & exinde per infundibulum ad os spongiosum relabuntur, ubi leve saltem momentum muconarium superaddunt. Nequaquam ergo mucus iste copiosus, qui ibidem reperitur, a cerebro excernitur, sed per vasorum innumerorum ad basin narium existentium poros sub forma vaporum secernitur, & postquam volatiles partes evanuere reliquae accedente aëre frigido externo inspissantur, & formam muci istius nanciscuntur.

XII. Neque obstat, quod caput prae aliis partibus defluxionibus sit obnoxium, utpote quod aëri frigido liberius exponitur, ejusque injuriam experitur frequentius, quod eo facilius fieri potest, quum gaudeat sensu magis exquisito praeter nervos valde teneros, breves, & rectilineos, qui spiritibus turgidi acceptam impressionem brevi itinere promtissime ad commune sensorium deferunt, ipsique humorum affluxui sic exoptatam praebent occasionem.

XIII. Causas remotiores dividimus in naturales, & non naturales. Inter naturales agmen ducit temperamentum frigidum, & humidum, quando nempe in sanguine chylus crudior, multaeque aquosae particulae praedominium obtinent. Suum quoque confert symbolum aetas senilis juxta *aphor. 31, s. 3. Hippocratis: Senibus fiunt destillationes*. Quod sex res, non naturales Medicis dictas attinet, inter illas primas aëri deferimus, non tamen eo statim negantes, cibos crassos concoctu difficiles, frigidos, humidos, potum faeculentum, acidum, animi pathemata, studia a prandio statim, vel coena inita aliaque viam ad fluxus catarrhales reddere magis expeditam. Sed quum videamus, quod catarrhi certis anni temporibus plures diaetae leges caeteroquin accuratissime observantes corripiant, causam multis etiam communem merito prae aliis accusamus, consentiente *Hippocrate s. 3. aphor.*

12. & 13. cujus haec sunt verba: *post aestatem siccam, & aquiloniam, & autumnum pluviosum, & australem ad hyemem fiunt raucedines, & gravedinas: rursus post hyemem australem, & pluviosam, ac ver siccum, & aquilonium.* Ecquis autem inficiabitur, aërem tellurem nostram ambientem, & cui nos innatamus, quotidie ab effluviis e solo, & salo ope certae materiae aethereae ab astris transmissae elevatis mille modis mutari, quorum vi in sanguine nostro peregrinas fermentationes morbosasque secretiones, & praecipitationes naturae nostrae insensissimas producit, ut variae hinc inde in tubulis partium solidarum, & praeprimis glandulosis, etiam membranis obstructiones, & lymphae depravationes fiant, quod senis cujusdam mihi apprime noti confirmat exemplum, qui toto vitae suae curriculo eo anni tempore, quo rosae efflorescunt, contumacissima gravedine, tussi, & raucedine semper laboravit, quae symptomata tamen transacto efflorescentiae tempore sponte iterum cessare solent.

XIV. Neque opinari velim, quod hi aëris effectus tot in oeconomia animali turbas excitantes in primis vulgo dictis qualitatibus tantum quaerendi sint, quum aliae adhuc potentiores in eo reperiantur, inter quas salinas potissimum in catarrhis excitandis efficaces deprehendimus, sal quoddam aëri bene constituto inesse, cum sale sanguinis nostri apprime conveniens hactenus ab aliis demonstratum, cui colorem suum purpureum sanguis, nitorem suum spiritus animales, & blandam suam aciditatem fermenta viscerum debent. Verum quum aër varias patiatur alterationes, ipsum etiam hoc sal variis modis a natura sua deflectit, & peregrinam induit naturam: hinc pro diversitate temporum anni salina corpuscula plus minus aeri inesse, ex plurimis constat phaenomenis dum vim suam corrosivam in peregrinantium labiis, & naribus saepe saepius exerunt. Quod vero peregrina haec salia certis anni temporibus e solo, & salo evocentur, a sale sanguinis nostri, quam longissime abludentia, nullam aliam, cum *D. Fuhrmanno de catarrh.* agnosco caussam, quam quod tellus motu suo annuo (si ex Copernici hypothesi ita loqui mecum velis) nunc his cum astris fixis, nunc cum aliis conjungatur, & ab iis recedat, quodque reliqua vagabunda lumina variis suis aspectibus, quadraturis, oppositionibus, conjunctionibus, &c. certam inter se faciant dispositionem in certo ordine ad certa puncta; hinc enim peculiaris aër, & materia certa subtilis aliter figurata, & alia magnitudine praedita certo tempore ad nostrum transmittitur haemisphaerium, quae denuo alias, atque alias ex gremio terrae elicit particulas, easque cum aëre communicat, cum quo attractae per inspirationem, vel per alios coecos meatus admissae sanguinem propria sua inficiunt acrimonia, vel sales sanguinis nostri praecipitando lympham sive succum nutricium degenerare faciunt, ut inde variae catarrhales producantur defluxiones, praeprimis illorum corporibus, quorum vasa sanguifera eorundemque pori peregrino huic fermento facilius auscultant, vel qui membranas valde sensibiles nacti sunt, ob quam caussam infantes catarrhis magis obnoxii sunt, quam ulla alia aetas.

XV. Ex priori thesi abunde satis patet, vim illam, & efficaciam aëris in producendis catarrhis ab astris potissimum proficisci, quum juxta varias constellationes luminumque phases eum varie alterari sentiamus; hinc restare adhuc videtur, ut ostendamus, quomodo potiora catarrhi symptomata per suas causas clare, & perspicue explicari possint. Occurrit autem statim divisio catarrhorum in frigidos, & calidos, quos tamen diversis in subjectis diversae indolis, & naturae ab una eademque causa oriri statuimus. Ubi enim humor crassus, & viscidus praecipitatur, nihil vel parum salis fixi habens, catarrhum frigidum adesse dicimus, tuncque dolor saltem gravativus percipitur, nisi forte sal admistum fuerit, quod rigiditate sua ac acumine ad recurvos tubulorum haerens maeandros dolorem lacerativum, vel pungitivum producat. Quod si sanguis jam dum aëris sit, & ab aëre mistione,

& motu

& motu contrariante alteretur, ut paucae balsamicae particulae, quae ipsi adhuc insunt dissipentur, tum reliquae catarrhum calidum, & dolorem valde exquisitum excitant. Et quum a fermento illo peregrino sanguis incidatur, & subtilisetur, plures etiam subtiliores particulae cerebro suffunduntur, quae rapidiori suo motu vigiliarum statum inducunt. Sitis intensissima oritur ob seri defectum alio translatum; vel etiam ob obstructionem tubulorum faucium, motus tremuli fibrillarum imminutionem inferentem, occasione cujus mens sitis ideam concipit. Interea tracheae glandulae imbris instar serum plorant, unde raucedo, & tussis convulsiva: quod si copiosius, & impetuosius in bronchia depluat, suffocationis metum infert: quae omnia graviora redduntur, quando in reliquos quoque respirationis musculos acres deponuntur exuviae. Et quum mistura sanguis a peregrino illo fermento in cordis thalamis laedatur, febris accidit, circa vesperam, & noctu praeprimis cum tussi reliquorumque symptomatum incrementis affligens, ob poros eo tempore magis conniventes, & parciorem noctu, quam interdiu transpirationem. Vrina subinde est pallida ob salium defectum, quae in glandulas capitis maximam partem effunduntur.

XVI. In via salutis & mortis ambulantibus prognosin exhibet *Celsus*, inquiens: si ex capite (hoc est glandulis) in nares destillet humor, leve est: si in fauces pejus; si vero in pulmones pessimum. Ipse etiam *Hippocrates* judicat catarrhos senibus infaustos. Et qui nares habent humidiores, minus prospera utuntur valetudine.

XVII. Indicationes a lympha nunc crassa & viscida, nunc tenui & acri petuntur. Laudantur in principio fluxus pilulae catarrhales laxativae, de succino *Cratonis*, *Francofurtenses* methodo *Haeseriana* exhibitae. Fortiora purgantia ubi praesertim trachea & pectus afficiuntur cum *Cratone* exulare jubemus, quae in morbis pectoris citra omnem rationem & prudentiam tantopere a nonnullis commendantur. Quod si tussis valde urgeat & vox rauca sit, venaesectio concedi potest, quam in seipso administrari passus est *Riverius*. In gratiam totius massae sanguineae cauteria, vesicatoria & scarificationes admittuntur, quae admodum prodesse solent, ob caussam tamen longe aliam quam Veteres & cum his vulgus persuasum habent. Multa enim & hic aeque ac in caussarum doctrina falsa nituntur hypothesi, multaque magna postulata obtruduntur. Varia quoque emplastra & cerata capiti prius raso imponuntur, inter quae laudem potissimum meretur emplastrum cephalicum *Schroderi*. Vertex oleo succini inungitur. Quorum omnium exploratus successus non in retentione catarrhi, sed in obstructionis reseratione lymphaeque correctione potissimum consistit. Prosunt etiam pediluvia, non quod attrahant (terminus Medico philosopho indignus) sed quia sanguinis acrimoniam temperant, & poros deobstruendo transpirationem promovent, in catharris valde proficuam.

XVIII. Nisi magna fibrillarum nervearum obstet irritatio, incidentia & attenuantia tum externe, tum interne exhibenda. Inter externa locum habent sternutatoria, nisi forte catarrhus oculis bellum indicat, masticatoria & apophlegmatisantia, si faucium conditio illa admittat; interna praecipua sunt aq. asthmat. *Rudolphi Imperatoris*. veronic. hyssop. oxymell. scyllit. spirit. ammoniaci cum sale ammoniaco destillatus, sperma ceti & alia apud Practicos obvia. Ast ubi ob continuam valdeque molestam membranosarum partium vellicationem nullae conceduntur induciae, nimia illa sensilitas temperanda per opiata & incrassantia, quae prudenter exhibita omnem absolvunt paginam: huc spectant morsuli de thure, pilulae de cynoglossa, philonium Roman. theriaca recens, ther. coel. diacodium tum liquidum tum solidum, cachunda Indica, bolus Armena, &c. Similem quoque sortiuntur effectum suffimigia mature in usum vocata, quibus impetus catarrhales

rhales ad miraculum usque refraenari possunt.

XIX. Suus etiam debetur honos sudoriferis, quae omnium optime peregrinum illud sal e sanguine foras eliminant, & debitam restituunt misturam, ut plus his proficiamus, quam catharticis frequentius exhibitis. Idem esto judicium de diureticis, quae serum & consequenter sal in illo dilutum exoptato successu educunt, eorumqee usus in curando & praeservando non est exiguus. Hinc oleum scorpionum magnum etiam foris lumbis illitum tantopere profuit in infante catarrho cum tussi & febri laborante apud *Riverium in observ. 55. cent. 1.*

XX. Fonticuli magna cum spe hinc inde excitantur, quorum tamen abusus paucis quoque notandus. Multi enim persuasum habent, humores istos, quos e fontanellis quotidie manare vident, esse meros excrementitios, & tantum catarrhis subtrahi, quantum quotidie hos per rivulos foras amandatur. Verum ingens profecto subest error, qui facile detegi potest, si in memoriam revocentur, quae alibi docui de sanguine, nempe quod sub forma sanguinis nec vasis egrediatur nec nutriat. Hinc rectius dicitur, materiam illam ichorosam vel purulentam, quam fonticuli lachrymantur, esse succum nutricium cum pauco cruore, quem dilacerata vascula capillaria effundunt permistum. Adeoque in illis qui lautius & largius coenant, aliquem praestare possunt effectum forte non contemnendum; dandum tamen aliquid consuetudini & credulitati, ut enim nulla fere datur religio, quae non suas habeat (sano tamen sensu) superstitiones, ita in ipsa medicina plura ejusmodi Idola reperiuntur, quae magnam sibi pariunt inter homines confidentiam, ut in ludicris his remediis aegros habeamus valde morigeros: in seriis vero & quae in cura omne ferunt punctum, semper contrarios. Nolo tamen Auctor esse, ut quis hisce motus ulcuscula illa statim occludere velit, id quod citra incommodum vel etiam periculum fieri nequit; consueta enim etsi deteriora insuetis minus nocere solent.

XXI. De remediis, quae praeservationis gratia exhibentur, notari adhuc volo, illorum usum Planetarum conjunctionibus & distantiis, nec non solis per Zodiaci signa motui accommodari debere, nisi magnas in oeconomia animali velis excitare turbas, vel saltem inanem ludere operam.

XXII. Sed quid de nicotianae fumo pronunciandum, qui multis, catarrhis vexatis, prodesse videtur? In cura palliativa locum sibi famosus hic fumus vendicare potest, & vires ejus quas Patroni pollicentur, plerumque in fumum abeunt; quis enim inficiabitur peregrinas has atomos in sanis etiam facillime raucedinem & tussim excitare? Quod si praetendatur, uirulentiam illam corrigi, vel potius virtutem exaltari posse, aromaticis oleosis, & aliquis sic jactetur effectus, is vel consuetudini vel solis illis aromaticis conferendus est, nec aliam forte ob caussam tabaci usus conceditur, quam ut proverbio satisfiat; *AEgrotantibus gratiae.*

XXIII. Tandem quum omne ferat punctum diaeta, quae a plurimis tamen negligitur, ut vera *Arabis* illius sit admonitio, quam in consilio Regi suo praescripsit, homines, si sic seipsos gubernarent, ut suorum equorum curam habent, minus aegrotaturos, sedulo ejus praecepta inculcari debent. Eligatur itaque aër serenus, vitetur ventosus, pluviosus, valde frigidus & calidus, vel si evitari non possit, suffimigiis in conclavi corrigatur. Quilibet caveat Solis & Lunae radios; hi enim catarrhum multiplicant, monente *Cratone in suis consiliis*; caput & thorax diligenter pannis muniatur, ut tamen non aestuet, neque frigeat nimium. Exercitium sit moderatum. Singulis diebus studeat excernere superfluitates faecum & urinae. Somnus sit nocturnus, diuturnus enim pessimus. Panis sit ex optimo frumento, bene fermentatus, sed sine sale. Carnes sint facilis digestionis, boni nutrimenti, & paucarum superfluitatum. Evitentur alliata, caepacia, caseosa,

reli-

reliqua enim lacticinia convenire videntur. Post cibum, quod *Celsus* praecipit, neque scribendum neque legendum, nec quicquam aliud moliendum, quod mentem exagitet; quibus enim caput infirmum est, iis ne cogitationem quidem a cibo tutam fore idem *Celsus* judicat: maxime itaque a coena ab iis temperandum, nec in multam noctem lucubrandum, multo minus inter comessationes sedendum. Pro potu ordinario commendamus cerevisiam sassafratam, a fortiori vero abstinendum. Vinum quandoque concedendum praeprimis extra paroxysmum, quamvis difficile valde sit etiam in ipso paroxysmo aliquid certi determinare, quum eum & profuisse & nocuisse compertum habeamus. Notatu dignissima est historia, quam narrat *Willisius* de juvene catharrhis valde obnoxio, qui quoties vinum bibit generosum, egregium semper percepit levamen; forte quod sic transpiratio aucta fuit. Sic quod uni nocet, alteri nonnunquam prodest. Habeat itaque Medicus rationem febris, & tussis, & tunc facile determinare poterit, quid aegrotanti profuturum.

XXIV. Animi pathemata cane pejus fugienda; animo vive pacato, tuaque sorte rerumcunque cum virtute junctarum conscientia contentus. Talis in animo tuo sit status, qualis supra unam: *ibi semper serenum*.

XXV. Restat nunc ut fidem in limine disputationis hujus datam liberem, astrorumque vim & efficaciam in microcosmum & praesertim fluidas ejus partes paucis adhuc ostendam, quam si probavero, nullus dubito, quin ipsa Astrologia judiciaria magnam inde foenerari possit lucem & confidentiam, in quam varii nescio cujus seculi vitio irrepserunt errores, ut viris doctis indigna judicetur & ad aniles proscribatur fabulas. Utut enim casta ac munda olim fuerit, hominum tamen vel improbitate vel inscitia ita depravata ac corrupta nunc est, ut vel ad nomen ejus piae horreant aures, Astrologusque non alium fere sonet, quam vanum, superstitiosum, impostorem Reipublicae perniciosum. Vide *Schotti curs. mathem. lib.* 10. *de Astrologia*.

XXVI. Ut itaque firmo stemus talo, nec titubante pede scopo nostro excidamus, argumenta quaedam, tum ex ratione, tum ab experientia desumta in scenam introducam. Quod forte tanti laboris opus non erit, quum facile consentiens mihi pollicear eos omnes, qui vel semel ad harmoniam inter macrocosmum & microcosmum in variis juxta phases Planetarum, variasque constellationes alterationibus conspiciendam attenderunt. Perpetuae enim veritatis regula manet *Hermetis Trismegisti*: quod est superius, est sicut inferius.

XXVII. Primum itaque argumentum desumo a natura astrorum praecipue autem fixorum, quae quum igneae sint naturae, non possunt non ignea per eclipticam continuo expirare effluvia, indefinitae figurae, magnitudinis & motus, pro astrorum etiam diversitate diversa, quae in aëre intercedente condensatione vel rarefactione varias tempestates, in gremio telluris vero variis cum salibus mineralibus fermentantia stupenda exhibent phoenomena, & sub schematismo vaporum plurima corpuscula a centro telluris versus superficiem protrudunt, quae cum aëre corpora nostra permeantia non possunt non peregrinas fermentationes & alterationes ibidem excitare, & quum astra, non obstante distantia, radiis suis in habitantium oculos noctu agant, nihil etiam obstabit, quo minus nonnunquam morboso sigillent sanguinem charactere.

XXIIX. Radicationes illae (quod alterum est argumentum) ubi primas jam deferimus Soli, a corporibus solidis, in quae incidunt & reflectuntur, aliam nanciscuntur cursus formam & insimul pro diversitate superficiei istorum corporum, qua Solem aspiciunt, iterum varii vapores diversi generis & naturae, non parum cooperante igne centrali, quem non solum in Luna sed in aliis etiam Planetis, forte similem illi qui in centro terrae latet, supponimus, cum illis radiis reflexis

ad

ad haec inferiora transmittuntur, majoremque sic nacti energiam vel viribus suis exhausti phaenomena in his inferioribus & sublunaribus exhibent, & in eo dicimus Planetarum consistere influentiam non solum in alia, sed etiam in nostra corpora: radios enim mille modis reflecti posse, eorumque vim nunc intendi, nunc imminui probant specula ustoria, nec non visivi illi radii, qui ab adstantis amici oculo inflammato versus oculos in eum aliquandiu intentos, reflectuntur; unde patet quod plurimi morbi astrales a variis Planetarum inter se invicem aspectibus, conjunctionibus, oppositionibus, &c. in corpore humano producantur, & quod ipsa insolita circa novilunium vel plenilunium superveniens sanguinis fermentatio, quando mulierculae tributum lunare solvunt, a nulla alia caussa, quam astrorum influxu dependeat, inter quae quoad emissionem forte praedominium obtinent Sol & Luna, in modificatione autem Planetae reliqui.

XXIX. Corruit sic argumentum in contrarium productum, quod ferreum alias & adamantinum audit, a distantia illa & immenso spatio, quod est inter Orbem nostrum & siderum vorticibus desumtum; in fluidis enim corporibus, ubi praesertim situs accedit convenientia nunquam effectus in distans impediri possunt; aeque enim facile aliquid a corporibus coelestibus in sublunaria intercedente aëre, corpore fluidissimo, adjuvante lumine, quod in pressione consistit, vibrari & transmitti potest, ac effluvia nunc grata, nunc virulenta & inimica intercedente corio in chirothecis plures per annos etiam per universum terrarum Orbem transportantur. Et qualis est proportio inter unicum granulum chermes vel colocynthidis, & aliquot haeminas aquarum, quae ab ipsis inficiuntur, talis est, & forte major adhuc, siderum respectu nostrum tellurem inhabitantium. Si excipias, moleculas illas a sideribus emissas & paucas fore & insensibiles, respondeo, & morborum caussas insensibiles esse, effectus vero sensuum examen effugere non posse: vide elegantissimam *Ettmulleri disputationem inscriptam: parva magnorum morborum initia*. Quantitatem quod attinet, nec haec satis potens est, ut fermentum aliquod in profundioribus latens tubulis semper excutere possit, sed sufficit certa materia aetherea, quamvis tanta in copia non influat: sic in febri ardente variolarum fomes latebris suis non excutitur, quamvis eo tempore major copia materiae aethereae corpori insit, & mulier extra consuetum fluxus mensium tempus stans ad focum plus incalescere, & copiosiorem admittere potest materiam aetheream: neque tamen menses fluunt, nisi certa illa materia aetherea, talem determinatam in sanguine producens fermentationem, accedat, a qua sanguis ad excretionem illam menstruam demum disponitur; sic magnes in ignem conjectus nihil virium acquirit, sed potius illas deperdit, quamvis copiosior materia aetherea ipsum permeet.

XXX. Multo minus obstat, quod aspectus, nempe revolutio, oppositio, &c. momentanei sint, & transitorii; solent enim, non solum signa instantis aspectus praecedere, & cessante iterum aspectu manifesta effectus vestigia plures per dies adhuc in sanguine reperiuntur. Non enim statim omnis effectus sublata caussa tollitur. Solis ingressus in Arietem in certo fit temporis minuto, quando aequinoctium vernale constituit, & tamen aliquot diebus, non dicam septimanis ante aequinoctium insignes mutationes, & turbae in oeconomia animali observantur, & transacto aequinoctio aliquandiu continuantur.

XXXI. Observari autem velim influentiam illam in sublunaria, non solum in lumine, & calore quaerendam esse, quod ipse *Schottus* insignis Mathem. *in tract. superius alleg. p.m. 298.* confitetur: *Coelum,* inquit, *& astra non per solum lumen, & motum agunt in haec inferiora, sed per alias etiam virtutes, quas communiter influentias appellant Philosophi. Probatur*, (1.) *quia non omnium effectuum, quos a Coelo, & astris pendere certo scimus, caussa reddi potest ex solo lumine, nam multi contingunt*

etiam

etiam quando astra, a quibus dependent, sunt infra horizontem, & nullum lumen producunt ibi, ubi effectus contingunt, ut est fluxus, ac refluxus maris, qui fit a Luna etiam infra horizontem existente. (2.) *Quia effectus qui Soli, Lunae, Marti aliisque Planetis adscribuntur, sunt valde diversi, & tamen lumen ipsorum non videtur esse adeo diversum, quum sit in plerisque lumen Solis, receptum a Planetis, & reflexum ad haec inferiora, tametsi aliqui etiam abunde lumen habere videantur.* (3.) *Quia lumen, ut lumen est, solum illuminat, & aliquando calefacit etiam: ergo ut sidera tam diversos effectus producant, debent praeter lumen habere alias virtutes:* huc usque ille. Quas virtutes nos in certa materia aetherea, nunc cum his corporibus magis fermentante, quam cum aliis venamur, satis virium habente, ut alias atque alias sanguini nostro superinducere possit fermentationes, ut non plane sit de nihilo in exhibendis medicamentis catharticis ad constellationes attendere. Remorantur sane purgantia, quando Luna conjunctione, oppositione vel quadrato tangit Jovem, Martem, vel Saturnum, ob causas tamen diversas, quas *Moebius in justit.* adducit, qui videatur. Tanta nempe vis est istarum radiationum, ut sanguis ipsis auscultans, nunc facilius, nunc difficilius purgantium motum, & impressionem suscipiat. Neque ita absolute asserere audeo, omne lumen in Planetis aeque ac fixis translatitium esse; quamvis enim non sint corpora calorem inducentia, sunt tamen corpora splendentia, similia gemmis, chrystallo, & aliis, in quibus tamen non obstante etiam duricie, varia quotidie emanant effluvia. *vide tract. illustris Boyle de gemmis.* Adeoque forte magis apta erunt certa quaedam effluvia pro diverso situ, & positione emittere; non enim video quare corpora illa, in Coelo superbientia effoeta prorsus, & inertia esse credamus, ut nervosae hinc non minus, quam vere scripserit celebris ille Mathematicus *Abdias Trevv*; quid opaci sub luce Planetarum, & siderum latere, quum diversos exhibeant colores, id quod Martis rubor, & vicarii ipsius cordis Scorpii, candor Veneris, & Sirii, nec non Saturni pallor evincunt.

XXXII. Neque tamen induci possum, ut facile credam, quosdam Planetas esse absolute malignos, quosdam vero benignos: quam difficultatem antea laudatus *Dn. Trevv. professor Aldorfinus in Astrologia sua medica* felicissime soluit, de quo celeberrimo Mathematico meo quidem judicio vere dici potest, quod de *Angelo Sala* Chymico expertissimo, non nemo scripsit: quod nempe solus inter Astrologos mentiri dedidicerit. Vide plura *in allegato tractatu p. 11.*

XXXIII. Consistit autem siderum influxus in insigni quadam sanguinis turbatione, vel amicabili superaddito vigore, ut alacriores inde exurgant spiritus animales, vel si sanguis turbetur, & hi deficiant, ac in placido suo ordine, & tranquillo fluxu impediantur. De Sole equidem nemo mihi facile litem movebit. Sed an Luna in hac sublunaria agat, sibique aliquod in microcosmum vendicet imperium, super eo Auctores inter se invicem contendunt. *Antonius le Grand* vir doctissimus, & disertissimus astris omnem vim derogat, & ipsius Lunae influentiam constanter negat. Ad argumentum autem de conchis, medulla ossium, &c. desumtum, & experientia nitens nihil aliud fere reponit, quam quod contrarius etiam affectus observari possit. Quam tamen responsionem ipsa refellit αὐτοψία, & Patresfamilias contraria suppeditare possunt argumenta de cancris, quos juxta phases Lunae plus minus succi plenos, & humoribus turgidos reperiunt. Alterum experimentum, lunarem influxum satis efficacem esse probans, a vulneribus capitis desumitur, quae consentientibus omnibus Medicis, & Chirurgis in plenilunio majori cum periculo conjuncta sunt, quam in novilunio; propterea quod cerebrum in hoc magis subsideat, in illo vero magis turgeat, ipsique cranio propius sit. Et quis ex Medicorum ordine inficiabitur, omnia purgantia feliciorem sortiri effectum Luna decrescente exhibita, cujus infaustus aspectus facit, ut omnes illo tempore nati

ti valetudinarii sint, nec prospera valdeque constanti gaudeant sanitate, nisi forte alia potentior caussa id impediverit, quod saepius laudatus *Trevv.* in sua observavit familia. Quod si nunc solidis rationibus obtinuero Solis, & Lunae influentiam efficacem, nullam video praegnantem caussam: quare si non parem saltem aliquam vim reliquis Planetis, & stellis fixis tribuere velimus, quum majorum luminum influxum in haec inferiora ipse etiam *Verulam.* admittat, quae bombardarum instar esse scribit, quamvis de minoribus valde dubitet, quae instar arcus tantum non habere virium persuasum habet, ut per tam amplum spatium ferri queant. Non jam dicam de scarificatione, & sudoriferis, quae pariter favente Luna in usum vocanda, nisi plus damni, quam commodi inferre velis.

XXXIV. Constellationes variosque siderum aspectus, & motus ad sanitatis conservationem, vel etiam morbosam introducendam dispositionem plurimum conferre tandem eclipsis testis omni exceptione major abunde satis contestatur. Cujus effectus caussam in luminis privatione consistere puto, quod magnae alias est efficaciae in corpore humano, & sanguinis circulationem spirituumque generationem, non parum promovet. Ast quod sinistrae illae constellationes, non omnibus promiscue noceant, caussa est, quod non omnium sidera natalitia aequali feriant aspectu. Si enim sideris alicujus hoc tempore influentis magna sit cognatio, cum natalitio aegri, ipsa curatio erit difficilior, quod non advertentes Medici, nihil fere habent, quo curae difficultatem variasque recidivas saepius excusare possunt: EXPERTO CREDE ROBERTO.

XXXV. Quaeritur hic, qui fiat, quod Medicis de subitanea atque funesta mutatione ne cogitantibus quidem, in multis tamen aegris inopinato ejusmodi, & subitaneo superveniente novo morbo eventus sinister, & Medici prognosin, & aegrotantis spem eludat? Placet mihi decisio *Abdias Trevv.*, qui in ea est opinione, dari symptomata morbis supervenientia, quae ab ipso morbo, quocum aeger conflictatur, non dependeant: vide *thes. 46. disp. 3. Astrologiae medicae*. Nempe quoties Luna ipsum gradum signi alicujus natalitii ingrediens, aut nodum descendentem, quem caudam Draconis vocant transiens, in radios mali cujusdam Planetae (Martis praesertim aut etiam Saturni) incidit, tunc catarrhus suffocativus, apoplexia aut similis peracutus paroxysmus inducitur, qui finem vitae aegrotantis imponit. Tantam enim Lunae esse potentiam in tempestatibus in aëre excitandis in confesso est apud omnes Astronomos, ut exinde concludamus similes turbas in oeconomia animali pari facilitate moveri posse.

XXXVI. Antequam autem colophonem his imponam, quaerere placet, quare Astrologia judiciaria juxta ephemerides veterum instituta saepissime fallat? ℞. Caussam esse translationem stellarum, a Hipparcho enim ad nos observatum est, Solem incessanter descendere (liceat mihi juxta commune Mundi systema loqui) ad terram, unde praevenit solstitia, & aequinoctia, angustiores circulos describendo, & sic terrae continuo fit propinquior, unde obliquitas circa tropicos decrescit, hinc fit, ut intersecet AEquatorem etiam prius quam olim. Observant enim Mathematici, quod post annum 1770. nulla stella amplius erit in Ariete, sed omnes in Tauro: stellae Tauri multae sunt in Geminis, Geminorum fere omnes in Cancro; Cancri multae in Leone &c. quomodo ergo de effectibus stellarum, nunc a stellis in alia signa traslatis judicare Astrologus potest. Hinc magna opus est reformatione, neque tantopere mirandum, si nostris temporibus Astrologorum judicia, ut plurimum sint falsa, quum nempe adhaerent antiquorum scriptis, qui scripserunt de virtutibus stellarum, in quo statu erant, non respicientes ad earum mutationes, quas nostris temporibus experimur. Ut quam maxime necessarium videatur, novam ab experientia hodierna petitam cudere Astrologiam, nisi cum aliis coecutire velimus. Interim hoc nostram sententiam non impugnat; non enim exinde sequitur,

astra

astra plane non influere in sublunaria, sed illa saltem nunc alios sortiri in his inferioribus effectus quam olim. Ego contentus, quod studiosos medicinae ad consideranda sidera hortatus sim, in quo non exiguam officii partem consistere credant, nunc pauca de Cometarum in foro medico effectibus annexurus sum.

XXXVII. Nolo autem hic prolixius in Cometarum naturam, & caussas inquirere, id quod viri me longe doctiores jam praestiterunt, sed Medico magis dignum esse puto, vim Cometarum, & effectum indagare, ut quos morbos, si quod habent in sublunaria imperium, & quas turbas in oeconomia animali producere possint palam fiat. Sunt qui Cometarum auram Regibus solum funestam fore praedicunt, & vapores istos malignos quasi per tubum magnatum palatiis afflari credunt, ut hujus vel illius Principis ingrediantur conclave, ibique virulentiam non vero alibi exerceant. Quod rationi, & experientiae refragari persuasum habeo. Omnibus conspiciendus Cometa in Coelo exponitur, adeoque omnes etiam hoc tangit prodigium, in cujus effectus determinatione experientiae plus videndum esse statuo quam ratiociniis. Quod si auctoritate stare velimus, videtur equidem, effectus parum secundos Cometarum semper sequi apparentiam, facile evinci posse, id quod per innumera exempla a *Trismegisto*, cujus existentiam, & profundam in rebus naturalibus scientiam solidissimis vindicat rationibus *Borrichius* noster contra *Conringium Medicum*, *& Politicum consummatissimum*, ad haec tempora usque eleganti serie *probat Comes a Flisco in spaera prima decadis de Fato.* Et Cometas hoc seculo apparentes determinatos semper habuisse effectus ipso effectu demonstrat M. Georg. Samuel Birling. in tr. hoc anno Erffurti edito. Incipit hic Auctor a Cometa Anni MDCLII. pergens ad Cometas Anni 61. 64. 65. 77. ad illum hoc anno apparentem, & ad oculum ostendit, auguria illis temporibus facta nunquam fefellisse.

XXXVIII. Nihil itaque obstabit, quominus de Cometa, quem hac hyeme non sine horrore conspeximus, infausta quoque praesagiamus nobis tempora, vel metuamus: tales tamen potissimum morbos ab eo produci posse, non sine ratione statuimus, qui insignem mistionis sanguinis turbationem a peregrino aethere introductam sequuntur, quales sunt febres acutae, dysenteria pestilentialis, abortus, apoplexiae, mortes inopinatae: imo quod saepius fieri solet, etiam nunc metuendum, ne incognitus quidam morbus epidemicus brevi insequatur, cujus vim non parum adaugere poterit magna illa Jovis, & Saturni conjunctio, anno 83. exspectanda. In quo prognostico si erravero, gratiam tamen mihi erranti habebit Lector benevolus: sin contrarium accidat, in illa Medicorum messe, vel autumno, & ego non minus in maximo versabor periculo; id quod constanti exspectabimus animo quibus solatio est, quod sub Deo simus.

XXXIX. Sed unica difficultas adhuc componenda restat. Videtur enim impossibile, ut Cometarum effectus plures post annos demum sese explicent: id quod argumento est plurimis, ut Cometas nihil praesagire posse persuasum habeant. Verum si longissimum illud iter quod effluvia ex Cometa per aërem ad tellurem nostram emetiri debent; si temporis diuturnitatem, quae ad evocandos vapores e telluris gremio, & excitandas tempestates tum in aëre tum in oeconomia animali requiritur, ad animum revocemus, & philosophico oculo reliqua intueamur fermenta, quae nonnisi temporis diuturnitate ad maturitatem, & activitatem exaltari queunt, difficultas illa facile tollitur. Praesertim quum experientia constet, ipsa venena ita praeparari posse, ut assumta non nisi longo abhinc tempore virulentiam exerceant, sic referente Dappo in Indiae Occidentalis districtu Guatemala dicto viperae reperiuntur, quarum sanguis foris illitus corpori humano, plures post annos tandem hominem jugulat. Poterunt itaque affluvia illa venenata haec in inferiora ab astris sparsa lento quidem gradu vitae nostrae insidias struere, sed tardita-

ditatem tandem funerum frequentia compensare. Plura nunc non addo, ne falcem in alienam messem mittere videar, qui mea sorte contentus vivo. Quod si alios Cometarum effectus scire desideres, lege Weigelii dissertationem de anno 1680. 6. Novembris. Fieri non potest, quin homini, & quidem christiano, serio singula expendenti, obrepat deliquium animi, ut acerrimi luctus necessitate mentis in excessu clamet. Haud equidem vulgari fletu, vel cito finituris gemitibus, seculi nostri deploranda est pravitas. Tantum.

DISPUTATIO IV.
DE MORBIS AULICIS,
RESPONDENTE
WILHELMO HULDERICO Waldschmidt Hanoviensi.

J. N. J.

§.I. Theatrum hic exhibeo languentium, conspectui sistens omnis generis morbos, quibuscum conflictantur *Aulici*. Tenet me profecto istorum hominum commiseratio, quod tot morbosis expositi insultibus apud alios tamen extra aulam viventes ad invidiam usque felices audiant, quasi nescio quam praerogativam a summo rerum arbitro Deo obtinerent, quum tamen si cominus ipsorum mecum intueri velis vitam, eam rectius splendidam dixeris miseriam.

§.II. Quamvis enim, & in hoc vitae genere multi, & quaerant, & inveniant oblectamenta, remissiones & voluptates: atque plurima quotidie in augusto hoc theatro exhibeantur irritamenta, curiosos spectatores invitantia, nullum tamen, in scena hac, tristius atque commiseratione dignius occurrit mihi Medico spectaculum, quam ipsi *Aulici*; quippe & in hac quoque gente quaedam morborum vis haeret, quam singulis sua fata, diviserunt, & magnam hanc aulae felicitatem infelix inquinat lolium. Vix enim ludum hunc ingressi sunt, ecce! Hannibal ante portas. Sequuntur a tergo myriades morborum, nunc aperto Marte, nunc ex insidiis, & per cuniculos agentium. Quot in hac honoris scala carnis gradus, tot numerabis morbos; quid mirum igitur, si fragilis corporis machina titubet, si ruinam minetur, ubi spiritus tot severioribus curis quotidie vexantur? quid aliud polliceri possumus, quam languores, & imbecillitates, ubi vires tot laboribus, inquietudine, fide meticulosa, aliisque passionibus atteruntur, sanguis exhauritur, ut ipsa anima corporea tandem fatiscat, & aliquid saltem pennarum ad hunc viscum relinquat.

§. II. Neque enim politicam a me expectabis vitae aulicae descriptionem, aliaque, rationem status, ut loquuntur, spectantia, utpote quae meum superant captum, & extra professionis metam posita sunt. Quod si te ea vivendi teneat cupido, explebunt forte ea, quae apud *Barclaium* leguntur, & quae nuper tradidit *discalciati ordinis Pater Abraham a Sancta Clara in suo Judas*. In eo omnes conveniunt, *Aulicos* miseram agere vitam. Ut non male hic applicare possem, quae *Seneca* alio in argumento scribit ad *Marciam*, si mutatis personis dicerem: eos ad hoc genitos esse, ut perderent, ut perirent, ut sperarent, metuerent, alios seque inquietarent, mortem & timerent & optarent, & quod est pessimum nunquam scirent cujus essent status. Sed Medica tradam, atque tum apertos, tum clandestinos, in scenam introducam sanitatis hostes, oeconomiam animalem, nunc turbantes, nunc penitus evertens. Et ne crambem bis coctam obtrudam, non jam in digitos mittam, quot ex spirituum animalium, tum inopia, tum vitioso motu,

quo-

quotidie prodeant morbi, quippe illud jam mecum norunt omnes, qui indolem fluidi istius atque aetherei corpusculi norunt. Et tota experimur die, omnes istos frui exoptata valetudine corporis, quibus concessum est seviores curas ante limen coenaculi & cubiculi exuere: quibus mens laeta mens hilaris, quae non semper sub calculum vocat, quid valeat loculus, quid ferre recuset. Itaque summa saltem rerum capita digito attingam, atque in compendio theoriam & praxin circa morbos *Aulicorum* ob oculos ponam.

§. IV. Primum itaque in hac acie constituunt ordinem morbi chronici, ob quotidianas, quas audimus querelas, Medicorum flagella & opprobria dicti. Horum fomitem in primis viis, hoc est, ventriculo, communi chronicorum nido, & intestinis, contumaciorum affectuum promo condo, delitescere persuasum habeo. Quod si schapham appellare liceat, non possum non, quin hic in jus vocem ipsa alimenta, atque nigro notem carbone, tum ciborum varietatem, vitiosam qualitatem, & erraticum sumendi modum; tum potum recentem, fermentescibilem & turbidum, mox vappidum & effoetum: nunc generosum nimis sulphure pinguiori exaltatum, & acido volatili inquinatum. Ex hac pandorae pyxide prosiliunt morbi splenetici, uterini, hepatici, &c. vulgo dicti, quales sunt morbi scorbutici, hypochondriaci, asthma stomachale, colica, affectus cardialgicus, cephalalgiae contumaces, catameniorum suppressio, affectus haemorrhoidales, passio nephritica, & sexcenta alia.

§. V. Vinum harum aerumnarum ferax est, quamvis enim nunc desueverint Germani in altam potare noctem; nec amplius stupendis veterum scyphis nectar hoc ambrosium propinetur: occasio tamen quandoque facit furem, laxatque habenas, ut praesente etiam Medico interdum peccetur in quanto, qui quum homo sit aliquid humani connivendo concedit, vel ipse compatitur. Et bonus quandoque dormitat homerus.

§. VI. Hoc usque adeo male olim audivit, ut ipse Cous illo pueris ceu veneno interdixerit, ne scilicet prima statim in infantia & aetatis flore parva magnorum morborum succederent initia, & morbosa haurirent semina obstetricante tempore germinantia. Infensum id quoque est sexui sequiori, praesertim gravidis & lactantibus, quae si a vini potu abstinerent, pauciores credo repertos iri calculosos, arthriticos, phthisicos, epilepticos, scorbuticos, utpote qui morbosa haec semina vel in ipso utero cum chylo, & post nativitatem ex uberibus cum lacte absorbent. Temporibus medicina valet: data tempore prosunt, & data non apto tempore vina nocent.

§. VII. Equidem abusus non tollit usum: neque is sum, qui dicam scribat vino, jam a multis annis in plurimis gravioribus morbis depellendis celebratissimo. Hinc ut libertatis ita vini salubris moderatio est; & quemadmodum moribundos vino refocillamus, ut reviviscere novasque vires recuperare videantur: ita quandoque non licet sine vino nasci; quum vel centies expertus sim, vinum parturientes mirum in modum solari, si vel aquae nervinae sororietur, vel solum subinde & cochleatim exhibeatur, aut cum succino prius coctum propinetur, & si prima vice expectationi non satisfecerit, elapso hore spatio altera vice assumatur, ut dicere ausim vix in difficiliori partu praestantius dari posse remedium.

§. VIII. Verum ne a scopo aberrem, redeundum mihi est ad investigandas caussas morborum chronicorum, utriusque sexus *Aulicos* prae aliis infestantium. Existimo autem, illas vix aliunde, quam ex primis viis, communi nempe culina cum suis appendicibus, deduci posse. Sive enim ad antecedentes respiciamus caussas, sive ad ipsa juvantia attendamus, utrinque habebimus argumenta, opinionem nostram non parum corroborantia. Excute quaeso Magnatum dapes, reperies quae ex maris abysso, desertorum speluncis, & nullo non orbis angulo fuere

con-

conquesitae, exotica notabis corporis oblectamenta, cum quibus saepius lethale virus hauriunt cupidi. Sic barbarorum adimus sedes, quas Sol adurit, vel quae perpetua rigent glacie, & quae nobis domi nascuntur, ceu vilia spernimus. Intuere operosa, quae Principum mensis nunc opponuntur, bellaria, notabis mille delicias, saccharata, mellita & quae non? Sed omnia flatulenta & subitaneae putrilagini, si sui fiant juris, saepius obnoxia, quae in ventriculo corrumpuntut, aliaque assumta simili inquinant labe, inde chylus nunc putrilaginosus, liquidus nimis & indigestus, nunc acidus, pituitosus & viscidus prodit, Auctor omnium istarum aerumnarum, quibus oeconomiam animalem turbari videmus: quippe dulcia illa vaporosa sunt, & vel emittunt, vel post se relinquunt miasmata, quae hinc inde mali genii instar oberrantia functiones, tum vitales, tum animales labefactant, & inordinatis suis, quas producunt, fermentationibus, viscerum fermenta enervant, totamque massam sanguineam cum reliquis humoribus circulantibus inficiunt, ut quandoque peregrina sub larva ipsis imponant cum Medicis tum aegrotis, morbi sedem nescio in quo viscere quaerentibus: quum tamen haec bene se haberent, nisi e communi culina peregrinus, qui turpius ejicitur, quam non admittitur, hostis, advolaret. Stat Medicorum sententia. Vitia primae coctionis nullibi corriguntur: & qualem ventriculus praeparat chylum, talem cor conficit sanguinem; & qualem cor e suis thalamis ad partes totius transmittit sanguinem, talem habebunt calorem nativum, cujus ratio formalis non tam in partibus solidis, quam fluidis, consistit. Sed surdis narramus fabulas: sicut unius saltem exempli mentionem faciam, inter centum vix una erit aut altera, cui persuadere possis, famosam illam passionem uterinam non tam in utero, quam in ventriculo suos habere natales, & consensum uteri cum reliquis visceribus mere imaginarium esse, quum id luce meridiana clarius sit, ipsaq; edoceant phaenomena aliaeque circumstantiae focum morbi in primis esse viis. Id quod adeo evidens est, ut ego, si nullum aliud habeant fundamentum praeter consensum & ascensum uteri, pari facilitate probare ausim, symptomata suffocationem uterinam concomitantia non ex utero, sed ex vesica urinaria, ortum suum trahere.

§. IX. His suum superaddunt pondus juvantia: quorum pars maxima in regulis diaeteticis consistit, quum praefati morbi omnium optime sola diaeta curentur, additis subinde medicamentis deobstruentibus, acidum & austerum invertentibus vel absorbentibus, atque vitiosam lympham e glandulis, tum ventriculi, tum intestinorum (quo & pancreas referimus) affluentem emendantibus, de quibus inferius plura dicturi sumus.

§. X. Accedit porro & hoc, quod *Aulici* fere ad unum omnes difficiliores, vel dubii eventus, sint purgationis, ut vel a fortiori cathartico hypercatharsin patiantur, vel a lenissimo gravissimam incidant colicam, nulla subsequente humorum evacuatione. Quum enim ipsa purgantia humores flatulentos primis in viis restagnantes exagitent, & ad majorem rarefactionem deducant, hi intra cancellos suos amplius detineri nescii majus affectant spatium, ipsumque ventriculum, intestina, & ipsum abdomen vi sua expansiva distendunt; & quia ob visciditatem nerveis fibrillis contumacius adhaerent, lancinantes excitant dolores, partesque membranosas mirum in modum concutiunt & convellunt, ut non postremus existimationis sit gradus, si Medicus aulicus purgare possit citra magnam humorum turbationem, & ut talia excernantur qualia debent, ipseque aeger bene ferat operationem. Sit itaque Medicus in dignoscendis subjectis, & praescribendis catharticis, ipso Argo oculatior: siquidem per hanc viam vel ad lubricum famae culmen attollitur, vel fulminis instar praeceps agitur a summo ad imum.

§. XI. Sub caussarū censum veniunt quoque aliae, occasionales dictae quales sunt vigiliae, consuetae evacuationis, suppressio, aër nocturnus, ventris & thoracis arctior

con-

constrictio, capitis denudatio, animi graviores passiones, timor, moeror & aemulatio; haec enim ab Aulico vix evitari possunt, & viam sternunt ad graviores morbos. Verum, si ex aemulatione quis statim aegrotaret, quam non reportarent aureae messis segetem Medici extra aulam viventes? in quorum contemtum alias in proverbium abiit. Medicus Medicum & figulus figulum odit. Nunc enim malum hoc omnes infecit ordines, ut nullum fere reperiatur collegium, quod non suos alat figulos; omnes tenet ambitio: haec parit odium obstetricante invidia: odium sui foecundum ex quavis caussa saevit, & livor semper reperit odiorum caussas. Vigent aemulationes, maleque tectae simultates inter pastores, praeceptores, & alios, quorum officiorum nomina incipiunt cum P. & desinunt in es. Sed forsan & haec olim meminisse juvabit. Ego, ut ingenue fatear, plus vidi Christianae charitatis, plus humanitatis, gratitudinis & sinceritatis inter Aulicos, quam inter alius ordinis homines, ubi fratrum quoque gratia rara est.

§. XII. Properandum nobis est ad curationem: quae ut methodice instituatur, ante omnia cogitandum est de *evacuatione* & de *correctione*: illam *emetica*: hanc *digestiva*, *absorbentia*, & *praecipitantia* nobis pollicentur. Equidem rationi & experientiae quam maxime consonum est, emetica nunquam non fore proficua, quum ipsorum ope ventriculus omnium optime a sordibus liberetur. Perpetuae veritatis lex est: ubi ingluvies & voracitas, ibi cruditas; ubi cruditas, ibi vomitus prosunt. Non loquor autem de remediis politicis, quibus quandoque effusissimae fraudis ministri, superveniente fideli Medico, Principi suo oculos reddente (nam Princeps non omnia potest solus, proinde multis illi manibus opus) reddere coguntur, quod abstulerunt. Sed de emeticis in foro medico venalibus mihi sermo est: quod remedii genus vix par habet in chronicis his morbis profligandis, ut non erubescam profiteri, auliatrum, tuto emetico & medicamento martiali instructum, armatum satis esse pro his hostibus debellandis, neque opus habere majori apparatu, quum & vomitorium, & absorbens, utramque hic faciant paginam.

§. XIII. Sed nescio quis me compellat. Heus tu, inquit, bone vir! curasti probe. Tunc fortiora haec tanto cum elogio suadere audes remedia hominibus non in caula sed in aula natis, naturis tenerioribus, & quorum corpora adeo mollia sunt, ut ipsis exagitatoria illa nonnisi summo cum discrimine exhiberi possint? Verum bona verba, quaeso! homo sum, fruar ergo humanitatis jure, & meorum quoque verborum ero interpres. Terror hic, quem emetica injiciunt, panicus est: quum vomitus, benigniori excitati emetico, plus alant terroris quam periculi. Neque tamen mea fert opinio, ut emetica promiscue & illotis manibus dispensentur, sed ut prius omnia aequa trutinentur lance, atque ad prohibentia & permittentia sedulo attendatur, praesertim in sexu foemineo, in quo graviores ab usu emetici excitari possunt passiones hystericae, quae licet vel unico sedativo compesci possint, ipsius tamen Medici existimationem quandoque non parum imminuunt.

§. XIV. Conditiones hoc in casu observandas omnium optime & in compendio describit celeberrimus *Wedelius*. Omnis, *inquit*, hic timor vel odium vel calumniae cessant, modo tria attendantur. 1. Corporis ipsius status & praesentia materiae positivae indicantis, & ad educendum aptandae. 2. Medicamenti ipsius justa praeparatio. 3. Praebium proportionatum non excedens. Quod si nihilominus inopinata eveniat hypercatharsis vel debilitas quaedam, ipsi huic provida cura Medici facillime prospici potest.

§. XV. Equidem quod secundam attinet conditionem, tanti ea est ponderis, ut ab ea salus aegrotantis dependeat. Nam emetica non rite praeparata vel remissius agunt, vel solito fortius. Hinc SERENISSIMUS HASSIAE LANDGRAVIUS, PRINCEPS AC DOMINUS NOSTER CLEMENTISSIMUS civitatis nostrae Pharmacopolis in mandatis dedit, ut in posterum omnia chymica praepararent

in

in laboratorio academico sub oculis Medicorum, quibus praeterito anno in Academiae splendorem, & subditorum salutem publicum hoc laboratorium clementissime dono dedit; in cujus introitu devota haec legitur epigraphe.

CAROLO
PRINCIPUM OPTIMO
NATURAE ET ARTIS CONSO AC EVERGETAE
LABORATORIUM CHEMICUM INDULGENTI
GRATITUDINIS ERGO
HOC MONUMENTUM POSUIT
ANNO MDCLXXXVI.
UNIVERSITAS MARBURGENSIS.

§. XVI. His feliciter peractis in usum vocanda erunt Martialia, sive ea in sicca sive in liquida forma propinaberis: qualia sunt crocus Mart. sulphurat. tinctura Mart. tartarisata, tinctura Martis volatilis. Tinctura Mart. pomata, malvat. vel cydoniata. Haec absorbendo deobstruunt, praecipitando invertunt, & acidorum Salium cuspides intorquent & obtundunt, aestuantemque bilem blande refrigerant. Quo nomine & inter digestiva primatum obtinent: eoque felicius operantur, quo liberalius alvus suo respondet officio. Quod si haec muneris sui obliviscatur & segnior evadat, necesse est, ut aloëtico, vel passulato aliquo benigne moneatur.

§. XVII. Huc quoque spectant acidulae, in reserandis viscerum obstructionibus si non efficaciores saltem non minus potentes, quum acidum inversum ob phlegmatis, quo pollent, copiam magis dilutum felicius foras eliminent, ipsasque mucilaginosas sordes parietibus ventriculi & intestinorum adhaerentes educant. Verum! eo nunc, proh dolor! devenit, ut in locis illis, in quibus frequentantur acidulae, omnia ad luxum fastumque componantur, proscripta hac Medicorum regula: *non satiari cibis est medicina universalis*. Vide certe, quod acidulae male cesserint, ob nullam aliam caussam, quam quod appetitui nimium fuerit indultum. Quum enim hic ut plurimum intendatur ab acido antea compedibus ligato, nunc autem soluto, sicque hydropotis imponat, ut credant, bene nunc cum ipsis agi, fit ut de novo plus cacochyliae colligant, quam acidulis emendari vel evacuari possit. Accedit inveteratum quoddam praejudicium, dum hactenus ad unum omnes ipsas acidulas inter cathartica habuerunt, quibus potior locus debebatur inter alterantia, semper parce & modice exhibenda. Hinc mirari subit, quid Medicos induxerit, ut acidulas in tanta copia hauriendas praescripserint: aut enim suas exerunt operationes purgando, aut alterando. Si alterando: cui bono quaeso in tanta copia assumuntur? Si purgando, quomodo ipsarum usus in tot dies citra periculum protrahitur? Itaque melius illi suae consulunt sanitati, qui eas partitis vicibus bibunt, idque plures per septimanas, interposito semper blandiore quodam abstergente, aut detersivo amaro, sic voti compotes lento quidem, sed recto tramite perveniet ad metam. Acidulae sunt remedium empyricum: aut juvant, aut nocent: tertium dari nequit.

§. XVIII. Alteram morborum *aulicorum* classem componunt illi, qui formam, nitorem, & corporis habitum externum propius tangunt, quales sunt rubedo faciei, gutta rosacea, scabies, dentium nigredo, gingivarum laxitas, & putredo, foetor oris, & hujus commatis plures, quibus recensendis, nunc non immoror. Et quantum quidem ad rubedinem faciei, & guttam rosaceam, solet vulgo accusari nescio, quae hepatis intemperies calida, vel contradictionem involvens antipraxia viscerum. Verum quum viscera nunc non amplius eo fungantur munere, prout quidem ab antiquis fuit creditum, nec diverso alantur sanguine, utpote qui

unus

tinus idemque ad corporis partes solidas dispensatur, merito has caussas ad aniles referimus fabulas.

§. XIX. Vera autem, & constans mali hujus sedes est in ventriculo, ejusque caussa, non tam in calore, quam acido vitioso plus minus volatili consistit: quippe horum hominum sanguis ad coagulationem semper pronus est, hinc vidi, quod si ex praescripto Medicorum ad refrigerandum hepar julebos, acidulas, serum lactis, aquam citratam largius biberint, eo magis malum indies fuisse auctum, quia frigida illa tonum ventriculi labefactant, fermentum obruunt, digestionem turbant, & cruditates augent. Itaque praeferimus praecipitantia, vel rectius absorbentia dicta, v. g. ebur s. igne lap. canc. tartar. vitriolat. antimon. diaphoret. antihecticum Poterii, stomachicum ejusdem, bezoardicum Martiale Ludovici, liquorem volatilem nostrae descriptionis, qui adeo potens est in refraenando acido volatili, ut ex paucis guttulis instillatis vinum album rubrum induat colorem. Interim vino interdicendum, & quolibet liquore inflammabili. Neque omittendae sunt venae sectiones, & scarificationes frequentius institutae. Symbolum suum quoque conferunt fonticuli, de quibus *Osvvaldus Grembs*; & setacea, quae non sine ratione commendantur in *D. Johannis Franci* Medici Augustani tractatu de setaceis. Externa cosmetica dicta hic famam nunquam sustinent, suosque deferunt Magistros, qui ut aliquid lucrentur, fucatis his plerumque aliis fucum faciunt. Possem ego vel mille ejusmodi nugas hic referre, mercurialia, vel ex talco, marcasita, aliisque similis farinae quisquiliis parata, quae omnia vel incassum adhibentur, vel si prodesse videantur, id non tam cosmetico, quam frictioni excrementa tertiae coctionis vulgo dicta tollenti in acceptis ferendum; sic enim humores antea restagnantes iterum alacrius per tubulos, & vascula capillaria circulantur, in quo totius rei cardo vertitur. Quod si opinioni aliquid dare velis, en sequens, quod in Gynaeceis inter arcana habetur. ℞. Porcell. lactant. mundat. & eviscerat. concis. & contus. inde cucurbitae vitreae, affunde vin. Hisp. mens. iij. adde cochlear. mens. j. pom. cit. no. iij. sacchar. cand. unc. iv. destill. l. a. & receptaculo imponantur fol. auri no. iv. post expon. radiis solaribus per tres septimanas.

§. XX. Ad dealbandos dentes tartarisata, ad firmandos styptica ex lacca commendamus. Et sicuti dentes niveo suo colore superbientes perfectam chylificationem comprobant, ita circa ipsorum radices, & in confinio gincivarum ipsis adhaerescens mucus cacochymicum sanguinis indicat statum. Si enim amurca talis e gingivis exprimatur, indubitatus lymphae corruptae erit testis, cujus acorem, & viscositatem, tunc quoque ex aliis signis haud obscure colligimus. Fugienda autem sunt intense frigida, & intense calida, hinc nocet potus gelidus, & ipse potus theae fervidus dentibus est inimicus. Omnes fere canes habent dentes elegantissimos, quia ipsorum fermentum est potentissimum, ipsaque digestio ita peragitur, ut suum cuique tribuatur. Australes habent borealibus dentes nitidiores, fruuntur quippe aëre dentibus benigniore. Ob hanc aëris benignitatem, & forte aquae Niloticae saluberrimae potum AEgyptiorum dentes juventutem suam servant, & vigorem, nec cariem sentiunt, nec dolorem. Vide elegantissimam disputationem de dentium anatome sub praesidio celeberrimi *Dn. Metzgeri* in academia tubingensi habitam.

§. XXI. Gingivarum, cum laxitati, tum putredini, medentur decocta chalybeata & vulneraria; quo pertinent mundificantia: mel rosar. succus chermes, succus cochleariae, apii, brodium olivarum, aqua theriacal. aqu. ad gingivas tartarisata.

§. XXII. Tandem ad morbum universalem, quo etiam extra aulas tertia pars hominum moritur, provehimur. Febres volo, tum intermittentes, tum continuas, quae & in aulis Principum, & Magnatum castra metantur. Quemadmodum enim ex vitiolo illo primarum viarum acido febres intermittentes prodeunt, ita ex virulenta

rulenta assumtorum putrilagine febres acutae, opinione citius necantes, ipsaque elementa vitalia concutientes, cum vel sine inflammatione, suum trahunt ortum. Utraeque in turbata sanguinis mistione, vera & genuina omnium febrium essentia, & ratione formali, conveniunt. Neque enim circa alterum hoc Eridos pomum fluctuamus amplius, sed rem acu tetigisse persuasum habemus, facile etiam, si interstrepere hic, ut anseribus inter olores, licet, ad dubia quaedam, nuper contra hanc recentiorum sententiam mota amice, & placide respondebimus. Primo, dicunt, non dari in sanguine tanquam corpore fluido determinatam particularum relationem, & habitudinem ad se invicem. Verum sic omnis ordo rerum, omne inter fluida discrimen, tolleretur. Sic omnis temperies, quae etiam secundum Aristotelem est minimorum congrua, & proportionata mistio, periret, nec unquam vera aliqua putredinis caussa dari posset. Dices: quem ergo situm, & dispositionem in statu naturali hae sanguinis particulae servant, & quae, quaeso, ipsis competit textura in statu praeternaturali? quid est illud, quod essentialem illarum modificationem immutare valeat? Sed & hunc scrupulum eximi posse persuasum habeo. Si enim particulae sanguinem constituentes talem inter se servant ordinem, & talia juxta se componunt intervalla, ut materia aetherea, sola & unica fluiditatis causa, citra magnum tumultum eas permeare, & in varias dimensiones citra confusionem movere possit, illa textura rite se habet, & omnis motus tam progressivus, quam intestinus sine mistionis turbatione cietur. Sin vero intervalla illa (a quacunque id tandem fiat causa) mutentur; vel alius figurae, & motus influat materia aetherea, textura jam erit mutata, compages, vel laxior, vel strictior, mistio turbata; & si id in extremo fiat gradu, ipsa essentialis modificatio sanguinis erit destructa, & immutata, id quod in peste contingere videmus. De quibus latius *in disput. de chylo, & sanguine.*

§.XXIII. Alterum dubium, quod scilicet sanguinis fermentatio saepe saepius cum tumultuoso particularum motu intendatur, nulla tamen subsequente febri, pari facilitate refellimus. Quandoquidem probe hic distinguere debemus effervescentiam a turbata sanguinis mistione. Illa enim, & in aqua ebulliente, & in acidulis actu frigidis notatur; neque tamen est, qui dicere audeat, ipsam quoque mistionem ibidem laesam, & turbatam esse. Haec autem praesupponit insensibilium particularum immutationem, quo alii formentur pori, aliaque, & nova inducatur textura, id quod in vino, fulmine tacto, videre est.

§.XXIV. His adjiciuntur duo scrupuli, quod videlicet quandoque in auxilium vocemus medicamenta sanguinis particulas magis inter se confundentia, v.g. sal. vol. cor. cervi; deinde quod ex turbata sanguinis mistione sufficiens febrium aetiologia, & evidens phaenomenorum explicatio hauriri nequeat: verum nec hi scopum feriunt, ut enim in priori praesuppositum falsum est, quod sal. volat. cor. cervi mistionem sanguinis magis turbet: ita posterius vel sola experientia refellitur, quum hactenus ne unicum quidem nobis potuerit denominari symptoma febrile, quod non evidentissime, & sufficientissime per suas caussas explicuerim. Ut ausim dicere, quod alibi in physicis professus sum, neglecta hac febrium ratione formali (turbata sanguinis mistione) ne unius etiam symptomatis febrilis caussam, quae Philosopho veritatis cupido satisfaciat, dari posse, id quod in conflictu pluribus demonstraturi sumus.

§.XXV. Caeterum observandum est, febres intermittentes quandoque in *Aulicis* curatu difficiliores esse, & non raro in febrem malignam, & inflammatoriam degenerare; quod ipsorum corpora ob sanguinis dyscrasiam, & quod plerumque se contra aëris injuriam non satis praemuniant obstructionibus erysipelatosis magis sint obnoxia. Statuimus itaque, febrium continuarum, & malignarum curationem absolvi deobstruentibus, praemisso tamen, si vires id ferant, tutiori emetico.

Deobstruentium classem constituunt volatilia urinosa, & sulphurea bezoardica, de quibus passim apud Practicos recentiores. Intermittentes profligantur china chinae, ex qua famosum illud Angli Medici febrifugum hunc in modum componitur. ℞. Vin.rub.opt.lib.iv. chin. chin. in pollin. redact. unc.ij. stent in loco tepido per tres dies, agitentur saepius, dein liquor decant. dantur unc. iv. praeter propter in declinatione paroxysmi, haecque dosis continuetur singulis diebus quater, vel quinquies, usque dum febris remiserit. Quo scopo obtento lenitivum exhibetur. Tutius tamen hoc remedium est, si tribus horis ante paroxysmum, in quo illud prima vice vis propinare, emeticum exhibeatur. Et multi sunt, qui dubitant, an prosperi, qui usum remedii hujus sequuntur, effectus ipsi medicamento, an diaetae in acceptis ferendi sint, de quo judicent illi, qui servata eadem vivendi ratione sponte a febribus liberantur; aeque enim remediorum, ac Medicorum copia quandoque nocet. Sic paucis saepius efficimus, quod alii magno cum apparatu vix obtent. Et optandum foret, ut pauciora in officinis haberemus remedia, & quae vilioris essent pretii: ut enim alibi, ita & hic. Natura paucis potest esse contenta. Ego in gratiam philiatrorum pharmacopolium aulicum hic subjungam, e quo contra cujusvis generis morbos depromi poterunt remedia hactenus a multis feliciter usurpata.

Pharmacopolium Portatile,

cujus
in fronte
haec legitur inscriptio:
MUNDUS REGITUR OPINIONIBUS.
In uno latere habetur:
VITIA SAEPE VENDUNTUR PRO VIRTUTIBUS.
In altero:
FIDE, SED CUI VIDE.

Intus Medicamenta disposita sunt secundum hunc ordinem.

Cremor tartari.
Tart. emeticus.
Pulv. fol. Orient.
Resin. jalap.
Mercur. dulcis.
Cor. cerv. s. igne praep.
Succin. ppt.
Cinnab. nativ.
Antihectic. Poter.
Pulvir absorbens.
Pulv. epilept. cum & sine odor.
Flor. sulph.
Sal absinth.
Sal armon. depur.
Elixir fermentativ.
Elixir uterin.
Essent. carminat.
Tinctur. succin.
Tinct. tartari.
Tinct. bezoard.
Theriac.
Laudan. opiat.
Pilul. gummos.
Tartar. vitriolat.
Pul. rad. laxat.
Pulv. rhei.
Scammon. correct.
Antimon. diaphor.
Lap. cancr. ppt.
Croc. Martis sulph.
Cinnab. antimonii.
Stomach. Poterii.
Pulv. bezoard. alb.
Pulv. styptic.
Myrrh. rubr.
Arcan. duplicat.
Pulv. catarrhal. ext.
Elixir. propr. dulc.
Mistur. simpl.
Essent. absinth. comp.
Tinct. anodyn.
Tinct. Mart. volat.
Spir. cephal. Bussii.
Diascord.

Theriac. coelest.	Empl. diaphoret.
Pillul. cephal.	Aqu. mirab.
Liquor arthrit.	Aq. cor. cerv. citrat.
Aqu. flor. tiliae.	Empl. anodyn.
Empl. de ranis cum mercur.	Empl. cinnaberin.

§. XXVI. Sed aurem mihi vellicat grata brevitas: hinc pauca saltem diaetam spectantia superaddo, ne partus hic mancus, & mutilus lucem videat. Et quum quilibet sibi facile possit esse Medicus, vide primo ne excedas in quanto; quantitas enim plus nocet, quam qualitas: deinde elige tibi illa, quae genio tuo videntur esse magis accommodata. Commendo autem Principibus venationem, equitationem, & vectionem, tanquam certissima sanitatis, & vitae praesidia, si modus sit in rebus; horum enim ope viscera concutiuntur, & viscidi humores e glandulosis tubulis excutiuntur, & in cavitates excrementis colligendis dicatas deponuntur. Praeter haec multa utilia suadet *Seneca* de *tranquillitate animi*, ebrietatem si excipias, quae omnibus, cujuscunque etiam sint conditionis, salutaria esse queunt. *In se recedendum est*, inquit: *conversatio enim dissimilium, bene composita disturbat, & renovat affectus, & quidquid imbecillum in animo, nec percuratum est, exulcerat. Miscenda tamen ista, & alternanda sunt, solitudo, & frequentia. Illa nobis faciet hominum desiderium, haec nostri: & erit altera alterius remedium. Odium tubae sanabit solitudo: taedium solitudinis turba. Nec in eadem intentione aequaliter retinenda mens est, sed ad jocos revocanda. Cum pueris Socrates ludere non erubescebat: & Cato vino laxabat animum, curis publicis fatigatum: & Scipio triumphale illud, & militare corpus movit ad numeros; non molliter se infringens, ut nunc mos est etiam incessu ipso ultra muliebrem mollitiem fluentibus: sed ut illi antiqui viri solebant, inter lusum ac festa tempora, virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum, etiam si ab hostibus suis spectarentur. Danda est remissio animis: meliores acrioresque requieti surgent. Ut fertilibus agris non est imperandum; cito enim exhauriet illos nunquam intermissa foecunditas: ita animorum impetus assiduus labor frangit. Vires recipient paulum resoluti, & remissi. Nascitur ex assiduitate laborum animorum hebetatio quaedam, & languor: nec ad hoc tanta cupiditas tenderet, nisi naturalem quandam voluntatem haberet lusus jocusque; quorum frequens usus omne animis pondus, omnemque vim eripiet. Nam & somnus refectioni necessarius est: hunc tamen si per diem noctemque continues, mors erit. Multum interest remittas aliquid an solvas. Legum conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publice cogerentur: tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum. Et magni, ut dixi, viri quidam sibi menstruas certis diebus ferias dabant: quidam nullum non diem, inter & ocium & curas, dividebant. Qualem Pollionem Asinium oratorem magnum, meminimus, quem nulla res ultra decimam retinuit. Ne epistolas quidem post eam horam legebat, ne quid novae curae nasceretur: sed totius diei lassitudinem duabus illis horis ponebat. Quidam medio die interjunxerunt, & in post meridianas horas aliquid levioris operae distulerant. Majores quoque nostri novam relationem post horam decimam in senatu fieri vetabant. Miles vigilias dividit, & nox immunis est ab expeditione redeuntium. Indulgendum est animo, dandumque subinde ocium, quod alimenti ac virium loco sit: & in ambulationibus apertis vagandum, ut coelo libero, & multo spiritu augeat attollatque se animus. Aliquando vectatio, iterque, & mutata regio, vigorem dabunt, convictusque, & liberalior potio: nonnunquam, & usque ad ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, sed ut deprimat. Eluit enim curas, & ab imo animum movet: & ut morbis quibusdam ita tristitiae medetur: liberque non ob licentiam linguae dictus est inventor vini, sed quia liberat servitio curarum animum, & asserit vegetque, & audaciorem in omnes conatus facit. Sed ut libertatis, ita vini salubris moderatio est. Et Solonem, Arcesilaumque indulsisse*

dulsisse vino credunt. Catoni ebrietas objecta est: facilius efficiet, quisquis objecerit, hoc crimen honestum, quam turpem Catonem. Sed nec saepe faciendum est, ne animus malam consuetudinem ducat: & aliquando tamen in exsultationem libertatemque extrahendus, tristisque sobrietas removenda paulisper. Nam, sive Graeco Poetae credimus, aliquando & insanire jucundum est: sive Platoni, frustra poeticas fores compos sui pepulit: sive Aristoteli, nullum magnum ingenium sine mistura dementiae fuit. Non potest grande aliquid, & supra caeteros loqui, nisi mota mens. Quum vulgaria, & solita contemsit, instinctuque sacro surrexit excelsior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali. Non potest sublime quicquam, & in arduo positum contingere, quamdiu apud se est. Desciscat oportet a solito, & efferatur, & mordeat fraenos, & rectorem rapiat suum, eoque ferat quo per se timuisset ascendere. Habes, Lector, quae tueri, & quae restituere sanitatem possunt. Illud tamen scito, nihil horum satis esse validum rem imbecillem servantibus, nisi interna, & assidua cura circumeat animum labentem.

DISPUTATIO V.
DISQUISITIO MEDICA
DE HAEMORRHAGIA NARIUM,
RESPONDENTE
CAROLO PHILIPPO LOMBARDIO.

B. C. D.

THESES

I. Quotquot morborum insultus corpus nostrum ferte dicitur, sanguis seu liquor vitalis morbosos sustinere cogitur impetus, in quem solum omnes fere morbi catervatim involant, hinc est quod in omnibus tam externis, quam internis corporis humani affectibus sanguis suos patiatur manes: haud itaque erra. vero, si dixero, omnes morbos, vel a nimia sanguinis copia, vel ejusdem vitiosa qualitate, suos (si non primario saltem secundario) trahere natales. Affectus quem impraesentiarum describendum, & curandum introduco, ad utrumque sanguinis statum, hoc est, & ad plethoram, & ad cacochymiam, referri potest: sed ne diutius in limite haeream, eum hunc in modum definio.

Haemorrhagia narium est praeter naturalis, & immodica sanguinis per nares excretio, vel ejusdem e naribus effluxus, a caussa nunc interna, nunc externa productus.

Quum autem vox haemorrhagiae juxta Galenum soli sanguinis excretioni, quae per nares fit, quasi per excellentiam competat, usus tamen obtinuit, ut ad alios quoque sanguinis fluxus referatur, quales sunt: qui vel ex sedalibus provenit vasis, & fluxus *haemorrhoidum* appellantur: vel ex utero singulis provenit mensibus, & *mensium flexus* audit: vel qui post partum e muliebribus instituitur, & *lochiorum* nomine venit. Non jam dicam de aliis cruentis excretionibus, in quibus sanguis in cavum visceris alicujus effunditur. Interim mihi placet cum Hippocrate ipsius partis nomen addere, & fluxum sanguinis e naribus erumpentis *haemorrhagiam narium* appellare.

II. Lex naturae vult, *ut omne corpus in suo maneat statu, donec deturbetur ab alio*. Vi hujus legis sanguis intra moenia sua placido ac tranquillo gaudet in circulum motu: verum quamprimum a caussa aliqua turbatur, ejusque motus in circulum praeter naturam intenditur, in varias motus degenerat anomalias, seseque amplius contineri nescius vasa sua diffringendo, osculaque distendendo, liberum sui vendicat exitum, & qua data porta foras erumpit. Fit autem haec vasorum apertio juxta Scholasticos triplici modo: vel per *anastomosin*, vel per *diapedesin*,

sin, vel per *diaeresin*, quae an revera semper contingant, prout communiter describuntur, merito dubito, quum capere vix possim, quomodo sanguis sub forma sanguinis e vase aliquo transudare possit. Verum quum de his in institutionibus prolixe satis agatur, nolo crambem bis coctam apponere, sed ad caussarum in vestigationem me accingo.

III. Caussam itaque proximam, ac immediatam statuo esse vasorum sanguiferorum in naribus praesertim arteriarum apertionem quocunque modo factam, a sanguine, vel quantitate, vel qualitate, vel motu peccante. Locus itaque affectus est nasus, olfactus organum, & aëris inspirationi quoque inserviens, quo natura quandoque ad excrementorum pituitosorum evacuationem utitur. Praedita autem est haec pars multis vasculis sanguiferis, per ipsam narium cutim dispersis, ut etiam pulsu suo exterius se prodant. Arteriarum seriem eleganter delineat *Highmorus p.* 246. quem vide.

IV. Causae proximae plures aliae velificantur occasionales, & antecedentes, quas inter *res naturales*, *non-naturales*, & *praeternaturales* quaerere solent. Inter *res naturales* refertur *aetas juvenilis*; sanguis enim eo tempore admodum fervidus est, & ad majorem fermentationem subeundam magis proclivis. Stat Hippocratis sententia aph. 27. lib. 3. *Adultioribus autem, & puberibus commemoratorum multa accidunt, & febres etiam diuturniores, tum etiam sanguinis profluvia e naribus.* Quo etiam spectat 2. *temperamentum calidum, & biliosum.* 3. *sexus* imprimis muliebris propter vasorum majorem raritatem, sanguinemque (caeteris paribus) magis fermentescibilem.

V. Inter *res non naturales* primas sibi vendicat *aër* fervidior vel contagiosus, ac multis particulis fermentescibilibus peregrinum aetherem inferentibus impraegnatus, quae fibras sanguinis divellendo, eas ad prosequendum circulationis sanguinis motum ineptas reddunt, ut in extremitate cutis defixae haerentes (ratione gradus malignitatis) saepius maculas, intra vasa autem tunicarum ora excedendo haemorrhagias constituant. Eundem subeunt censum *cibi* calidiores ac aromatibus conditi, reliquique salsi, ac fumo indurati, & quae sanguini dispositionem cacochymicam aut scorbuticam inferunt. Male quoque audiunt *liquores potulenti* spirituosi, vini generosioris largior ingurgitatio, qualem casum refert Timaeus a Cas. medicin. 34. symbolum conferunt *vigiliae continuae* &c. Motus vehementiores tum corporis tum animi, quo iram & consuetas excretiones suppressas etiam refero, quid enim hae valeant, in sexu sequiori quandoque videre nobis contigit. In *praeternaturalium* rerum classe stant plures morbi tum chronici tum acuti, ex inveteratis viscerum obstructionibus & acrioris sanguinis diathesi oriundi, e quorum prosapia sunt cachexia, scorbutus, hydrops, tertiana, quartana, febres omnes malignae, variolae, ipsaque pestis; nec non spasmodicae fibrillarum contractiones sanguinis itum in circulu retardantes & quandoque sufflaminantes, cujus historiam tradit Willisius capit. de remediis ἰσχαίμοις, quo pariter vulnera, contusiones, variasque continui solutionum species etiam refero, & ex *magnifici ac nobiliss. D. Praesidis* relatione tumorem colli cancrosum, sive scrophulas scirrhosas, nunc exulceratas, quibus vir quidam plures per menses conflictatur, & ad necem usque conflictabitur, siquidem & hic saepius haemorrhagia narium corripitur, tum ob gangraenosam sanguinis intemperiem, tum quod sanguis in vasis majoribus colli pressus, per capillaria qua data via ruptis claustris egredi cogatur.

VI. Differentias quod attinet dico, aliam esse *criticam*, aliam *symptomaticam*: illa in morbis acutis quandoque instituitur a natura: haec vel pauca est vel nimia, ast nusquam tuta; nullum enim paucum est criticum, sed semper symptomaticum, & omne nimium vertitur in vitium.

VII. Si-

VII. Signis diagnosticis recensendis, non immorabimur, quum hic affectus oculis usurpetur: instantis autem haemorrhaginae indicia sunt, dolor capitis punctorius, facies intense rubra, ejusque tumescentia, vasorumque turgescentia, praecessit diaeta sanguinem, vel augens, vel vitioso ipsum inquinans charactere.

IIX. In prognosi cautus sit Medicus, nunquam immemor, hic non ludi de corio, sed de sanguine humano, vitae thesauro. Omne profluvium sanguinis immodicum est periculi plenum, viam sternens, vel ad subitaneam mortem; vel ad morbos chronicos, quos frigidos vulgo vocant, v.gr. cachexiam, hydropem. Salutaris est ubi magna adest sanguinis copia, & natura modum excretionis servat. In febribus malignis ambiguum est, an noceat an prosit: bene tamen speramus, si conveniens sit aegrotantis naturae, & morbi indoli, modo non peccaverit in excessu; sanguinis stillicidium infaustum praedicit eventum; *symptomatica* semper mala, & morbum reddit graviorem.

IX. In indicando sanguis omne fert punctum; si enim peccet quantitate, sui indicat imminutionem: sin vitium fuerit in motu, & qualitate, intemperies corrigenda est per alterantia contraria, & motus vitiosus refraenandus. Conveniunt, & hic & ibi venae-sectio praecipitantia, & refrigerantia. Jn intēperie autem acrimoniam humorum temperantia aliaque specifica laudantur, de quibus paulo post. Quamvis autem in methodica curatione semper a generalibus debeamus incipere antequam ad particularia remedia properemus, tamen saepe hic nascitur occasio urgens, cui est omnino occurrendum ut non male dicere possim, curationem esse duplicem, unam in paroxysmo, alteram extra paroxysmum. In paroxysmo plerumque in subsidium vocantur opiata, styptica, & specifica. Extra paroxysmum cogitandum de purgantibus, caeterisque evacuantibus, & alterātibus, nec non venaesectione Equidem venae-sectio plus respicit caussae antecedētis remotionem, quam quod in sanguinis fluxu praesenti locum habeat. Tentari tamen, & hic debet, si virium robur, aetas aliaque eam permiserint.

X. Sanguinis intemperiem corrigunt ejusque compagem nimis relaxatam confirmant lactuca, endivia, portulaca, plantago, symphitum, tormentilla, bistorta, flor. rosar. balaustr. papav. rhaead. sirup. corall. myrthin. de ros. sicc. papav. erra t tinct. corall. antiphthis terr. Japon. serū lactis cum succis, chalybeata & quae antiscorbutica vocantur. Horum plurima in ipso paroxysmo ad sanguinis turgescentiam demulcendam propinari possunt. Verum quum solis internis orificia arteriolarum aperta vix occludi possint, necesse est, ut & externa ipsi loco affecto admoveantur: quo spectant pulveres stegnotici, sperniola Crollii, terr. vitriol. dulcis, bolus Armena, lap. haematit. gumm. tragacanth. Arab. liquor. stypticus Weberi, vel *D. Praesidis*, qui tutior, interne & externe mira praestans. Virtutes ejus vidi in milite graviter vulnerato in manu, subsequente incompescibili haemorrhagia, quumque jam omnia conclamata apparerent, imposuit superveniens Chirurgus linteum liquore hoc styptico inebriatum, dictum factum stetit sanguis, ac ipsius vulneris curatio eo felicius peragebatur, cōmendantur quoque alia: alumen, vitriol. succus urticae, muscus cranii humani pulverisatus ac naribus inflatus, stercus suillum, & in *ephemerid. Germanorum anno secundo* pag. 100. in nimia haemorrhagia narium parantur turundae ex usnea in fimo porcino cum mucilag. tragacanth. (per aqu. spermat. ranarum) quae prius exsiccantur & postea in loco sicco servantur, tempore necessitatis naribus intruduntur, & incantamenti instar sanguinem sistere dicuntur. Pulvis ex lacca & alumine apud *eosdem in anno primo*, *decad. primae*: pulvis sympatheticus Digbaei quem feliciter adhibuit *D. Praeses* in puella aliquot annorum: laudamus etiam penicillos ex charta emporetica, albumine ovi imbutos & pulvere stegnotico aspersos. *Willisius* extollit fuliginem vitriolicam, alii bufonem serico inclusum sub axillis gestare jubent, aliaque amuleta commendant,

quae

quae non semper superstitionis argui debent, quum juvare possint, eo quod certam aliquam materiam aetheream transmittant, sanguini in motu placido conservando magis amicam: nolo tamen diffiteri, quandoque juvare empyrica, quod aegrotantis imaginationem corroborent; ut enim mundus regitur opinionibus, sic ipsi aegrotantes plures committunt fallacias non caussae ut caussae. Frictiones, cucurbitulas, frigida, acida, testibus, hepati & collo applicata, sicco praetereo pede, quum nec tuta sint nec expectationi semper satisfaciant.

XI. *De Purgantibus* quid statuendum hic sit, facile est judicatu, si consideremus ex quibus constent partibus, & quonam operentur modo; sic enim palam fiet, ea in ipso paroxismo cane pejus fugienda esse, quippe ex observationibus aliorum constat, usum purgantium frequentiorem, largissimam insecutam fuisse haemorrhagiam. Extra paroxismum autem concedi possunt, ut vitiosi humores tum e primis viis, tum ex ipsa massa sanguinea foras eliminentur, quem in finem ipsa quoque diaphoretica insigni cum aegrotantis commodo propinari poterunt.

XII. *Cautelae medicae* circa haemorrhagiae curam observandae sunt hae. 1. Critica si fuerit haemorragia, nec sistenda nec promovenda, sed totum negocium naturae relinquendum. 2. Narcotica summa cum prudentia & non nisi urgente necessitate in usum sunt vocanda, inprimi si aeger ad virium defectum fuerit redactus; viam enim sternunt ad morbos chronicos. 3. Venae-sectio, non nisi in largiori sanguinis profusione institui debet, quia si in levissima quavis saltem instituatur tunc recrudescente malo etiam levissimo, sui curationem non nisi per reiteratam venae apertionem admittit: sicut enim optime cogitata quandoque pessime cedunt; sic ipsa quoque venae sectio empyricum est remedium, quod aut prodest, aut nocet.

XIII. Diaetae legitima administratio in sex rerum nonnaturalium debito usu, ut in caeteris morbis curandis ita & hic omne fert punctum: hinc haemorrhagiis deditos vitare jubemus aërem aestuantem, squalidum ac particulis fuliginosis inquinatum, quin suademus potius frigidiorem aërem ac particulis aquosis temperatum: quoad potum abstinere jubemus a vino generoso, spirituosis, ut & omnibus iis quae fermentationem praeter naturalē in massam sanguinis augent; conveniet autē potus tenuis ac herbis specificis impraegnatus: sic curavit *Vir. nob. ac exper. D. Dorstenius Medic. in hac alma Doctor, ejusdemque profess. ord. fautor ac Praeceptor longe venerandus*, aegrum quendam desperata haemorrhagia maligna decumbentem, praemissis praemittendis, exhibita per vices tinct. Martis cum succo pomorum, ac commēdato potu alexipharmaco aliisque sanguinis compagem restituentibus. Cibi sint humectantes ac refrigerantes, exulent omnia aromatica & quae sanguinis fermentationē intendunt. Conducunt somnus, & quies, quia humectant, & sanguinis fermentationem placant. Excreta & retenta sibi invicem correspondeant, ne hic vel excessus vel defectus deprehendatur; animi pathemata prudenti moderamine componenda, & omnia ea quae sanguinem ebullire faciunt ceu pestem fugere, prudentiae erit argumentum. Tu Lector benevole, si plura de hoc desideres argumento, vide sis Deotatum, Sennertum, Ettmullerum, & *collegium chirurgicum Dn. Praesidis*, in hoc enim plures reperies formulas indicationibus his accomodatas.

DEO T.O.M. sit laus & gloria in sempiternum.

DISPUTATIO VI. DE CHYLO ET SANGUINE,

RESPONDENTE

DN. GEORGIO SCHUMACHER, Bremensis.

Q. D. B. V.

§.I. PRimo statim intuitu dices me Iliades post Homerum scribere, acta agendo tempus fallere, & inter tot egregia fercula & bellaria medica crambem bis coctam

coctam apponere: idem enim Medicis contingere solet, quod tum sanis, tum aegris in more positum esse videmus; dum uterque cibum plus una vice oblatum respuunt, aut remedii bis vel ter exhibiti fastidium concipiunt, aliud atque novum cum novo quandoque Medico expetentes. Nam & illi novitatis sunt avidi, ut semel dicta vix citra taedium ferant, atque aures suas nonnisi insolitis insuetis & novis faciles & vacuas praebeant. Equidem non diffiteor, argumentum hoc jam ante me ab aliis ita pro dignitate excussum esse, ut nihil amplius forte dici possit, quod non dictum fuerit. Verum quum longius hunc in campum exspatiari meus ferat animus, & aliquam inde Medicinae practicae foenerari lucem contendam, non ingratum fore spero, si chyli & sanguinis naturam & indolem denuo delineaverim, & primordia vitae sanae & longae in his consistere ostenderim: deinde si verbo saltem addiderim, qui ex utroque hoc fluido ceu altero equo Trojano prodeant quandoque hostes, oeconomiam animalem aut pervertentes, aut evertentes. Faxit Deus O.M. ut omnia feliciter.

§. II. Lactiformem illam massam, quae quotidie sanguini recens affunditur, ut restauretur deperditum, chylum vocamus. Fugax enim est microcosmi vivacitas & perennis quoque in corpore nostro omnium substantiarum effluxus! hinc instauramento perpetuo opus habet: eo autem, ut privatim pars quaelibet fruatur, Reipublicae interest, publicis promtuariis privatae cujuslibet exigentiae providere. Ita videlicet fert natura fluidorum, ut quaedam particulae singulis momentis qua data via abeant, quae nisi ab aliis foris advenientibus restaurarentur, brevi integra mutaretur textura, nec ipse sanguis amplius in circulum redire posset, in cujus itu & reditu vita nostra corporea & animalis consistit; ne itaque novo vitae nostrae subsidio chylo sive lacti via intercluderetur, atque sanguini recens hic commeatus denegaretur. Natura mater provida elegantem hominis machinam tot admirandis instruxit organis, quibus novum illud pabulum & praeparari & confectum sanguini confundi, atque cum hoc ad omnes totius corporis partes transmitti posset.

§. III. Illud pabulum ex varii generis constat eduliis, quibus quotidie vescimur, ita ut hunc sub censum veniant varia tam vegetabilia, quam animalia uno nomine alimenta vocata, quae primam in ipso statim ore experiuntur mutationem, usque adeo necessariam tantique momenti, ut si haec actio negligatur, tota quandoque oeconomia errorem hunc & pigritiem luere cogatur. Consistit nempe illa actio in comminutione & contritione, quae dentibus perficitur, estque prima illa in humano hoc laboratorio solutio, non nisi gradu ab illa differens, quae in ventriculo instituitur; vix enim alimenta in hac extra verti poterunt, nisi primam illam subierint solutionem, ut non male dicatur, unum bolum non bene masticatum difficilius subigi in ventriculo, quam decem dentibus comminutos.

§. IV. Actioni huic velificatur saliva, primum illud naturae menstruum, quod texturam solvendo & vincula relaxando alimentis aliam plane conciliat faciem, ut ea semel impraegnata vix amplius cognosci, aut a corruptione seu acescentia vindicari possint, praesertim si post factam humectationem calori solari exponantur.

§. V. Interim magnam pro diversitate generis & individuorum in ipsa salivae agnoscimus diversitatem: sic alimenta saliva canis impraegnata abeunt in chylum & consequenter sanguinem, canis nutriturae magis aptum, quam alius animalis, imo omnis humor fermentativus majorem habebit affinitatem & respectum ad sanguinem, in quo suos habuit natales, quam ad peregrinum; ipsa quoque alimenta facilius ad eum evehet dissolutionis gradum, ut in sanguinem abeant illi similem, ex quo iste suam traxit originem: quam proprietatem omnibus humoribus a sanguine secretis & alimentorum attenuationem juvantibus quoque in acce-

ptis refero; inde est quod pulmentum materna saliva impraegnatum infanti plus prosit, atque in chylum aetati & temperamento infantili magis amicum facilius abeat, quam si lingua peregrinae nutricis caeteroquin sanae attingatur.

§. VI. Patriam salivalis humoris dicimus esse glandulas, tum oris & palati, tum foris etiam & juxta aures sitas, quandoquidem ex his nunc per breviores tubulos nunc per longiores canales saliva in oris cavitatem excernitur. De his glandulis earundemque vasis altum fuit apud veteres silentium: nostro autem tempore vix ulla instituitur sectio, in qua non peculiares ejusmodi ductus, & canaliculi lymphatici cum globulis suis glandulosis conspectui sistantur, de quorum inventione vide plura apud magnificum Dominum Francum, Archiatrum electoralem, & professorē medicinae primarium in academia Heidelbergensi longe celeberrimum, fautorem, ac amicum nostrum antiqua fide colendum, in dissertatione anatomica *Bona Nova anatomica* inscripta. Et non ita pridem novum ejusmodi ductum descripsit *D. Nuck* in peculiari quodam de novo ductu salivali tractatu. Caeterum si papillas illas, ipso in palato paulo pressius cultro contorseris, notabis hinc inde jucundo spectaculo prosilientem rorem; quod si membranam superiorem *excell. Schneidero* pituitariam dictam, armato inspexeris oculo, mecum experieris, eam mere vesicularem esse, ex congerie multarum vesicularum, quales ope microscopii in cute quoque cernuntur, compositam, innumeris in locis, ab excretoriis tubulis perforatam: glandulas has accuratius descripsit excell. Dn. Hoffmannus, anatomiae, & chymiae professor celebratissimus. Palatinae hae, *inquit*, glandulae tonsillis continuatae ad conglomeratarum classem pertinent; ex minoribus enim glomis glandulosis ope fibrarum junctis conflantur, emittuntque innumeros exiles ductus, qui succingentem membranam sive cuticulam palato cum toto ore communem, celeberrimo *Schneidero* autem pituitariam posteriorem dictam, instar cribri perforant, ut roridi madoris guttulae per tenella isthaec foramina extillare possint; quales etiam nisi sponte fluant, inde exprimi videntur a prominentiis linguae exterioribus fibrosis singulari Anatomici dexterrimi *M. Malpighii* industria detectis, & cornuum nomine donatis; istarum enim impulsu mediante vario linguae motu ad palatum facto compressae, glandulae non possunt non contentam humiditatem uberius dimittere: quare in animantibus, quae duriori vescuntur cibo, aut asperum, & densum obtinent palati involucrum, natura memorata cornua cartilaginosa, & duriora fabrefecit, quo continuo scalpendo superiora, mulius eliceretur humidum.

§. VII. Sed relinquo fontes salivales, & ipsum accedo focum, in quo assumta coqui dicuntur. Nolo autem omnia illa, quae de naturae olla sive cucurbita, ventriculo, in fundamentis medicinae ad mentem Neotericorum delineatis diximus, hic ex charta in chartam transcribere, nec varias ad fermentatorium hunc actum concurrentes caussas denuo in scenam introducere, quum libellus iste, nunc in Belgio recusus in omnium versetur manibus; sufficiet nobis hac vice annotasse, humorem quendam fermentativum egredi e glandulosis ventriculi papillis arteriosi sanguinis sobolem, & in ipsam ventriculi cavitatem extillare, idque majori in copia, eo praesertim tempore, quo assumta deglutiuntur, quum glandulae stomachales tunc magis premantur, liquor hic salinus attenuando dissolvendo, & fermentando massam, facit, ut interiores partes fluidae assumtorum extravertantur, earundemque evolutio a centro ad superficiem promoveatur: hine est, quod chylus tunc sub facie longe alia compareat, atque fluidus magis, & vaporosus sit, quam antea. Colorem contentorum in ventriculo, quod attinet nihil quidem habeo, quod circa illum moneam; qui enim nimium credit colori, ut alibi, ita, & in oeconomia animali, facile decipitur, quum vel ob minimam circumstantiam variare soleat. Hinc in ovibus chylus viridis conspicitur coloris: in aliis animalibus pro

assum-

assumtorum varietate aliter atque aliter tinctus est, ut haud immerito impurus vocetur liquor, quousque notabilem illam digestionem in intestinis non subierit.

§. IIX. Quantum autem temporis chylificatione impendatur, nondum est in aprico, nec facile determinari potest, quod pro assumtorum, fermenti, sanguinis & subjecti varietate, nec non alia atque alia dispositione, & constitutione, nunc citius, nunc tardius peragatur, ipsaque alimenta, nunc facilius, nunc difficilius in cremorem abeant. Curiosus natutae indagator *Zassius* tenebris his haud exiguam affudit lucem, cujus vide observationes. Impossibile enim est, ut assumta pari semper passu ambulent; quaedam distributionem volunt non coctionem, qualia sunt lacticinia: quaedam animam saltem, vel extractum largiuntur, reliquum autem ceu inutile terrae pondus in intestinis secernitur, & deorsum protensum stercoream auget molem, quae si aliis in animalibus efficaciori, & potentiori subiiciatur fermentationi, iterum nutrimenti, vel alimenti nomine donatur.

§. IX. Quaeri hic solet, an quid immediate ex assumtis in ventriculo, & faucibus sanguini communicetur? ℞. Non solum sanguini, & humoribus circulantibus, sed ipsis quoque spiritibus animalibus quasdam assumtorum particulas immediate communicare posse. Ecquis inficiabitur, volatiles quasdam partes in prima illa, & secunda solutione, atque maceratione qua data porta exhalare, tum in ore, tum in ventriculo, quae humoribus circulantibus ac sanguini associatae eorundem activitatem non parum adaugebunt. Sic ipsos moribundos saepius ex Orci faucibus revocamus, vel mortem saltem retardamus, infundendo ori spiritum volatilem camphoratum, vel alium meteorisatum: qui diffusi per vasa capillaria receptaculi sanguinei, & tubulos lymphaticos, vel in momento stertorem tollunt, & lymphae motum suum in circulum reddunt, ipsique sanguini novam conciliant alacritatem. Profecto ipsa opiata eodem saepius momento, quo exhibentur, etiam operantur, id quod apud dysentericos non semel observavi, cum quibus sermones adhuc miscentes ex eo, quo opiatum sumserant, propensionem in somnum oculis ex ipsorum oculis legere potuimus; evidenti argumento, particulas quasdam soporiferas jam dum ipsi cerebro fuisse transmissas.

§. X. Peracta sic fermentatione, & assumtorum attenuatione in ventriculo, omnis chylus inde confectus ex angustissimo spatio in angustiorem propellitur fistulam, ventriculo continuam, quo partes antea rarefactae, & expansae, nunc propius iterum coëant, sibique magis approximentur, quo fluidiores partes magisque lubricae versus intestinorum parietes, & ad latera evertantur: crassiores autem versus concavitatis centrum premantur. Quo ipso liquido constabit, quare lacteae chyli partes vasa lactea ingrediantur, crassiores autem, terrestres, acidae, salinae, & sulphureae plurimae, ad crassa intestina properent, quam secretionem non parum adjuvat bilis ab una parte affluens, ab altera vero succus pancreaticus.

§. XI. Quo vero chylus jugi, & perenni fluxu tenellula vasa lactea traiiciat, & sine remora per oscula vasorum transcoletur, pressioni robur haud exiguum superaddunt respiratio reciprocus diaphragmatis, & musculorum abdominis motus, nec non peristalticus intestinorum succurrente media in via succo lymphatico a partibus inferioribus versus cor refluo; sic chylus ex angusto intestinali canali per angustissimos tubulos lacteos in amplum chyli receptaculum, cisternam chyliferam dictum, & ex hoc iterum per angustiorem canalem in angustos cordis thalamos, paulo ante sanguini, per axillarem redeunti, & cephalicae lymphae, confusus, transportatur.

§. XII. Sic peragravimus chyliferam regionem, ipsiusque chyli semitam calcavimus; restat, ut plus ultra tendentes iter quoque sanguinis indagemus, atque pari attentione ejus vias emetiamur, quas ut tibi magis perspectas reddere possis, suadeo, ut inspicias tabulam a *Stenonio Bartholino Patri* communicatam, qua

nihil pulchrius, nihil rei medicae utilius excogitari potuisset. Videbis illo in iconismo communem truncum receptaculi sanguinei, compositum ex cordis auricula dextra, cordis ventriculo dextro, trunco arteriae pulmonalis: his continuae sunt angustiae primae, ubi rami arteriosi sensim magis magisque dividuntur, & tandem omnem fugientes visum pulmonum substantiam componere, atque cum vasis excretorii pulmonalis radicibus, quod asperam arteriam vocant communicare videntur. Ab altera parte alium communem contemplaberis truncum, compositum ex cordis auricula sinistra, cordis ventriculo sinistro, arteria aorta, versus totum corpus sursum deorsumque distribuenda: ubi statim se quoque offerunt sanguinei hujus receptaculi angustiae secundae, ut a *Stenonio* vocantur, quandoquidem, & hi rami sensim magis magisque dividuntur, donec tandem omnem etiam fugientes sensum viscera abdominis magna ex parte constituant, & cum eorundem vasis excretoriis communicent; e quibus radices exsurgunt ad truncum communem primum componendum confluentes. Receptaculi sanguinei truncus tertius privatus magis est, quam publicus; quum non omnibus corporis partibus communis sit; appellatur autem Porta, cujus angustiae hepar magna ex parte constituunt, & facta communicatione cum vasis biliaribus iterum confluunt in truncum communem primum.

§. XIII. Haec est vera circulationis historia, & per has flexuosas atque contortas vias sanguis it, & redit: si enim sanguis per vias aeque patentes pelleretur, nunquam recrementitias partes, tam facile hinc inde deponeret, neque ipse chylus, & humores circulantes recenter iterum advecti cum ipso intimius misceri possent: canaliculorum quippe multiplicitas efficit, ut plures a sanguine partes, & quidem facilius secernantur, quanto scilicet plures superficiem cribri tetigerint: colligitur autem sanguis iterum in unum communem alveum, notante id celeberrimo *Bartholino*, ut a diversis partibus diversus rediens ad statum uniformem reducatur, ubi alvei simplicitas efficit, ut homogeneus evadat sanguis qui ex diversarum partium canaliculis redux diversae est naturae; quum enim versus omnes partes propulsus non easdem, sed diversas sui particulas in singulis cribrorum differentiis deponat, non mirum, si ex diversis redux discrepet ab invicem.

§. XIV. Quare autem certae saltem particulae hinc inde in visceribus tanta cum providentia separentur nullam aliam assignare possumus caussam, quam certam eamque constantem pororum configurationem, quae quum, tum in vasis sanguiferis, tum in cribris, & tubulis excretoriis diversa sint, non possunt non certi saltem generis particulae hinc inde segregari, & ab aliis divortium facere. Quamdiu enim pororum figurae firmo stant talo, & sanguis singulis minutis suum absolvit circulum, semper ea, quae excerni debent, excernuntur, quae admittenda autem sunt, admittuntur. Ut nequaquam opus habeamus hic fingere facultates nescio quas, potestates, archeos, spiritus insitos, calidum innatum, aliaque ejusmodi insomnia, quae merito inter fabulas, & figmenta recensemus. Quippe solus huic negocio expediendo sufficit aether, sanguinis fluiditatem, motum, & mistionem conservans, una cum mechanica partium solidarum structura, atque determinata pororum configuratione, de quibus etiam inferius in historia morborum.

§. XV. Quod si nosse desideres, ubi & quaenam sint illa cribra? scias, viscera haec esse, quae parenchymata vocare solent; haec enim revera hoc funguntur munere, & nihil aliud sunt, quam massa quaedam sanguinea, vel chylosa, vasis sanguiferis capillaribus circumfusa, & excretoriis vasis quoque praedita. Hinc ob certam pororum configurationem certis saltem particulis transitum concedunt, & quum illa non eadem sit in omnibus, mirum non est, quod aliae particulae secernantur in renibus, aliae in liene, aliae in hepate, aliae in pulmonibus, aliae in pancreate, aliae in glandulis intestinalibus, aliae in testibus, aliae in cerebro, &c.

Quae liquidius adhuc constabunt, si ad generationis modum, quo fieri solent viscera in prima generatione, attendere velimus. Videlicet sanguis est primum vivens, & ultimum moriens: post hunc cor cum vasis generatur, & quatenus in extremitatibus vasorum vesiculae quaedam adnascuntur, quae prout nunc aliis sanguinis partibus replentur, abeunt in varia viscera, pro partium harum plus minus fixarum, mollium, crassiorum, aut tenuium, varietate, a se invicem differentia. Et quum haec demonstratio a priori toti velificetur doctrinae de sanguinis circulatione aliisque functionibus mechanicis in oeconomia animali, eam prolixius descriptam vide apud celeberrimum *Craanen*.

§. XVI. Nunc viam satis expeditam habemus ad explicandum arduum nutritionis negocium, quod hunc in modum confici persuasum habeo. Ipse videlicet chylus ex diversis eduliorum generibus intra ventriculum confectus, atque sanguini attenuationis, & rarefactionis interventu, commistus, singulis pulsibus, quibus parietes arteriarum valde distenduntur, occasionem sat commodam habet, rursus a sanguine secedendi, atque per poros arteriarum elabendi in tubulos partium solidarum. Quippe sanguis magno cum impetu ex angusto in angustius tendens spatium, poros tunicarum reddit valde patulos: chylosae hae moleculae quum in partibus nutriendis allidantur in superficies suis superficieculis exasse accommodatas, statim juxta eas quiescunt: hoc est se immediate contingunt: quo nullum in rerum natura firmius atque potentius glutinum reperitur, id quod cylindro marmoreo nuperrime exhibuimus, & probavimus in collegio experimentali.

§. XVII. Verum enim vero, vel e longinquo videre potuimus difficultatem, sententiam nostram non parum prementem: nonne enim ipsa bruta nutriuntur, victuque valde simplici cibantur? quomodo bos, qui solo vescitur gramine secundum omnes corporis sui partes, osseas, carnosas, cartilaginosas, aliasque nutriri poterit? anne gramini tot diversi generis particulae insunt, quot diversae sunt partes nutriendae? Quippe ad eam diluendam non opus habebimus confugere ad facultatem assimilatricem Peripateticorum, aut ad recentiorem spiritum coagulantem, vel nescio quod fermentum assimilans. Quum vel solum gramen omni partium nutriturae sufficiens sit, utpote quod ex variis generis corpusculis, terrestribus, insipidis, salinis, oleosis, aquosis, aliisque, combinatum est, atque aptum natum, partes tam osseas, quam cartilaginosas, membranosas, & carnosas restaurare, & refocillare. Quid enim cartilago aliud quam pars mollior ossis? quid os aliud quam sal combinatum cum aliis partibus, terrestribus, & paucis ramosis, quae ubi a se invicem segregentur, soluto nempe texturae vinculo, & foras, qua data via prodeant, in ipsa circumferentia quandoque iterum, sed alium in modum copulantur ab aëre, atque concentratae muscum constituunt a natura graminis non usque adeo abludentem; id quod in craniis sub dio longius servatis quotidie experimur.

§. XIIX. Atque sic constabit liquido, naturalem chyli statum consistere in convenienti, & legitima ejus fluiditate, sapore, aliisque qualitatibus: sanguinis autem in particularum eum constituentium decenti ordine, commistione, & rarefactione: ut scilicet omnes ejus partes talem inter se servent ordinem, quo aether omnia interstitia, & intervalla, omnesque poros, replere, permeare, & citra magnam turbationem, impetuosamque agitationem, motum perennare atque quantum in se est nativam mistionem conservare possit: quippe a consueti hujus aetheris influxu sanguinis dependet indoles, & crasis, totaque oeconomia animalis ad ejus nutum administratur.

§. XIX. Sin vero duo hi liquores a nativa degenerent crasi, myriades inde prodeunt morborum, semina morbifica ipsis innidulantur, excluduntur, variaque ludunt dramata, & vel ex insidiis vitae filum abrumpunt. Certe si ab ovo tragicam hanc scenam introducere liceret, luce meridiana facile fieret clarius, non male

le morborum fomites in chylo, sanguine, & humoribus circulantibus a nobis quaeri. Ne vero obscurus tibi videar, expediam, quid per humores circulantes velim. Videlicet dicunt hi lympham omnesque liquores a sanguine eum in finem secretos, ut ipsi rursus confundantur: lucē his tenebris affundit antea allegatus *Casparus Bartholinus* aevi nostri celeberrimus anathomicus docens humores a sanguine secernendos, vel prorsus inutiles esse, quales sunt sudor, pulmonum excremēta, urina, aliaque; vel utiles esse: eosque iterum, vel speciei, vel individuo inservire. Jam qui ad speciei conservationem spectant, illi in mammis, utero, & partibus utriusque sexus generationi inservientibus a sanguine separantur. Qui vero individui utilitati inserviunt, plerumque eum in finem secerni videntur, ut vel iis secretis, & nunquam iterum admittendis massa remanens purior sit his liberata, vel iis secretis, & postliminio recipiendis massa illa fluidior fit; vel denique, ut secreti, & nonnunquam intra peculiares cavitates collecti inserviant humoribus in canali alimentorum, vel dissolvendis, vel dissolutis secernendis a se invicem, & praecipitandis.

§. XX. Sed e diverticulo in viam. Nonne ipsius lactis seu chyli vitio, quo infans in utero materno nutritur, multi iique gravissimi morbi haereditarii suos debent natales, quales sunt epilepsia, vomitus, diarrhoea aliique statim a partu supervenientes, vel alii chronici, non solum, sed & acuti longe post nativitatem accedentes calculus, arthritis, scabies, lepra &c. Sub hunc censum veniunt quoque variolae, focum suum in cremore lactis acescente corrupto, & in tubulo quodam partis solidae plures in annos delitescente nunquam inde egressuro, nisi certo quodam aethere agitatus foras prodiret, & tubulo suo exclusus cum lympha ad sanguinem abriperetur. Hinc est quod variolae plures sileant in annos, atque in aeternum sepultae manerent, nisi occasione peregrini aetheris, vel cum assumtis admissi, vel cum aëre inspirati, fermentare inciperet, sicque tubulo suo amplius capi nescius deveniat ad sanguinem, ejusque mistionem, vel in momento potentissimi veneni instar turbet. Quae nova, & rara, sed vera, & chara variolarum caussa a celeberrimo *Craanenio* Consiliario, & Medico electorali primum detecta nos ad solidiorem medendi deduxit methodum. Quot enim Medici, ad mentem veterum hic medicantes, hodie num committant in curandis variolis errores suis intempestive exhibitis purgantibus, alexipharmacis, sudoriferis, vix amplius reticere possumus, quamvis eos plerumque provida tegat mater terra. Et quamvis nos taceremus, metuendum tamen esset, ne lapides aliquando pro nobis locuturi, & vindictam petituri sunt. Credas mihi, quisquis es, sive te sapientiae sive rei pariter medicae teneat ptofessio, duo prostare apud nos remedia, quibus variolas quascunque, vel avertere, vel curare audemus; absit a nobis philautia, qui nunquam nimium fidimus viribus nostris; solus enim ille felix est, qui in brachio Domini confidit nunquam decurtato. Constant autem ex meris vegetabilibus, eorumque aliquam habuisse notitiam *Langium*, ex ejus miscellaneis colligi potest. Interim pro veritate stabilienda sisto tibi testem omni exceptione majorem, virum in theoria juxta, & praxi celebratissimum *Dn, Dolaeum*, qui remediis his in aula apud personas illustres, non minus, quam extra eam apud plurimos felicissimo cum successu, vel millies usus est. Didicimus quam vanae plurium practicorum sint praesumtiones; fuimus spectatores, otiosi quidem, sed ipsis aegrotantibus admodum proficui, dum alii intempestive agendo aegrotantes in summum vitae discrimen praecipitarunt, exhibentes remedia istis diebus, in quibus feriari debebant, nihilque molientes, ubi caussam aegri agere rei exigebat necessitas. Quippe satius est, primis diebus hoc in morbo nihil exhibere, medio autem morbi tempore pauca eaque temperatoria in usum vocare; ultimis demum diebus indefessa industria expugnare febrem inflammatoriam, quae hic omne fert punctum.

§. XXI.

§.XXI. Caeterum revertendum est ad liquores vitales. Putem autem morborum semina haud inepte quaeri primario in chylo, & secundario in sanguine, & humoribus circulantibus: vel primario in sanguine, & humoribus circulantibus, secundario autem in chylo. Et quidem quod ipsum attinet chylum, corrumpitur is atque peregrino contaminatur charactere in ventriculo, & primis viis tum assumtorum tum commistorum (liquoris gastrici, & duodenalis) vitio. In ipso chylo notamus inter alios defectus ejus viscuditatem, aciditatem, & putrilaginem. In illis morbi chronici nidulantur, de quibus celeberrimus *Krugius* in disputatione de morbis chronicis ex acido vitioso. Ex hac prodeunt effectus cardialgici, cholera, diarrhaea aliique similis farinae morbi. Hac in matrice concipiuntur famosae illae cruditates; quarum una acida, altera nidorosa appellatur, plurium gravissimorum morborum genetrices. In illa conveniunt martialia, spirit. tartar. comp. essent. carminat. Wedel. volatilia oleosa, & absorbentia. In hac blandiora laudantur acida, cydoniata, aliaque in disputatione de ventriculi, & intestinorum morbis enarrata.

§.XXII. Verum quum nec sanguis insons esse possit, sed & de suo dejiciatur ponte, ubi tot primis in viis committuntur errores, videndum quoque erit, quot modis, & hic a statu, & nativa sua crasi degenerare possit, quosque morbos humores circulentes quandoque pariant. Quamvis autem rarius contingat, ut sanguis vitiosa inquinetur labe, antequam chylus a sua recesserit indole; id tamen fieri posse, nemo facile ibit inficias; quoties scilicet maligna quaedam aura sanguini immediate afflatur, tum per poros cutis foris intus spectantes, tum per excretoria tracheae vascula: imo ipsos humores circulantes, non raro ab aëre frigidiori aut gas sylvestri immediate affici, & in motu suo praepediri, testantur destillationes epidemicae, raucedines, tussis ferina, angina, ophthalmia, erysipelas, tumores oedematosi, febres intermittentes.

§.XXIII. In sanguine inter alia vitia nigro notamus carbone cacochymiam, & turbatam ejus mistionem. Illa quid sit, jam ex institutionibus innotuit. Haec in perverso ordine particularum sanguinem constituentium consistit, & sanguini caeteroquin optime constituto, aliunde scilicet transmisso peregrino aethere, accersi potest. In turbata hac mistione sanguinis consistit essentia omnium febrium, ipsique intermittentium paroxysmi, qui nihil aliud sunt, quam breves febres continuae, in hac fundantur. Excipiunt tamen haec sanguinis vitia se mutuo, quamvis enim febris incepta, si intra modicum tempus finitur, vulgo dicatur medicina potius quam morbus, tamen saltem ex parte id verum est; quoniam hac ratione sanguinis impuritates deflagrant, viscerumque obstructiones expediuntur, & revera totum corpus ventilatur, ita ut materia quavis excrementitia, & nascentium morborum seminario prorsus liberetur. Sin vero protrahatur febris, plurium aegritudinum, & diuturnae invaletudinis caussa existet, quum sanguis aliquoties in sua mistione turbatus non possit, non cacochymicam tandem induere intemperiem, id quod in omnibus quidem febribus, magis tamen signanter in intermittentibus, & symptomaticis vulnerariis tota die experimur. Placet itaque turbatam hanc sanguinis mistionem, paulo pressius sub examen vocare, qua nihil utilius, nihil jucundius unquam dictum fuit, & quam plures ante annos in hac academia primus publice in collegio disputatorio proposui, secutus celeberrimum *Craanen*, cui soli haec debetur gloria: eamque postmodum luculentius illustravit *Dn. Dolaeus* in pereruditа sua Encyclopaedia medica.

§.XXIV. Nempe sanguis noster hoc commune habet cum vino aliisque liquoribus fermentantibus, ut facile a peregrino aethere turbetur in sua mistione: quemadmodum chylus, & lympha commune hoc habent cum lacte, ut facile acescant. Quoniam autem ex physica generali novimus, nullum dari hoc in universo vacuum,

cuum, imo illud ne quidem concipi posse, id quod pluribus experimentis in collegio experimentali demonstravimus: hinc jam sequitur, minutissimos etiam poros, & interstitia corporum, tum fluidorum, tum solidorum materia quadam subtilissima repleri, quae torrentis instar suis indefinitae magnitudinis, & figurae particulis, nullibi exclusis, nullibi inclusis, minutissimos etiam porulos repleat. Quod si sanguinis particulae talem inter se servent ordinem, atque ejusmodi inter se forment interstitia, quae consuetam a prima nativitate materiam subtilem citra turbam, & luctam admittant, ita ut haec in consuetum earundem motum conspiret, sanguis rite mistus, & temperatus censetur. Sin vero ordo iste invertatur, alia atque alia formentur intervalla, a peregrino aethere, alius motus, replenda, sanguis jam turbatus erit in sua mistione, & quo aether iste plus abludit ab antea influere solito, eo majori sanguis contaminabitur putredine; ita ut extremus putredinis gradus, qualis est in peste, similis sit statui vini fulmine tacti, atque hac ratione febres malignae non nisi gradu, & inter se, & a benignis differant, quatenus in his sanguis minus turbatur in sua mistione, quam in illis.

§.XXV. Peregrina haec materia aetherea transmittitur, vel ab astris, & luminibus vagabundis, sub quibus tellurem, locum sibi inter Planetas merito vindicantem, comprehendo; vel cum pure in vulneribus, ulceribus, & pustulis variolosis inflammatis, aut sanguine extravasato accersitur. Saepius pro vehiculo inserviunt calidiora, theriacalia, aromatica, vinum generosum, fermentum lymphaticum, lac acescens, & fermentans, omniaque fermentescibilia: huc facit transpiratio insensilis, quae inhibita, vel suppressa plus ac saepius, quam caeterae omnes istius mali occasio, aut parens esse solet. Quippe effluvia per poros cutis evaporare solita, & ad superficiem ope materiae aethereae naturae nostrae amicae protrusa, intus cohibita sanguinem fermentant, poros pervertunt, mistionem turbant; hoc est, varii generis febres producunt. Quoties enim peregrinus hic aether certis saltem temporibus, & diebus sanguini infertur, febres erunt intermittentes: sin vero non nisi spatiis plurium dierum expelli possit (id quod variis ex caussis fieri potest) febres erunt continuae.

§.XXVI. Porro docemus his ex fontibus, quare quaedam cum rigore invadant, & frigus conjunctum habeant, quod intensior tandem subsequitur calor. Nempe peregrinum illud corpusculum, quod alius figurae, & magnitudinis aetherem cordi infert, eum reliquis sanguinis particulis, eodem momento illabentibus, convenienter dilatari atque rarefieri nequit, sicuti lignum viride igni appositum prius eum supprimere videtur, mox autem flammam concipiens eum adauget, ita pari ratione, ubi jam pori pervertuntur, ut peregrinus aether copiosius admittatur, totus incalescet solito fortius sanguis, atque secundum minimas suas particulas turbabitur: quo ipso caussae sitis, delirii, inflammationum, omniumque aliorum symptomatum in apricum introducuntur.

§.XXVII. Nostram hanc sententiam suffulcit ipsa febres curandi ratio, & praxis medica, quippe omnia, quae agimus eo collimant, ut debitam suam sanguini restituamus mistionem, atque peregrinum expellamus aetherem. Hinc febres aequinoctiis inceptae circa solstitia finiuntur, & aegri in alteram regionem migrantes saepe convalescunt, hisque mutationibus efficimus, quod exquisitissimis etiam remediis obtinere haud potuimus. Huic quoque scopo inserviunt sudorifera blandiora, acida temperata, salina, praecipitantia, & absorbentia prudenter exhibita, nec non opiata diaphoreticis maritata. Habenda tamen semper erit ratio obstructarum partium solidarum; si enim inflammatoria abfuerit obstructio, qualis in parte aliqua nobiliori est in febribus malignis, in ignobiliori autem in hectica, omnem absolvent paginam volatilisantia, & deobstruentia: quibus etiam solis magnificum *Dn. Wepfferum* febres intermittentes felicissime curasse ab Amico

aesti-

aestimatissimo *Dn. Brunnero* professore Heidelbergensi designato meritissimo, compertum habeo.

§. XXIIX. Arrigite nunc aures vos e Medicorum plebe, qui nil nisi purgantia apud aegros vestris crepatis. Videbitis purgantia qua talia ne indicari quidem in febribus, utpote quae sanguinis mistionem magis turbant, obstructiones augent, febres duplicant, inflammationes accersunt, & nunquam citra periculum dispendii sanitatis exhiberi possunt: haec sunt quae peregrinum aetherem inferunt, rorem nutricium depascunt, sanguinem turbant, omnes istos tragicos ludunt casus, quos venena ludere solent. Actus purgatorius est actus febrilis ipsa febri quandoque deterior. Quae omnia adeo clara sunt, ut vel ipsorum, qui in cathedra Moysis sedent, oculos perstringant. Plura videbis in collegio disputatorio de febribus.

§. XXIX. Hisce velificatur experimentum Pneumaticum, primum a Dn. Brunnero, amico sine omni fuco, & semper constanti, nobis exhibitum, nunc vero saepius coram studiosis medicinae a nobis institutum. Hoc confirmat sanguinem, & spiritus habere rationem corporis continui, nec posse alicubi affici, ut non tota compatiatur massa: quam primum enim solo halitu plus sanguinis in cordis ventriculum impellitur, quam ab altera parte egeri possit: videmus vasa capillaria in momento turgescere sanguine, ipsum contendi, suoque motu privari, spiritus animales in anomalos redigi motus, praecordia spasmodicis corripi corrugationibus, ipsumque animal suffocari; quibus ex phaenomenis varia deducere possemus consectaria, doctrinae de febribus facem accendentia, sed plura addere temporis, & pagellarum vetat angustia. Tu lector benevole evolve elegantissimam Camerarii disputationem de experimento Pneumatico, & rei medicae de tot inventis recentiorum gratulare. D.O.M. sit laus, & gloria in sempiternum, Amen.

DISPUTATIO VII.

DISSERTATIO MEDICA,

DE PERNIONIBUS.

RESPONDENTE

JOH. HENRICO MULLERO, Rinteliensi.

J. N. J.

THESES

I. SI totam amplissimi hujus mundi fabricam quaqua versum perlustrem, & quaecunque in ejus sinu recondita sunt, aut terrae ambitu coelique complexu continentur, oculis mentis intuear; Jovis omnia plena, miraculis cuncta referta, & in minimis etiam Numen invenio. Exemplo inter alia infinita est supenda illa metamorphosis, quam in vegetabilibus tota die cernimus, eo praesertim tempore, quo terra (vere) redditur, quam nives oppresserant: quippe non sine magna animi voluptate cuncta reviviscunt, plantae germinant, atque brevi temporis spatio, nobis vix advertentibus, in insignem exsurgunt altitudinem, & herbascenti sua viriditate, florumque varietate, atque admiranda pulchritudine oculos spectantium pascunt. Verum nec hic terminus est aeternae sapientiae: haec enim siderum collegit metas, & annuas hyemis atque aestatis vices ad certas redegit leges: ut nihil inter res naturales usque adeo beatum sit, quod omnem ferat aetatem, ut potius ad senectutem properent omnia. Vix enim solis ad brumam recedentis expirat vis, ut non statim longo frigori, & penetrabili damnata sint omnia, & saeva hyemes terram fluminaque advinciant. Hinc fit, ut plurima ex vegetabilium familiis injuria temporis, & aëris fracta, marcescant, rigescant, saepius emoriantur, & gelu penitus corrupta, aliam longe induant faciem. Quae

enim antea caput extulerant, ut lenta inter viburna cupressus, nunc flaccescunt, & versus terram depressa jacent, qua si sponte redire velint unde venerant, ut vel tacite innuant, ipsorum texturam eversam, pororum configurationem perversam, fibras antiqua sua sede emotas, & deturbatas, omnemque succo nutricio aditum praeclusum esse. Quemadmodum autem, & hic digitum Dei veneramur, ita idem fatum subire cogimur omnes, idem non solum inter tot rerum vicissitudines, & nascimur, & morimur, verum etiam iisdem obnoxii vicissitudinibus, asperioris coeli inclementiam variasque tempestates tempore brumali ferre cogimur, ut non raro ab intenso frigore fluida in solido congelentur, pori coarctentur, tubuli obstruantur, & partes corporis nostri adeo obrigescant, ut vel stupore doloroso, non minus quam periculoso correptae aegrotent, vel denegato vitali influxu penitus emoriantur. Placuit itaque impraesentiarum de pernionibus, malo a frigore contracto, verba facere: tum quod neminem sciam, qui illud thema publice in cathedra tractaverit, tum quod sint, quibus labor ille non displiceat. Noli autem lector benevole a Medico expectare pictum sermonem, & Rhetorum flosculis conspersum: nobis enim qui Musas colimus severiores, non licet esse tam disertis, neque etiam materiae conditio ejusmodi fucum patitur, quum veritatem pro scopo habeam, quam nudam in scenam introducere oporptet. Faxit Deus, ut feliciter.

II. *Galenus* describit perniones per mortificationem a nive. *cl. Bruno* dicit, quod sit soluta continuitas, aut fissura, vel indetrimentum manuum, & pedum hyberno tempore a summis algoribus proveniens. Nobis nihil aliud sunt, quam tumores inflammatorii, nunc cum, nunc sine exulceratione, a summo frigore in manuum, & pedum extremitatibus producti.

III. Subjectum sunt partes extremae, & a corde remotiores, quae plerumque aëris injuriis magis expositae minusque calidae sunt. Verum non solum cuticula, & quod huic subjacet reticulare corpus, inter cujus foraminula crebriora oculo armato conspici possunt sudoris vascula, patitur, sed tota illa substantia fibrosa, quae proprie cutis nomen meretur, ex arteriarum, venarum, nervorum, ac tendinum extremitatibus contexta, cum pyramidalibus papillulis ipsis nervis continuis, & cum sudoris vasculis ad cuticulam exsurgentibus, afficitur, quae omnia celeberrimus aevi hujus anatomicus *Dn. Bohn* sub fasciculo fibroso accurate depingit.

IV. Necessum autem erit, ut paulo altius repetamus ex Physica generali, quid calor, & frigus sint in nostro corpore, quum tota haec doctrina haud exiguam inde foenerari possit lucem. Nempe corpus nostrum refrigerari dicitur, quoties ob imminutum sanguinis, & humorum circulantium motum tremulus fibrillarum motus, qui ipsis naturalis, & consuetus est, sistitur, vel saltem imminuitur. Sicut enim natura caloris in celerrima particularum secundum omnes dimensiones agitatione consistit, ita frigus ab earundem quiete, vel saltem minori motu dependet. Quo ipso palam fit, quietem non esse meram motus negationem, quod plurimi persuasum habent, quum stare sive quiescere aeque positivi quid dicat, quam currere sive moveri: & pari facilitate dicere possem, ipsum motum esse negationem quietis, & consequenter nihil ponere. Denotat itaque quies permansionem in eodem situ respectu aliorum corporum illud proxime ambientium: & per quietem indurescit aqua, corpus nostrum incrementum capessit, caro abscissa restituitur, vulnera consolidantur, ut recte dixerit Philosophus *part. 2. princip. §. 55.* nullum gluten excogitari posse, quo corpora conglutinari possint firmius, quam eorundem quiete, & immediata juxta se positione: id quod variis experimentis probari potest; si enim duo cylindri marmorei exacte politi, superficiebus suis se immediate attingant, eo ipso momento sibi firmiter adhaerebunt, ut pondere 800. libram vix ac ne vix quidem divelli possint, quod inter alia curiosa apud Dn. Praesidem videre contigit.

V. Dein-

V. Deinde ex oeconomia animali notari velim, omnes corporis nostri humores in statu sanitatis tubulos partium solidarum, omnisque generis vasa tum majora, tum minora torrentis instar, & celeri pede permeare, quod si eorundem fluiditas imminuatur, aut alacris iste, & perennis motus, a quacunque id tandem fiat caussa, retardetur, aut sufflaminetur, contumaces viscerum statim oriri obstructiones, ipsosque humores in offam crassam degenerare, uti id in decocto crurum vituli aëri exposito cernere licet, ut viscositati huic, & mucilaginositati plurium morborum natales merito in acceptis ferantur, utpote e quorum sinu agmina morborum prodeunt, variaeque calamitates, & aerumnae eas a tergo sequuntur, ut nulla fere pars corporis nostri sit, quae non poenam praevaricationis hujus luere cogatur. Exinde ventriculus vitali suo defraudatur fermento, chylus in pastam acidam abit, & viscidam, sanguis peregrina contaminatur intemperie, glandulae excretorio suo exuuntur munere, viscera infarciuntur, totus corporis habitus in pejus ruit, omniaque spectant ad interitum, & si non mors ipsa, saltem senectus, ipsa morte quandoque pejor, acceleratur. E quibus apparet, nequaquam peccare illos, qui hodierno tempore ad salia volatilia tanquam veram salutis anchoram confugiunt: haec enim sunt, quae viscera ab infarctu liberant, obstructa vasa capillaria reserant, itum & reditum humorum restituunt, a morbis chronicis praeservant, ipsamque senectutem retardant. Sed in viam!

VI. Praelibatis itaque his fontibus, pernionum caussam proximam, & immediatam statuimus obstructionem, dum fluidi, & agiles humores ab externo frigore in motu suo praepediuntur, atque abeuntibus particulis volatilioribus, inordinata quaedam, & confusa reliquarum intra tubulos, & extremitates vasculorum introducitur mistura, quae inepta ad circulandum, fibras circumjacentes premit, ipsisque spiritibus animalibus obicem ponit, ut pristino more influere nesciant; unde semper formicationis sensus, tumor, aliaque apparent phaenomena, humorum restagnationem, & spirituum inertiam haud obscure indicantia.

VII. Verum enim vero ipsa obstructio duobus modis fieri potest. Aut enim tubuli partis alicujus solidae in totum obstruuntur, ut nec sanguini, nec humoribus circulantibus, nec spiritibus animalibus ingressus, & egressus concedatur, quae pars tunc emoritur, & gangraena, vel sphacelo corripitur. Aut tubuli in tantum obstruuntur, ut aliqualis humoribus permittatur ingressus isque facilior, quam egressus, unde quum plus inferatur, quam egredi possit, tumores varii nascuntur. Quod si eousque augeatur obstructio, ut salia poros partis alicujus membranosae in tantum obstruant, ut exigua saltem juxta se relinquant intervalla, soli materiae primi elementi pervia, oritur obstructio inflammatoria, hoc est, tunc ignis ibidem producitur, dum rigidae hae partes pernicissimo hujus elementi nullibi inclusi, nullibi exclusi, motu agitatae, fibrillas divellunt, & discerpunt, quae in cincinnos resilientes vicinos tubulos antea adhuc patulos comprimunt, unde brevi inflammatorius fit tumor, in abscessum tandem aut etiam gangraenam, nisi citius in medium consulatur, degenerans. Et quum inflammationis hujus varii dentur gradus, forte non errabimus, si & perniones ad ejusmodi tumores inflammatorios referamus, quum eadem hic appareant phaenomena, qualia in partibus inflammatis conspiciuntur, v. g. dolor, tumor, rubedo, calor, &c.

VIII. Gaussa mediata proxima est frigus, cujus naturam diximus consistere in quiete, & hoc quidem per se & solitarie nullam inducit corruptionem, sed per accidens ipsam destruit partis alicujus texturam, dum humorum itum sistendo, mixturam eorundem turbat; qui enim agiles valde sunt, avolant, hinc reliqui acriores facti, eo potentius haec ludunt dramata. Accedit quod superveniens calor plus damni inferat, dum subito obstructionem solvit, & partes constrictas exagitat, quae plus spatii occupantes ipsam texturam destruunt, ut in floribus conge-

latis id pulchre ostendit *acutissimus Rohault in Physica*.

IX. Antequam autem ipsam aggrediar curationem, necesse est, ut pro existimatione Medici conservanda, prognosticum introducam, quo eventum & modum eventus scire liceat. Quamvis itaque perniones non exulcerati omni careant periculo, molestia tamen pleni sunt, & nisi in principio radix mali extirpetur, postea aegre perfectam medelam admittunt. Quis enim nescit, particulas acres paxillorum instar fibrarum poris infixas esse, & acutis suis extremitatibus scindendo continuitatem earum dissolvere, quae inde chordarum instar in cincinnos resilientes acres has particulas arctissime complectuntur, in quorum interstitiis tamdiu jacent consopitae, donec a certa materia subtili exagitentur. Hinc jam patet ratio, cur hyeme potius pruritus, dolor & rubedo sentiatur, quam aestate. Aether enim seu rectius materia subtilissima *nob. Philosopho* dicta, non semper una eademque, versus haec inferiora spargitur, sed pro diversitate locorum annique temporum nunc parcius nunc copiosius dispensatur, & nunc alia atque alia ad nos accedit, prout scilicet tellus vel propius vel longius a sole aliisque sideribus distat. vid. fundamenta medicinae ad mentem Neotericorum delineata *excell. Dn. Praesidis*. Soli huic aetheri tribuendum est, quod in peregrinationibus & locorum mutationibus alias optime sani saepe aegrotemus, vel contrarium experiamur. Huic etiam acceptum ferendum, quod hoc mense hae progerminent herbae, hi nascantur flores; quod vere alii grassentur morbi, quam autumno, hyeme alii quam aestate. Id quod jam suo tempore Hippocrates annotavit; sic enim scribit *aphorism. 19. sect. 3: in quibus vis anni temporibus morbi fiunt, nonnulli tamen in quibusdam ipsorum magis tum fiunt, tum exacerbantur*. Aether autem vel ex se & sua natura morbos infert, dum in sanguinem nostrum introductus cum ejus poris non convenit, sed eos immutando luctam excitat, & nativam ejus misturam turbat, qui turbationis gradus major vel minor erit, prout aether peregrinus magis vel minus ab aethere amico & familiari abludit: hinc propullulant morbi epidemici maligni, febres malignae & ipsa pestis: vel saltem occasionaliter & per accidens sanguini bellum infert, dum quidem placide & sine magno tumultu per sanguinis interstitia fertur, sed extra eum fomitem in tubulo partis solidae latentem reperit, cujus pori cum reliquis quoad figuram & magnitudinem non conveniunt; tunc enim privatam introducit primo fermentationem, deinde quum humor ille rarefactus in ergastulo suo amplius detineri nequeat, sed carceribus obstructionum perruptis, ab humoribus circulantibus versus cor abripiatur, & cum massa sanguinis intime permisceri nequeat, etiam huic malignam imprimit labem, unde ortum suum trahunt variolae & morbilli, febres intermittentes, aliique morbi periodici.

X. A diversi etiam aetheris influxu est, quod quidam homines calendarium perpetuum in corpore suo gestent, & ex insolita & notabili mutatione in hac vel illa parte instantes anni tempestates praesagire possint. Imprimis vero illis haec contingit felicitas mathematica, qui aliquando gravius sauciati cicatricem habent, cujus pori quoad figuram fuere immutati magisque stabiles redditi; quoties igitur pro diversa distantia & situ telluris a sideribus alius influit aether, aërisque subsequitur mutatio, toties aliam tempestatem imminere praedicent. Nam aether caeteros poros totius corporis facile ac citra molestiam trajicit: verum in illis, qui in cicatrice sunt, remoram offendit, quia alio modo intorti & quoad figuram & magnitudinem a reliquis discrepantes sunt, in quos si irruat & vi viam sibi sternat, doloris sensus excitatur. His modo dictis velificatur etiam experimentum, quod in thermometris videre licet. Sunt autem vitra, quae varia sub forma hodie prostant, & liquore quodam gelu minus concrescente ad certam altitudinem replentur. Quo itaque materia subtilis copiosius influit, eo magis aër in vitro con-

tentus rarefiet liquoremque premet, ut descendere cogatur: contrarium vero observatur, ubi propter aetheris parciorem influxum aër est magis condensatus.

XI. Visis sic omnibus quae ad theoriam spectare videbantur, ipsam tandem aggredior curationem. Ubi statim notari velim, probe attendendum esse, malumne recens sit, an inveteratum. Quippe in recentibus pernionibus ipsis frigidis curam rectius auspicamur, quia frigoris lues frigore pellenda est, quam latine non minus quam medice descripsit Barclajus; cujus verba apponere libet. *Sudum erat, dicit, neque portus ab hospitio Regis procul; processit igitur nec spirantibus ventis, nec acriter ut videbatur inhorrente aëre; contemplatusque paulisper glacie stratum mare in thalamum rediit, nec dum aliquid de pernicie hyemis suspicatus. Sed dum foco se admovet, ex circumstantibus unus, in dexteram Regis manum, ut forte fit, intuens, advertit vicinum pollici digitum coerulo & esangui livore rubentem; peritusque coeli illius, ne tu, inquit, Rex, ad ignem accesseris. Nocuit tibi aër & digitum exanimavit: sic jam affectum, pejus ignis intempestivo calore perdiderit. frigoris lues alio frigore pellenda est. Admiratus Rex primum se laesum negat, quippe nullo doloris sensu tentatus. Sed non diu dubitavit, quin recte moneretur. Nam stupebat rigens digitus, sensumque cum sanguinis calore amiserat. De remedio quaerenti, referunt certam esse & in promtu medicinam, cujus se salubritas, brevi quidem, sed acerrimo dolore insinuet: id pati oportere, nisi malit intercidere digitum tam noxia hyeme contactum: allatumque est vas subito plenum nive, non quidem ad ignem domitu, sed per ipsum triclinii teporem jam sensim diffluente. Illo Rex digitum inserere ex praecepto incolarum monetur: subitoque ingens dolor per torpentes paulo ante articulos pene illius patientiam excussis. Remeantis in digitum sensus documentum primum fuit, quod doleret. Eo modo Rex incolumis evasit, admonitoque, tam improvisi mali facilior postea cautio fuit, vel certe medicina, quippe & paulo post aurem dexteram equitantis eadem pestis adussit.* Hactenus citatus Auctor. Neque desunt rationes, quibus hanc medendi methodum suffulcire possimus. Quis enim nescit, omnem subitam mutationem esse periculosam? praesertim hoc in casu, ubi metuendum esset, ne subitaneus iste superveniens calor, totam partis affectae structuram pessundaret, atque incarceratos humores vehementius agitando, dolorem intenderet, id quod vel ipsa confirmat autospia; quum manus frigidae igni admotae, mirum quantum intumescant. Et idem corpus nostrum experitur fatum, quod pomis congelatis accidere solet, quae aquae calidae injecta statim corrumpuntur igne majori cum impetu in ea irruente, ut in putrilaginem abeant, & vita, si ita loqui liceat, destituantur. Verum si aquae frigidae immergantur, in qua adhuc amica fluit subtilissima materia, & quae sine aliqua magna vi congelatis liquoribus aut succis fluiditatem suam naturalem reddere potest, sine ulla laesione alicujus fibrae ad pristinum redeunt statum. Vulgus quidem caussam quaerit nescio in qua frigoris extractione, qualem nos admittere non possumus, sed rectius dicimus, fieri id ob materiam subtilem magis amicam, vel quod poma congelata in majori constituta quiete, quam aqua frigida, huic aliquem suae quietis gradum communicent. Hinc videmus, ipsam aquam, ambientem corpora congelata, saepius in glaciem abire, dum illa interea gelu solvuntur; idemque hic fieri videtur, quod contingit, quando sal cum nive vel glacie commistus in vase aquae imposito agitatur, & derepente aqua vasis latera circumambiens conglaciatur. Cujus phaenomeni caussam Le Grand ita explicat. *Quod videlicet globuli coelestis majusculi, qui aquam agitatione sua liquidam reddunt, quum plus virium habeant quam illi, qui nivis partibus inter labuntur & commodiorem in rigidis & levioribus salis & nivis particulis, locum reperiant, in quo moveantur, fit, ut eo necessario pergant. Quumque corporum penetrationem natura non ferat, & omnis motus per circulum fiat,* glo-

globuli aetherei minores, in sale & nive contenti majorum accessu egredi conantur, & loca derelicta per vitri poros petere. Ut vero illi globuli ad continuandum aquae motum non sufficiunt, sequitur, ut illa concrescat, & glaciei frigus duritiemque nanciscatur. E diverso nix sali commista dissolvitur & in liquorem abit, quoniam a majoribus illis globulis agitatur, qui aquam suo motu liquidam ante hac reddebant. Satius itaque erit, aegrum e longinquo igni apponere, aut miti primum frictione cum nive frigus demulcere, & sensim mollique agitatione articulos vellicare, qua revocari sanguis queat, & sopitae partes reviviscere.

XII. In malo inveterato potentiora adhibenda sunt deobstruentia, qualia sunt spiritus vini simplex vel camphoratus, spirit. lumbricorum, juniperi, sal. armoniaci; convulsiv. bals. arthrit. ischiat. nervin. *Schäfferi*. Tinct. balsam. *Dekkeri*, liq. cor. cer. succin. Commendantur quoque varia olea v. g. vulpin. nardin. cerae, hyper. terebinth. axungia cati sylvestr. petroleum, quod juxta *Ettmullerum* & praeservat & factos jam curat. Oleum pini ab eodem pro praeservativo & curativo habitum. Inter composita eminet unguent. contra perniones *Schröderi*, *Barbette*, ex rapis *Mynsichti*, *Timaei a Güldenklee*; hujusque cataplasma ex farina evenacea. *Herseli* cerevisiam tam diu coctam, ut in crassioris sirupi vel mellis consistentiam redigatur & partibus congelatis inunctam miris extollit laudibus. Parem merentur laudem fotus & suffitus, quorum hi ex cinnabarinis & balsamicis resinonis, illi ex ruta, melissa, roremarino, lavendula, serpillo, origano, salvia, concinnantur. Quod si dolor valde urgeat, conveniunt paregorica, quales sunt althaea malv. flor. chamom. sambuc. croc. sem. foenigraec.

XIII. Exulceratis imponatur terebinthina, empl. diapalm. de creta, de lytharg. empl. *Barbett*. unguent. cancrinum a Sennerto commendatum. Caeterum toto curationis tempore frigus externum quantum possibile arcendum erit, in quo totius curationis cardo vertitur, eum in finem pellis leporina, charta emporetica cum spir. vini, vesica bubula cum terebinthina aliaque laudantur. D.O.M. sit laus & gloria in aeternum.

DISPUTATIO IIX.
DE CHYLIFICATIONE,
SIVE
CIBI IN CHYLUM MUTATIONE.
RESPONDENTE
BERNHARDO WILHELMO GEILFUS. Butisbac.

I. HOdierni Pilosophi, contemplantes hoc universum, & non contenti solis veterum principiis, eo usque pervenerunt, ut omissis qualitatibus occultis, spretisque facultatibus physiologicis, quibus in corporum naturalium explicatione utebantur veteres, in macrocosmo stirpium nutritionem, & auctionem, seu vegetationem clare ac perspicue, per solam partium magnitudinem, situm & figuram, accedente solis calore, & materiae subtilis agitatione, explicarunt, & ad sensum demonstrarunt, inter quos agmen ducit & choreas *Joh. Baptista Denys, Consiliarius, & Archiater Regis Galliae*, quem in nostra, de chylificatione disputatione medica, in omnibus tanquam fidelissimum imitabimur Praeceptorem: nulli enim dubitamus, si admiranda haec naturae opera in macrocosmo tam clare ac perspicue explicari potuerunt, & nos in microcosmo eadem facilitate ac perspicuitate admirandum illud chylificationis opus, per solam partium figuram magnitudinem & motum in ventriculo, & intestinis, orbi erudito proponere, & explicari posse. Si enim illi per motum succi nutricii, e tullere in stirpes a calore impulsi, docuerunt partium diversitatem, & qualitatum differentiam, si inquam

illi monstrarunt, quomodo radices generentur in terra, truncus supra terram, pars medullaris in centro, cortex in peripheria, folia itidem flores & fructus. Nos cibi in chyli mutationem brevibus, sed claris ac perspicuis verbis, per ipsius dissolutionem in ore, fermentationem in ventriculo, effervescentiam in intestinis tenuibus, sine ulla non intelligibili specifica facultate, sine ullo specifico calore, & aliis qualitatibus occultis describemus. Quod ut in medicinae incrementum, & aegrorum salutem vergat, invocamus summum & macrosmi & microcosmi conservatorem Deum T. O. M. velit nobis sua gratia & spiritu veritatis adesse, & nos in omnem ducere veritatem.

II. Cibus, quia neque crudus, neque, igni culinari coctus commode deglutiri potest, multo minus a fermento ventriculi, seu liquore ejus acido (ita enim imposterum fermentum hoc nominabimus) exacte dissolvi, opus est, ut molitura quaedam praecedat, quae cibum subsecuturae fermentationi in ventriculo praeparet, illa praeparatio fit per comestionem, quae genus quoddam solutionis est, in illa comestione sensatio excitatur, seu gustus, sensui tactus adeo similis, ut istius species quaedam esse videatur, ut notat *laboriosissimus naturae scrutator*, & *Philosophus celeberrimus Aristoteles*. Haec sensatio quomodo fiat describi posset etiam ad mentem, normam & formam Neotericorum, si esset hujus loci: itaque hac certis ex caussis omissa, hoc saltem notabimus dependere praecipue ab hoc sensu & vitam & vegetationem animalium, dum alimenta congrua ab incongruis, & salubria a noxiis discernit, & pro individuo non minus, quam specie tuenda *Cupido & Venus*, intercedit.

III. Quamprimum cibus quaquaversum in ore agitatur, & dentibus conteritur, extillat e glandulis peculiare quoddam menstruum, undique per palati poros affluens, quod sale suo, de quo participat, discindit cibum, in minutiora corpuscula, quae salivae seu menstruo innatantia, pro diversitate motus, quo circumnatando fibras linguae nervosas afficiunt, seseque poris linguae insinuant, varios constituunt sapores: ne vero putes, me destitutum experimentis, quibus illam corpusculorum in poros linguae insinuationem confirmare possim, observes velim, unum saporem non raro alium excludere; nonne enim dulcia praelibata, quia viscosa, & valde obstruentia sunt, accuratiorem vini gustum impediunt, aut pervertunt, qui restituitur per salium, aut acrium comestionem, ut linguae pori aperiantur, & viscositates inhaerentes abstergantur?

IV. Quum vero saporum speculatio plurima jucunda, & non minus utilia in se contineat, placet, hic nonnihil pedem figere, & ex *cl. Willis. sua de saporibus cedro sane digna cogitata producere*: dividit itaque *celeberrimus Angliae Practicus* sapores in simplices, & compositos. Simplices recensentur novem: acris, amarus, salsus, acidus adstringens, acerbus, dulcis, oleosus, insipidus.

V. Acris, qualis in pipere inquit, & pyrethro, sentitur sapor, quando corporis alicujus particulae sunt teretes, & aculeatae, eoque modo, quo urticarum aculei figuratae: in his corporibus praepollet sal volatilis aut alkalisatus, aut ab igne fluorem passus, inter naturalia e multis sunt ranunculus, sinapi, in regno vegetabili: in minerali arsenicum, in animali cantharides: inter artificialia sunt Mercurius sublimatus, butyrum antimonii & alia, si quidem Chymicis notum est, corpora ignis beneficio posse fieri acriora, quatenus stimuli acuuntur, quod videre est in vitriolo calcinato, & lapide infernali; & corpora, quae ex sua natura sunt acria & corrosiva, sibi invicem mista & igni commissa, fieri etiam acriora; sales enim congeneres commissi jungunt suas acies, quod non faciunt sales diversi generis, ut videmus, si spiritus vitrioli affundatur oleo tartari, quae in se mutuo agunt, & aculeos diffringunt, non aliter ac si cultri unius, acies alterius aciei affricetur.

VI. Ama-

VI. Amarus sapor fit a particulis, quarum aculei sunt furcati, superficie tenus saltem sensorium afficientibus, non aliter, ac si aculeatus dispaci fructus aspere in manibus contrectetur.

VII. Salsus producitur sapor a particulis plurimos angulos habentibus, & quarum laterum acies sunt aculeatae, ut in vitri confracti frustulis manibus arcte compressis videmus: talis salsedo tolli aut alterari saepissime potest, tum ab igne, si sales repetitis destillationibus subjiciantur, tum aëre, dum observamus sales antea albos, si humido exponuntur aëri, resolvi in liquorem rubicundum, odoris fuliginosi, si ita loqui liceat, ob nullam aliam caussam, quam quia salinae particulae volatiles, ab aëre humido a misto solutae avolant, remanentibus sulphureis, & praedominium nanciscentibus.

IIX. Saporem acidum dicunt fieri a sale fixo, in fluorem verso, dum particulae alicujus corporis modificantur, & figurantur in particulas tetrahedricas, ita ut quovis modo nervosis fibris applicatae eas pungant, & foveas, ac ampliores immersiones, quam particulae salsae, in iis relinquant: talia corpora sunt acetum, & ejus spiritus, humor melancholicus praeternaturalis, saliva scorbuticorum, succus pancreaticus praeter naturam acidi illi sapores corrigi possunt longa digestione, ac circulatione, vel si corpora quaedam liquoribus acidis immergantur, quorum compogem solvant, & per corrosionem illam, vel aliter modificentur, vel in paris imbibantur: sic spiritus aceti affusus ol. tartari, & iterum per destillationem abstractus, omnem amittit aciditatem: spiritus vitrioli Mercurio vivo affusus, & iterum destillatus, non magis est acidus, sed aluminosi saporis, si Helmontio credimus, & notum est, minii additione dulcescere acetum.

IX. Saporem austerum, sive adstringentem, describimus cum praelaudato Medico, *Dn. Willisio cap. de gustu*, per particulas hamulis quamplurimis praeditas, quae inter masticandum fibris insiguntur, eas valde constringunt, ac convellunt, non aliter ac si pecten, quo lanam carminant, vario hic inde tractu super manus duceretur. Dum e contra saporis acerbi caussa etiam consistat in particulis, hamulos, & unciolos habentibus, sed quae magis sint hebetes, ac obtusae, & semel infixae non facile tolli possint: non aliter, ac fructus bardanae cuti affixus, exinde enim stupor ab dentibus acerbis conciliatur. Mirandum quare praegustato vitriolo, si fumus tabaci ore accipiatur, sapor austerus sensui a vitriolo impressus, in dulcescentem, & plane mellitum commutetur!

X. Sapor dulcis consistit in titillatione sensorii, dum leni affrictu particulae molles jucundum voluptatis sensum excitant, non aliter ac plumarum striae hypochondriis ac pedum volis admotae. Saporum horum natura ita clara, & perspicua cuilibet legenti erit, ut non opus sit in reliquorum explicatione cum taedio immorari, multo minus de compositis hic agere, quum ex antedictis reliqua omnia facile intelligi possint. Neque regeres, doctrinam hanc de saporibus esse magis ingeniosam, quam utilem, certe quum multorum morborum caussae consistant in austero, amaro, acerbo, acido, &c. docente communi nostro Praeceptore *Hippocr. lib. de veteri medicina*: maxime necessarium erit naturam, & genesin horum saporum nosse, ut eo felicius a medicamentis corrigi, & immutari possint.

XI. Ut vero cibi progressum sequamur: dicimus, particulas cibi in ore salivae innatantes, & vario motu agitatas, tandem deglutiri cum saliva, & a ventriculo excipi, in quem in ipsa deglutitione, & ventriculi motu, effunditur, liquor quidam acidus per minutissimos ductus a glandulis, quibus copiose referta est interior ventriculi membrana, qui liquor acidus inchoatam in ore a saliva dissolutionem continuat, & ulterius perficit, ut in minutissimas redigantur corpuscula deglutita particulas. Ita ut non opus habeamus alias specificas quasdam, & non intelligibiles excogitare caussas, sed acquiescere possimus in sola partium dispositione, quum

eosdem

eosdem fere effectus videamus frequenter etiam in artificialibus. In molendinis, quibus charta conficitur, aqua continuo itu, & reditu dissolvit lintea in minutissima filamenta, & fere in materiam pultis instar, unde fit charta. In Chymicis operationibus videmus durissima solvi corpora, v. g. ferrum, aurum, corallia a liquoribus acidis, quales sunt, succus citri, spiritus vitrioli, & alii. Quia horum particulae tetrahedricae permeant corpora dissolvenda, eaque dissolvunt.

XII. Ex his supponimus liquorem ventriculi acidum, & salivam ejusdem esse plane naturae; non solum enim observamus, interiorem tunicam, & linguae, & ventriculo communem: verum etiam linguae temperiem mutari pro vario ventriculi statu, & saepissime ita denigrari, & ascendente fuligine obduci, ut videmus caminum a fumo subjecti ignis non raro incrustari.

XIII. Et illa, quae grati sunt saporis, facillime digeruntur. Hinc etiam deducimus caussam linguae ariditatis in febribus ardentibus, quatenus a calore liquor ille acidus in ventriculo exsiccatur, & cum illo saliva in ore, hinc si commedant aegri, febrem potius augeri videmus, quam corpus nutriri.

XIV. Liquor ille acidus est vera, & unica famis, & appetitus caussa, in cujus explicatione Auctores valde sudarunt, dum alii per suctionem, alii per fermenti acidi a liene inspirationem, alii per cibi reliquias; alii denique per spiritus famelicos caussam explicarint, quorum nomina, & diversas opiniones videsis apud *Moebium, in suis ad invidiam etiam jactis fundamentis physiologicis cap. de usu ventriculi.*

XV. Si enim liquor hic acidus, magna copia effundatur in ventriculum, & nihil, in quod agat, infert molestum quendam orificii ventriculi sensum, & appetitum ad edendum excitat: quod si sit paulo acrior, excitat famem caninam, & appetitum nimium, siquidem observamus, si calor vehemens illum agitet, tunc edi effectus miratu dignos: nonne videmus, animalia quaedam voracia digerere posse concoctu difficillima? ob liquoris hujus aciditatem, qui corrodendo ipsorum ventriculis valde molestus est, si non habeant, quibus sedent, ac mitigent ejus aciditatem, haecque animalia sunt quasi in continua febri: inde concludimus cum Helmontio calorem non efficienter digerere, nec proprie esse caussam dissolutionis ciborum, sed solum agitare, & movere aquam ventriculi acidam, solutionis veram, & efficientem caussam.

XVI. Requiritur sane calor moderatus, qui juvet, ac promoveat fermentationem, quum nullus calor sit sine motu, sic si phiola tegatur manu in praecipitatione olei tartari ebullitio etiam ad oculum fit major: motus corporis excitat appetitum, quatenus ob sanguinis agitationem aqua acida destillat in ventriculum, & qui debilem habent calorem, sibi optime consulunt, assumentes succoladam post cibum, & superbibentes vinum malvaticum.

XVII. Calor enim salsas particulas liquat ad statum fusionis, si fuerit conveniens, quoniam, sicut ab admisto fermento panis in loco tepido bene, in frigido aegre, in clibano fervente nihil prorsus fermentatur; ita etiam liquor ille acidus nonnisi a moderato ventriculi calore excitatur, a nimis parvo non afficitur, a nimis magno discutitur; neque enim sequitur: quo major est ventriculi calor, eo major erit fames, ac eo fortior, & melior fit coctio; contrarium enim liquet in causo, & ventriculi inflammatione: item in Leone, qui etsi inter animalia calidissimus esse censeatur, nihilominus ferrum, aurum, aes non concoquit, quae tamen in ventriculo struthionis facile digeruntur, quemadmodum in aula Ducis Ferrariae se struthionem talia metalla deglutientem, & concoquentem vidisse refert *Langius l. n. epist. 15.* quo de vide *cl. Diemerbroeck.*

XIIX. Verum quamvis aqua haec acida sit sufficiens solvendis ciborum particulis, tamen successu temporis ejus particulae obtunduntur, ut videmus cultros, quo saepius illis utimur, eo facilius eorum fieri cuspides obtusas.

XIX. Videmus hoc in saliva, & in liquore ventriculi: siquidem salivae particulae obtusiores factae, perdunt suam activitatem, unde gustus perit, & satietas supervenit: in ventriculo vero, egresso chylo, non statim iterum percipitur illa corrosio, qua fermentum in poris ciborum sese subduxit, & denuo de novo affluens, novam debet excitare famem.

XX. His ex principiis quam facile possumus reddere rationem, quare saepius pereat appetitus in totum, & quare digestio fit vitiosa, vel nulla, si vel pituita, vel melancholia, vel bilis hospitet in ventriculo: nam quemadmodum aqua fortis omnem suam perdit activitatem, in solvendis metallis, si misceatur cum aqua communi, sic perit etiam omnis fermenti efficacia, si misceatur aliis cum vitiosis humoribus, & quia liquor acidus destillare debet in ventriculum, & titillare membranas ejus pro excitando appetitu: si orificia horum ductuum obducantur viscoso quodam humore: si obstruantur arteriolarum extremitates, & cum ipsis glandulae, peribit tunc omnis appetitus: in tali casu admodum proficuus est vomitus, ut & usus liquorum detergentium, ad evacuandum ventriculum; idem accidit in glandulis salivalibus limoso quodam succo obductis: si enim os non eluatur ante cibi assumtionem, vix ullum poteris deprehendere saporem: frequentissime tale quid observamus in reconvalescentibus febricitantibus, & in naturis pituitosis, quibus per noctem in somno magna pituitae, & viscosi humoris copia linguam, & palatum obducit.

XXI. Si itaque appetitus pereat ob defectum aquae acidae, tunc conveniunt salia, & omnia acida, quae cum cibo deglutita, & agitata a calore supplent vicem ventriculi fermenti, & ob hanc caussam conamur restaurare appetitum cibis aceto, & omphacio conditis: certum etiam est, cibos de sale participantes, facilius coqui, & digeri, sic panis fermentatus plus nutrit, quam non fermentatus, & recens caro suilla difficilioris est concoctionis sale condita.

XXII. Diximus liquorem acidum dissolvere ulterius cibum masticatum, & a saliva solutum, quae dissolutio sine ingressu in poros minutissimarum etiam particularum fieri nequit: inde patet ratio, quare nonnulla, vel plane non, vel tam difficulter concoqui possit, si enim pori ciborum ita sint clausi, si particulae ita concatenatae, ut nulla relinquant in se spatia intermedia, tum incocta, cruda, & indigesta transeunt ventriculum, & intestina, & per alvum iterum excernuntur: talia sunt nuclei cerasorum, pili, uvarum tunicae &c. quorum superficies est adeo firma, & polita, ut liquor acidus non inveniat poros, per quos ingredi, eaque dissolvere possit.

XXIII. Verisimile itidem est, liquorem acidum non exstillare magna in copia e glandulis in ventriculum, nisi eo tempore quo deglutitur cibus, ut supra diximus: unde distenduntur fibrae partim a pondere, partim a fermentatione premuntur glandulae, & exprimitur liquor acidus, eo modo quo aqua extillat e spongia, manu leviter compressa.

XXIV. Et quum in digestione & ciborum coctione maximum fiat liquoris hujus dispendium, conjecturamus, successive iterum impleri hoc liquore glandulas; si enim confertim fieret, nullas a fame haberemus inducias; siquidem glandulae illae sunt instar mammarum lactantium, quae suctae copiose sese exonerant, & nonnisi paulatim replentur; & quemadmodum ubera si non sugantur flaccescunt, sic si quis inediam per aliquot dies sustinuerit, nullam amplius sentiet famem, quia pori glandularum subsiderunt, ita ut extillare nequeat liquor acidus; unde tandem omnimoda sequitur earundem exsiccatio, & talem inediam passi parca manu debent assumere cibum, quia liquor acidus est in exigua copia superstes, adeoque concoctio valde debilis & languida gravissimi morbi auctor imo & mortis esse potest, quod observatum fuit saepissime in his, qui post longam inediam avide & largiter comederunt.

XXV. Hactenus nihil admisimus, nisi quod clare ac distincte percipi possit, alimenti in chylum mutationem per salivae admistionem, & dentium contritionem, nec non per ventriculi dispositionem, ibidemque hospitans fermentum, additis ciborum poris, & qualitatibus, clare quidem & perspicue descripsimus, ita ut nihil clarius ac evidentius meo judicio dici possit. Restat ut modum hujus dissolutionis etiam addamus, antequam ulterius progrediamur.

XXVI. Putamus autem fieri hanc tibi in chylum mutationem in ventriculo per fermentationem quandam, non obstantibus speciosis etiam argumentis partim *a doctiss. Schokio, in tract. de ferment. prolatis, partim a Dn. Piens in tract. de febr. adductis & repetitis*, ad quae in conflictu solide respondere semper parati sumus.

XXVII. Fit haec fermentatio sine vehementi motu sursum deorsumque, aut tumultuosa per ventriculi cavitatem agitatione, qualis in aqua ad ignem ebulliente contingit; nihilominus est adeo valida, ut per eam cibi licet durissimi, qui super igne culinario vix totius diei coctione in lebete emolliri queunt, paucis horis non tantum emolliantur, sed adeo etiam dissolvantur ac liquentur, ut particulae ab amica unione disjectae, atque ab invicem divulsae, liquorique ventriculo inhaerenti vel infuso commistae, pultaceam consistentiam, cremori ptisanae non absimilem, consequantur, ut loquitur *nobiliss. Dominus Diemerbroeck* calculum suum his addit *Dn. Broeckhuysen in suis de mente & corpore succinctu cogitationibus p. 49.* inquiens: concoctio haec non alia est, quam fermentatio quaedam, qua cibi ac potus saliva permisti alterantur, inciduntur, sicuti cibi in lebete circumjectis prunis in convenientem massam, vel liquorem mutantur: dixi olla, quia ventriculus eodem modo per vicinas ipsi partes fovetur; calor enim & fotus circumjacentium partium, sive immediate per arterias, sive ab ipsis prodeat, ut sunt lien, hepar, pancreas, & mesenterium, concoctionem mirifice promovet. Earum quippe partium particulae celeriter & vario motu adactae, quum per poros ventriculi foris introspectantes indesinenter pelluntur, non possunt non suo impulsu excitare fermentationem, qua totum hoc negocium perficitur, quocirca *Galen.* haec viscera vocat foculos quosdam igniarios.

XXVIII. Cibum sic in chylum mutatum statuimus egredi ventriculo, & ingredi intestina tenuia, in quorum limine & principio nova fit effervescentia, & novo fermento, a duobus liquoribus acido & salso constituto, producta, de qua nonnihil etiam tradidit Dn. Praeses in sua de dysenteria maligna ex iisdem descripta principiis disputatione.

XXIX. Chylus cessante jam fermentatione in ventriculo illabitur intestina, sine ulla vel attractione vel expulsione, cujus egressum necessario subsequitur fibrarum ventriculi subsidentia & contractio, qua chyli exitus nonnihil promovetur, non aliter ac si vesica aqua vel aëre impleta sponte contrahitur, ac subsidet, quamprimum aër vel aqua distensionis & inflationis caussa egrediantur.

XXX. Quum vero illa fibrarum ventriculi distensio nunquam fiat, neque fieri possit sine partium sub & circumjacentium molli compressione, evidentissime patet, quare duo diversi liquores, unus a latere sinistro, alter a dextro, in intestinum duodenum coctionis tempore effundantur, ita ut nec hic ullam, non intelligibilem, multo minus probabilem attractionem aut expulsionem imaginari debeamus. Siquidem hepar compressum stillat bilem, succum pancreaticum vero per proprium ductum & canalem pancreas, quemadmodum videmus, per levem etiam compressionem spongiam facillime imbibitum evomere humorem.

XXXI. Horum liquorum accurata instituenda erit anatomia chymica, ut eo facilius eorum verum & legitimum usum describere queamus, & quidem de officio succi pancreatici vel altum est apud veteres silentium, vel gravis de ipsius usu disceptato; quum enim pancreatis usus aeque obscurus & tenebris involutus fuerit,

non potuerunt non de succi ejusdem natura & qualitate facillime a veritatis aberrare semita. *Regnerus de Graaff* primus ejusdem fuit Patronus, qui sub oculis & directione *cl.Sylvii* cordate ejus usum & modum colligendi orbi erudito consecravit: *edito libello quodam gallice de succo pancreatico conscripto, anno* 1666. cujus encomium his extollit verbis *cl.Diemerbroek. Profecto*, inquit, *admodum ingeniosum est hoc inventum; ejusque nomine multum debemus diligenti doctoque inventori, qui hac sua industria magnam facem ad meliorem plurimorum morborum cognitionem accendit.* Et quum ipse praefatus *clar. Dominus Diemerbroek* in investigando hoc succo pancreatico laudandam etiam suam adhibuerit industriam, nolumus talem virum, de Republica, ob multa clarissima exstantia eruditionis rarae monumenta, bene meritum, sua defraudare laude; sed ipsius verba huc apponere. *Quum animadverterem*, inquit, *omnes de pancreate opiniones prorsus conjecturales, & omnino incertas esse, nec ullis rationibus, aut certis experimentis fulciri, in hujus hactenus fere neglectae partis examen ante hac diligentius incumbere coepi: & post multa tentamina anatomica, (quorum nonnulla bene, multa male successerunt, propterea, quod in intestinum duodenum superius inferiusque ligatum, & tunc discissum, praeter succum pancreaticum, plerumque copiosa bilis e ductu cholidocho influeret, succi pancreatici praesentiam & saporem obscurans) comperi, cum in vivorum, tum in recenter strangulatorum brutorum sectionibus e ductu pancreatico manifestum quendam liquorum sublimpidum, & quasi salivosum, nonnihil austerum, ac subacidum effluere in duodenum intestinum, idque interdum copia non contemnenda.* Pergit paulo post: *biennio postquam haec scripseram, oblata nobis fuit disp. Doctiss. Regneri de Graaff, quondam mei discipuli, qua in Academia Leyd. sub praesidio cl. Profess. Franc. de le Boë Sylvii, de pancreate, ejusque usu publice disputans, praedictam meam opinionem multo magis confirmabat.* Ex quibus videmus, aequalem deberi utrique gloriam, & *cl. Dn Diemerbroeck*, & *Dn. Graaff.*

XXXII. Quibus praemissis, describimus succum pancreaticum esse menstruum animale, clarum & pellucidum, saporis ad gratiam acidi, ex sanguinis arteriosi serosa ac subsalsa parte, admistis spiritibus animalibus, per nervulos minimos allatis, in pancreate excoctum & generatum: a particulis illis acidis profluunt & emanant qualitates incidendi & dissolvendi, quibus succus ille pancreaticus pollet, & omnia Chymicorum menstrua solvendis corporibus destinata.

XXXIII. Aeque magnum de bile fuit apud veteres dubium, eaque de re maxime discordes sunt Doctorum sententiae. *Aristoteles* cum suis asseclis illam merum esse excrementum, & e sanguine expurgari statuit. Alii eam hepar calefacere, corrobare, & coctionem juvare scribunt. *Helmont. Philos. acutiss.* illi vim balsamicam tribuit. Galenici eam faecibus intestinorum excernendis destinatam unanimi credunt consensu. Nos dicimus, esse succum multo nobiliorem, qui in nemine non invenitur, & sine quo vivere nemo diu potest, *docente id Fernelio, lib.6. pathol. cap.5. scribente*, non paucos e vivis ereptos fuisse, in quibus non alia interius caussa comparuit, quam quod folliculus bile omnino exhaustus esset. Et constare ex sale volatili & lixivioso, particulis sulphureis & oleosis, quibus incidat, attenuet, & penetret: quod notum est pictoribus, qui coloribus suis admiscent bilem, non solum, ut eo profundius penetrent poros corporum colorandorum, sed etiam, ne tam facile ab aëris ambientis injuria colores corrumpantur. Notum hoc etiam est illis, qui norunt praeparare globulos pro delendis vestium maculis, quibus bilem ob vim illam penetrandi, incidendi, & abstergendi admiscent.

XXXIV. Hi diversi liquores, quorum unus est acidus, alter amarus, novam chyli ventriculo egressi in intestino duodeno excitant effervescentiam, quam secundam in oeconomia animali vocamus coctionem; qua effervescentia novam chylus induit formam; qui enim in ventriculo erat crassus & minus fluxilis, variique

riique coloris, in intestinis tenuibus nunc fit fluidior, tenuior, & coloris instar lactis candicantis.

XXXV. Caussa novae hujus effervescentiae quaerenda est in sale lixivioso, & spiritu acido: quam primum enim spiritus acidus affundatur sali lixivioso, manifesta oritur ebullitio, quod probo experimentis Chymicis. Si spiritus nitri affundatur limaturae ferri, manifesta oritur ebullitio, & paulo post ex hoc motu calor. Spiritus vitrioli affusus oleo tartari manifestam excitat effervescentiam; quid mirum ergo, si succus pancreaticus loco spiritus nitri vel vitrioli mistum cum bile, quae refert naturam olei tartari & limaturam Martis, talem manifestam excitet in intestinis tenuibus effervescentiam, a qua effervescentia omnes chyli qualitates manifeste deduci posse postmodum audiemus.

XXXVI. Fermentatio horum liquorum ab adveniente chylo, crasso adhuc & viscido, potius augetur, quam quod impediatur; si enim spiritui acido & sali lixivioso effervescentibus affundatur liquor quidam crassus, effervescentia augetur: sic si lac affundatur oleo tartari & spiritui vitrioli, statim major oritur ebullitio, quoniam omnes liquores crassi & viscidi in quavis ebullitione sese magis dilatant, ac expandunt, magisque rarefiunt, quod videre est in melle ebulliente super ignem, secus ac in vino & aliis tenuibus liquoribus.

XXXVII. Huic effervescentiae si moderatus accedat calor, debita etiam & legitima fit coctio. Si bilis cum tertia parte spiritus vitrioli exponatur soli, incipiet confestim ebullire. Quod si calor ille excedat, effervescentia etiam erit violentior & tumultuosior, inde oriuntur gravissima capitis mala, vertigo, & phlogoses inter comedendum, hypochondriacis, & chlorosi laborantibus familiares: quoniam inter comedendum distenditur ventriculus, qui distensus comprimit partes adjacentes, quae effundunt suos liquores in utroque latere, hepar bilem, & pancreas succum pancreaticum, hi quum vitiosi sint, intemperies etiam viscerum adsint calidae, impetuosius effervescunt, & praedicta symptomata excitant, ut superius innuimus, quaeque prolixius & clarius aliquando erunt explicanda, in disputatione de laesa chylificatione, si Deo placuerit.

XXXVIII. In hac effervescentia potissimum sanitatis punctum consistere, satis superque patet, quum non solum sanguinis qualitates, & sapores, verum etiam ipsius chyli dulcedo, albedo, & in vasa mesenterii spontaneus ingressus a sola hac effervescentia debite peracta dependeant.

XXXIX. Siquidem in illa effervescentia separantur partes homogenae ab heterogeneis, crassiores, & faeculentiores a tenuioribus & subtilioribus, fitque vera faecum praecipitatio. Haec a natura haud aliter instituitur, ac nos minium in aceto solutum per oleum tartari praecipitamus in sal dulce, saccharum Saturni nominatum: eodem fere modo bilis effervescens cum chylo acido, partem fixiorem ac terrestriorem in subdulce excrementum praecipitat, quod neque de acido ventriculi, neque amatore bilis quicquam refert; quae excrementa etiam a canibus avide degustantur: quum e contra, vitiosa praegressa effervescentia, nunquam ipsorum arrideant palato. Particulae vero chyli subtiliores conantur recedure a centro, quod in omnibus fermentationibus fieri videmus, & illisae parietibus intestinorum impetuosius adhuc motae illabuntur poris vasorum mesenterii, pars quaedam ingreditur venas mesaraicas, & ad hepar defertur, in quo fit prima sanguificatio, pars vero innumeris excipitur vasis lacteis, & per ductum thoracicum cordi infertur, ibique nova accensione, de qua *Lovverus & Willisius* consulendi, in spiritum vitalem mutatur. Hunc chyli motum promovet & adjuvat musculorum abdominis, una cum respiratione sursum deorsumque motorum impulsio, ut erudite defendit *clariss. Diemerbroeck. contra Dn. Deusingium* lib. de motu chyli, suctionem quandam ac attractionem partibus tribuentem.

XL. Ea-

XL. Eadem haec effervescentia gratam conciliat chylo dulcedinem; facillime enim per fermentationem ex sapore amaro & acerbo oritur dulcedo, & hoc quidem in hac effervescentia ut plurimum fit a bile, quae destruit acidum, & ab acido etiam dulcescit, quod accurate notavit *Helmontius*, dicens: *acor a bile sana optime subigitur, & acidum dulcificat amarum*. *Clariss. Riverius* idem docet in sua praxi, pag. m. 550. scribens: amara dulcificantur per acida, quae si intensa sint in suo gradu, ut spiritus vitrioli, aut sulphuris ipsius aloës, & colocynthidis amaritudinem delent; incidit hic, quod legisse me memini apud *clariss. Willisium* scribentem: a salis volatilisatione formam atque pulchritudinem, atque saporem imprimis dulcem rebus accedere: prout in florido animalium sanguine, fructibus maturis etiam in saccharo, lacte & melle experimur. Eodem etiam modo videmus, lithargyrium cum aceto mistum & oleo tartari praecipitatum dulcescere, & quum bilis teste venerando *Helmontio* habeat alkali, sulphure oleoso rubro temperatum, mutetque acidum superstes in salsum volatile, facili negocio dulcedinis caussa hac ex effervescentia explicari poterit.

XLI. Tandem huic effervescentiae etiam adscribimus, quod chylus sit coloris lactei, praesupponentes *ex illustrissimo Boyle in suo de natura albedinis tractatu*: albedinem, prout est qualitas in objecto, in hoc praecipue consistere, quod superficies corporis, quod album dicitur, innumeris quasi superficieculis asperetur, quae quum sint quasi specularis naturae, eum insuper in modum sint positae, ut aliis hac, aliis illac spectantibus, radios tamen lucis, in eas incidentes, non versus se invicem, sed extrorsum, oculum spectatoris versum reflectant: de quo videri possunt *Philosophiae atomicae resuscitatores*, praeprimis vero *Gassendus, tract. de apparente magnitudine solis humilis, & sublimis*. Bilis sane, & succus pancreaticus, non possunt alimenta attenuare, & in minutissimas resolvere particulas, quod illae non arctius se uniant, componantque inaequalem superficiem, vel multas superficieculas asperas, in quarum poris, quum lumen non profundius se possit insinuare, reflectitur versus oculum spectatoris, & excitat sensum coloris albi. Et haec est caussa, quare chylus in intestinis tenuibus perdat colorem cinereum, cujus caussa dubio procul erat, quod lumen altius penetrans in poros, ibidemque distractum ob particulas nondum arcte sociatas, nullam faciebat reflexionem extrorsum. Sic videmus magis candicare calcem vivam, si affusa aqua ejus particulae magis dividantur, & sese post arctius conjungant. Eadem est caussa, quod lithargyrium rubrum mistum cum aceto, constituat liquorem album, qui vocatur Medicis lac virginum. Et quod sulphur commune, quod solutum in lixivio tartari, est rubrum, mistum cum aceto illico lactescat & a Chymicis lac sulphuris vocatur. Quod etiam faciunt spiritus cornu cervi, aut fuliginis, liquori acido, vel simplici aquae affusi. Possem multas adhuc implere paginas variis experimentis, iisque meam confirmare opinionem: verum quum sperem, omnia ita clare ac perspicue fuisse explicata, ut a quovis clare ac distincte percipi possint, huic labori supersedebo. DEO vero T. O. M. sit laus & gloria sempiterna. Amen!

DISPUTATIO IX.
DE SANGUIFICATIONE,
Quae fit in Hepate.

RESPONDENTE

JOH. CHRISTIANO Echunct Hanoviens.

§. I. UT nulla apud Medicos doctrina majorem in praxi praestare poterit fructum, quam si verum partium humani corporis usum exacte noverimus: sic

sic nulla unquam fuit, vel erit, quae tot agitata controversiis, doctrina, quae tot obnoxia litibus, quam haec de sanguificatione in hepate. Tanta enim est rerum humanarum vicissitudo, ingeniorumque variae subinde ortae speculationes, ut nec uno momento eadem persistat res, quas quidem aerumnas in solo jecore ita cumulatas vidimus, ut multarum tragoediarum extiterit theatrum. Fuit nobile hoc viscus per aliquot secula in quieta possessione, & hactenus etiam inter partes corporis humani principales non infimum tenuit locum, donec nescio quo fato factum, ut inventis vasis lacteis de ejus auctoritate dubitare coeperint, non pauci etiam ex celeberrimis Medicis, &, ut nulla calamitas sola, dubium hoc ita increbuerit, ut non solum hodie e fastigio deturbatum, verum etiam inter partes infimi ordinis repositum nobile hoc viscus, non sine taedio videamus. Rationes si examines, invenies quidem plures, paucas vero, quae studio partium non addictis exacte satisfaciant: quod pace tot virorum dixerim, qui discendi non contendendi gratia publicam ascendo cathedram. Veniam dabitis, viri clarissimi, & caliganti his in tenebris lucem vestro favore affundetis, qui in datis hactenus rationibus acquiescere non potui. Tu vero clementissime Deus largire gratiam, ut omnia in tui gloriam, & aegrorum salutem vergant.

§. II. Hepar in statu naturali esse dicitur, si munere suo rite fungatur. Actionum vero integritas dependet ex servata naturae lege. Lex naturae est: unumquodque debere manere in suo statu, donec deturbetur ab alio. Quod si omnes hepatis particulae una cum vasis, & contentis sese recte habeant, quoad situm, figuram, & magnitudinem, &c. ipsa etiam hepatis actio pro voto, & naturae desiderio editur. Sin vero aliqua mutatio particularum, vel sensibilium, vel insensibilium, quae ex sensibilibus constant, contingat, actio ejus imminuitur, & imperfecte editur. Ut enim in horologio etiam insensibilis figurae &c. mutatio horarum aequalitatem mutat, & in machina hydraulica, uno vel altero obturato canali, motus imperfecte fiunt; sic ipso in hepate accidentium horum essentialium mutationes totam oeconomiam labefactant, & tandem, nisi mature succurratur, penitus destruunt.

§. III. Ipsam vero fabricam, & hepatis structuram prolixius delineare non admittit injucta, & proposita brevitas. Nam ejus ex semine formationem omnium accuratissime proposuerunt *Highmorus* & *Cartesius*, qui videri possunt. Figuram vero ejus concavam, & convexam, situm, & vasa, qualia sunt venae, arteriae, nervi, vasa lymphatica, prolixius descripserunt seculi nostri Anatomici oculatissimi, *Bartholinus*, *Veslingius*, *von Horne*, *Syvius*, *Glissonius*, *Diemerbroeck*, & alii. Nos ejus usum paucis hisce pagellis proponimus.

§. IV. Esse sanguificationis officinam confirmatur auctoritate, & ratione. Veteres sane hac de re nunquam dubitarunt, ut videre est apud *Hippocratem lib. de alimento: venarum*, inquit, *origo tanquam radix hepar est*, *& arteriarum cor. Ex his per omnia sanguis*, *& spiritus pervagatur*, *calorque per haec permeat*. *Galenus* etiam, *Aristoteles*, *Democritus*, & alii ejusdem fuere opinionis. Verum enim vero quum auctoritate probata veritas vix fidem mereatur apud hodiernos Medicos, & recte quidem, rationes saltem audiemus, quibus sanguificationem in hepate solidissime demonstratum imus.

§. V. Primum argumentum desumitur ab exigua chyli, per ductum thoracicum influentis, portione. Novimus, quantum corporis humani partibus quotidie decedat, variis motibus, & exercitiis defatigati, id quod chylus resarcire debet. Erit itaque proportio inter alimentum deperditum, & impendendum. Quis vero sibi persuadebit, exiguam illam chyli portionem in minutissimis vasis contentam sufficere posse omnibus totius corporis partibus nutriendis? Quod si in memoriam revocem, quae aliquando apud *Sanctorium in sua medicina statica* legisse memini,

magis

magis magisque in mea opinione confirmabor. Si enim juxta hunc Auctorem quotidie per insensibilem transpirationem aliquot librae evacuantur, quis erit adeo credulus, ut statuere velit, subtilissimam chyli partem, per ductum thoracicum apportatam, & nutritioni, & copiosae transpirationi, sufficientem suppeditare materiam? Ratio certe aliud suadet. Accedit etiam hoc, quod materia illa in chyli receptaculo reperta, non solum sit chylus, sed maximam partem lymphae ex hepate affluenti debeat, quo non neminis data ad argumentum instantia facile infringitur. Patet itaque ex antedictis, non omnem chylum ad glandulas lacteas, & ad ductum thoracicum deferri, sed solum partem ejus subtiliorem: alteram vero partem hepati transmitti, ut jam dudum *Deusingius*, *Belsius*, *Plempius*, & hoc semestri Dominus Praeses in suis disputationibus, & lectionibus, tam publicis, quam privatis, demonstrarunt. Syllogismum si forte desideres, cape hunc. Alimentum, quod in locum deperditi impenditur, proportionem habet cum deperdito. Chylus e receptaculo per ductum thoracicum influens, non habet proportionem, cum deperdito. Ergo chylus ille non est corporis alimentum, quod in locum deperditi impedi debet,

§. VI. Secundum argumentum desumitur ab hepatis fabrica, & structura, magnitudine, colore, situ & vasis: quae omnia uberrime probant, longe nobiliorem esse visceris hujus usum, quam ut soli depurationi, & transcolationi juxta Neotericos quosdam inserviat. Natura sane nihil facit frustra. Non opus erat ad transcolationem sanguinis tali hepatis magnitudine, tali colore (vel tacite etiam sanguificationem docente) tot vasis amplissimis (truncum venae cavae, & portae intelligo) tali situ; neque cum intestinis per venas mesaraicas immediate communicaret. In forma sit tale argumentum. Natura nihil facit frustra. Ergo hepar sanguificat. Ratio consequentiae patet ex antedictis.

§. VII. Officium illud hepatis confirmatur etiam copia venarum mesaraicarum, earundemque magnitudine, unde tertium exsurgit argumentum. Nullibi in partibus carnosis tot tantasque cernimus venas, quae sanguinē arteriosum a nutritione residuum excipiant. Sunt autem intestina partes membranosae, non tantam sanguinis copiam pro sui nutritione indigentes, unde etiam non eum in finem tot requirebantur venae, quae refluum sanguinem susciperent. Verum quum videamus innumeras, & amplas esse mesenterii venas, argumento est, aliam massam, praeter sanguinem ab arteriis transmissum, & ab intestinorum nutritione residuum, in illis contineri, unde adeo tumeant, & tanta in copia reperiantur. Hinc argumentor. Si plures sunt venae mesaraicae, quam sanguini a nutritione intestinorum residuo vehendo erant necessariae, pars chyli intrat venas mesaraicas. Verum est prius: ergo etiam posterius.

§. IIX. Patroni sanguificationis in corde chyli in vasa lactea ingressum statuunt, fieri per eorundem poros; concedant mihi eodem frui jure, & chyli in venas mesaraicas ingressum per poros explicare. Pars chyli in illa effervescentia, quae fit in intestino duodeno (de qua in sua de *chylificatione* disputatione, in academia hac sub praesidio Domini Praesidis omnium cum applausu habita, Dominus *Giilfusius*, medicinae candidatus meritissimus) ingreditur per poros venas mesaraicas, & sanguini mista ad hepar defertur, ibidemque in cruorem, ut cum Helmontio loquar, mutatur. Hinc manifesta deprehenditur diversitas inter sanguinem in vena cava contentum, & inter sanguinem alias per vias influentem, quoniam ille chyli portionem vehit, rudimenta sanguinis in haepatis parenchymate adeptam. Sit ergo quartum argumentum. Si chylus per poros ingredi potest vasa lactea etiam per poros ingredi poterit venas mesaraicas. Antecedens conceditur a Neotericis. Quomodo ergo negabunt consequens.

§. IX. Probatur hoc ulterius experimento. Si oleum tartari cum spiritu vitrioli

mi-

mistum in intestinis tenuibus effervescat, deprehendes venarum mesaraicarum intumescentiam, & aliqualem sanguinis in illis contenti turgescentiam. Quod si particulis fermentativis conceditur transitus, quidni & particulis chyli fermentantibus concedendus erit? unde quinto sic argumentor. Si particulae liquoris ebullientis poros venarum mesaraicarum subire possunt, idem etiam poterunt particulae chyli effervescentis. Verum est prius: ergo etiam posterius.

§. X. Quid si largiter, omnem chylum ingredi vasa lactea, nonne e vasis lacteis ingredi poterit venas mesaraicas? Probo id altero experimento, quod nobis sextum suppeditat argumentum. Fiat ligatura in ductu thoracico, vel infra chyli receptaculum, videbis omnem chylum in vasis lacteis dispariturum. Jam peto, ut aliae mihi monstrentur viae, praeter venas mesaraicas, quibus per anastomoses dubio procul conjunguntur.

§. XI. Septimum argumentum petitur a statu epatis praeternaturali. Tota nutritio dependet ex hepatis bona dispositione, qua laesa tota massa sanguinea corrumpitur, & nutritio vel sufflaminatur, vel vitiose fit. Si laboret intemperie calida, generatur sanguis fervidior, non in depuratione, sed in sanguificatione. In intemperie frigida fit e chylo sanguis serosus, & crudus, dum interea spiritus vitales aliquandiu ex subtiliori chyli parte in corde generantur. Et vulgus antiqua experientia compertum habet, hepar in brutis bene coloratum designare carnis bonitatem. Et quid quaeso Medicis usitatius, quam plurimis in morbis vitiosam hepatis sanguificationem accusare? Dominus Praeses aliquoties etiam observavit subortos in hepate dolores tribus, vel quatuor horis ab assumto cibo viscido, glutinoso, & coctu difficillimo, quod evidentissimum pro sanguificatione in hepate stabilienda argumentum esse potest.

§. XII. Plura adhuc proferri possent, praeprimis de famigeratissimo illo *Bilsii* experimento canis adhuc viventis secti, in cujus mesenterio arterias nodo vincit, & iterum cutim consuit, ut rursus post quinque horas aperiat, in quo vacuae arteriae, venae autem refertae succo quodam subobscuro, & cinericio deprehenduntur; quum autem hujusmodi nequeat propagari ab arteriis ob injectum vinculum, necesse est fateri ab intestinis per continuatas radices ascendere. Quod experimentum multorum torsit ingenia; sed ne nimium excrescat disputatio, paucis his contentus ad solvenda contrarium sentientium argumenta me accingo. Novi equidem multa in contrarium adduci, quorum nonnulla aliquam speciem prae se ferunt, ita ut primo intuitu appareat, nec auctoritatem ipsis deesse nec rationes. Verum forte non sunt tanti momenti. Quae enim auctoritati innituntur, ficulneo incedunt pede; quae vero ex ratione desumuntur, solidis carent probationibus.

§. XIII. Argumentum palmarium desumitur a defectu vasorum, chylum in hepar deferentium, quod a nonnullis pro ferreo, & adamantino habetur. ℞. negando minorem. Utere oculis, & videbis te errare; venae mesaraicae adsunt, huic negotio dicatae. Instas: hae vehunt sanguinem, ergo non chylum. ℞. utrumque vehunt, & chylum, & sanguinem. Nonne cava descendens cordi advehit, & sanguinem, & chylum lymphatum.

§. XIV. Argumentum secundum est tale. Venae mesaraicae non hiant in cavitatem intestinorum. Ergo chylus illas non potest ingredi. ℞. posito, non concesso, illas non hiare, pori tamen sufficere possunt: neque ego hactenus diversitatem inter oscula vasorum lacteorum, & venarum mesaraicarum observare potui. Unde recte scribit Dominus Willis: *in ea semper fui opinione, chylum aliquatenus immediate e ventriculo, & intestinis per ramos venae portae in cruoris massam derivari; & sicut lactei ductus ipsum longo ambitu circumvehunt, quo in truncum venae cavae descendentem instilletur; ita ut propiori via scilicet per haec vasa in ejusdem truncum adscendentem feratur.* Instas: quare ergo non effluit sanguis? ℞. Quare non effluit e

vasis lacteis chylus? Si dicant in his esse valvulas: monstrentur. Excusabunt se, illas esse adeo exiles, ut non incurrant in sensus. ℞. Si conjecturae locus, idem jus mihi reservatum volo, eodem jure tales valvulas in venis mesaraicis conjecturanti. Deinde considerandae sunt sanguinis particulae, quae sunt ramosae, mutuis amplexibus sibi cohaerentes: orificia venarum mesaraicarum etiam ita sunt disposita, ut ingressum concedant, egressum negent: ut videre est in nassa piscatoria, in quam facilis quidem descensus, sed revocare gradus hoc opus, hic labor est.

§. XV. Tertium argumentum, quod in contrarium profertur est tale. Ubi nulla cavitas, ibi nulla coctio. In hepate nulla cavitas. Ergo in hepate nulla coctio. ℞. 1. ad majorem. Ubi nulla cavitas profunda, ibi nulla coctio, nego. Ubi plane nulla cavitas, ibi nulla coctio concedo. Jam ad minorem. In hepate nulla profunda cavitas, concedo. In hepate plane nulla cavitas, nego: adest enim cavitas sui generis, qualem solent habere glandulae, & quae coctioni, & fermentationi sufficit, ut videmus in pancreate ventriculi, & salivalibus glandulis. Hepar vero esse partem glandulosam docet *Malpighius tract. de hapate. cap. 2. & 3.* observavit is: 1. Jecoris substantiam in homine ex lobulis contextam, hosque ex glandulosis acinis compositos esse, qui racemorum congeriem exhibent; & propria circumambiente membrana, ac continuatis per transversum membranosis nexibus firmantur, ita ut intermedia spatia, & minimae rimulae inter lobulorum latera emergant. 2. Totam hepatis molem constare ex acinis glandulosis, & diversis vasorum propaginibus, atque hinc, ut illa simul commune opus peragant, necesse esse, ut inter vasa, & istas glandulas acriter commercium intercedat: ex his & aliis tandem concludit *Malpighius*, hepar esse glandulam conglomeratam. Quae novae clarissimi viri observationes multas hepaticas tenebras discutiunt, magnamque ad penitiorem cognitionem jecoris facem accendunt, ut loquitur *Dn. Diemerbroeck*. Nec curanda erunt, de quibus hic conqueritur, dicens: *dolendus est infortunati hepatis status, utpote quod olim princeps viscus appellatum, & a Galeno in summo sanguificationis throno depositum, in eoque jam multis seculis communi medico consensu magnifice excultum, his nostris temporibus a solio isto depulsum atque dejectum, omnique principatu exutum atque privatum est, imo mortuum ac sepultum, ironicoque epitaphio a Bartholino inscriptum, jam tandem praeter omnem exspectationem, ut bombix in vilem papilionem, ita in servilem glandulam conglomeratam mutatum misere resurgit, ac revivifcit*. Quod enim inter glandulas conglomeratas numeretur, hoc hepati nihil de sua derogat auctoritate, sed multo magis coctionem in illo peculiarem confirmat.

℞. 2. Distinguendo inter haematosin, & pneumatosin; in hac insignis cavitas, ut videmus in corde, requiritur. Non vero in illa.

℞. 3. Si non obstante illa de cavitate difficultate cl. Bartholinus ante hac sanguificationem in hepate propugnavit, etiam nobis licebit hac non obstante, modo aliae adsint praegnantes rationes, illam defendere. Ficulnea est ista objectio, inquit cl. Moebius, ubi nulla cavitas, ibi nulla coctio: imo eo accuratior videtur coctio, ubi per parenchymatis insensiles poros coquendo humori transeundum est.

Paracelsus ad hoc argumentum olim paulo aliter respondit, & ex hoc *Helmontius*. Ille de usu hepatis *tract. 2. l. 2. tart. distantia, illa*, ait, *quae est a stomacho ad hepar, ab hepate ad renes, id est, quae intra stomachum, & renes sunt, & ab intestinis ad latus, est regio hepatis*: quibus innuit ipsas etiam venas mesaraicas per hypochondria dispersas sanguinem simul conficere.

Hic vero *lib. de sextupl. alimenti digestione* inquit: *igitur pluralitas venarum mesenterii est ipsius stomachus jecoris, & officina praeparativa cruoris, ejusque perfectionem jecur spirat in cruorem adhuc nudum, postquam in venam cavam reconditus est*; lib. de Jure duumviratus ait: *docui alibi, stomachum hepatis non esse insignem aliquam*

quam cavitatem intra suum viscus patulam: sed ipsas mesenterii venas esse sanguificationis thecam, in quam jecur prima sanguificationis radiat spiracula.

§.XVI. Quartum argumentum tale est. Si nulla datur anastomosis venae portae, & venae cavae, sanguificatio non fit in hepate. Verum est prius: ergo etiam posterius. Rℓ. 1. negando antecedens: datur enim talis anastomosis juxta celeberrimos viros: Bartholinum, Rolfincium, Glissonium accuratissimum hepatis perscrutatorem, & alios. Rℓ. 2. posito anastomoses non dari, tamen sufficit, si mediante ipso parenchymate sanguis chylosus, ut ita loquar, a vena portae communicari possit venae cavae, id quod sanguificationem in hepate magis probabilem, quam dubiam reddit.

§.XVII. Non nemo acriter defendens omnem chylum deferri in cor, nullum vero in hepar, speciosa sane habet argumenta, etiam paucis ventilanda. Sit itaque quintum. *Chilum*, dicit, *non ingredi venas mesaraicas, nec dari transitum in illas venas ex intestinis, patet ex experimento, quod aliquoties tentavi. Ligavi*, pergit, *unum intestinorum extremum, & ab altero extremo aërem inflavi, sicque etiam illud ligavi extremum. Quo facto manibus pressi intestina illa tenuina inflata, repleta adhuc chylo, & illa observatione ne observare, quidem potui, quid intrasse venas mesaraicas, quum inflatio non solum maneret eadem, sed & venae mesaraicae, non comparerent turgidiores, & repletiores.* Praeterea spiritum vini tinctum colore nigro indidit intestinis tenuibus, eaque postmodum inflavit, & firmiter ligavit. Quae pressa ne datum unguem cedebant, ita ut nullum apparuerit vestigium, spiritum hunc volatilem, & subtilem ingredi potuisse venas mesaraicas. Verum quum vir ille clarissimus paulo post fateatur, se hoc experimento etiam colligere nunquam potuisse, quid de liquore, indito intestinis, transiisse vasorum lacteorum poros, eo ipso sane corruit robur prioris argumenti. Siquidem si per illam manuum pressionem liquor ille artificialis, vel etiam naturalis (chylus) non potuit transitum invenire in vasa lactea, quare exinde quis velit probare, chylum non deferri in vasa lactea, quare exinde quis velit probare, chylum non deferri in vasa lactea. Consequentia sane nulla esset. Multo minus poterit quis inde inferre, chylum non transire in venas mesaraicas. Quadrant huc verba *Pechlini*, de osculis vasorum lacteorum: *neque enim*, inquit, *in laxo vacuoque intestino patere hosce aditus credibile est, sive quod valvulae, quae ipsas obsident, constringantur, seu quod contorta intus oscula fibrarum collapsu coalescant.* Ad experimenta illa cum eodem dicimus. Quod flatus, & mesaraicarum venarum, & lacteorum vasorum oscula obsideat, nitentique liquido viscositate sua renitatur, ceu oleum aërem arcere a bronchialibus insectorum tubulis solet. Certe his non obstantibus magnus ille *Harvejus*, hodieque *Cornelius Consentinus*, *Aristotelem* uterque secuti, nutricii cremoris plurimum in mesaraicas abripi venas existimant, vel quod in avibus nullum sit lacteorum vestigium, quum sit mesenterii, aut quod in piscium plerisque non sit; quid quod ex rajae intestino manifestissimus videatur in mesaraicas aditus; vidisse enim se albo distinctum lacte hepaticum sanguinem sunt qui gloriantur. *Vide Pechlinum.*

§.XIIX. Sextum argumentum innititur praelaudati viri experimento, priori magis specioso. Canem cibo replevit, & elapsis aliquot horis in thorace ad quartam, vel quintam costam paulo supra cor vulnus adegit profunde usque ad thoracis cavitatem, & indito digito, serratim prius adaptato ungue, ductum thoracicum dilaceravit, quo facto vulnus clausit, & per duos dies canem cibavit, qui his elapsis mortuus est. In aperto cadavere invenit copiosum chylum in thoracis cavitate, vasis lacteis, & intestinis. Hinc infert: si chylus deferretur per venas mesaraicas, canis fame nondum obiisset. Verum ego non video solidam consequentiae rationem: quamvis enim pars chyli primo die adhuc intraverit venas mesarai-

saraicas, tamen ejus motus paulo post fuit impeditus ob laesam in intestino duodeno effervescentiam, a copia chyli ibidem restagnante, & succos fermentativos obruente. 2. Vera mortis caussa fuit defectus spiritus vitalis, qui in corde non fuit generatus, & ipsi etiam spiritus animales ob eandem caussam, & liquoris animalis laesam circulationem defecerunt, alias famem diutius adhuc tolerare potuisset canis. Sed finem impono calamo. DEO vero sit laus, & gloria in aeternum.

DISPUTATIO X.
DE VENENI PESTILENTIALIS,
Ut &
Alexipharmacorum Natura & in Corpus Humanum agendi modo; ex verae Philosophiae principiis perspicue demonstrato, multisque experimentis suffulto.

RESPONDENTE

HENRICO HORCHIO, Eschveg. Hasso.

J. N. J.

VENENI PESTILENTIS naturam explicaturo nihil magis necessarium esse videtur, quam ut prima ejus rudimenta ab ortu & incunabulis sedulo inquiram; *quale enim quidque est ortu absoluto & perfecto, talem ipsius naturam esse dicimus*, ut ex vero Arist. lib. 1. de Republ cap. 2. nec perfecta alicujus rei scientia acquiri potest, ortu ejus ignorato; unde factum est, ut natura a nascendo denominationem sortita fuerit: hac igitur via incessurus unicuique (modo mente nullis praejudiciis, homines ad veritatis lucem caecutire facientibus fascinata ad demonstrationum seriem attendere dignabitur) clare me ostensurum spero, quaenam truculenti hujus hostis sint spicula, quibus in miseros mortales tanta strage debacchari solet.

I. Antequam autem hoc aggrediar, notandum venit, terrae ut & corporis nostri ex ea oriundi particulas valde irregularium esse figurarum, & magnitudinum, neque a natura dolabris exasciatas neque manuum opera ad normam divisas neque ad geometricam perfectionem, & planitiem efformatas esse, ut tam arcte sibi jungi, & structura tam ordinata coire, & coalescere potuerint, quin multae inter ipsas rimae relinquantur, & intervalla, quae, quum vacuum detur nullibi, imo dari contradictorium sit, & impossibile, materia quadam subtiliori, agiliori, & ad implendas omnium pororum figuras accommodata impleri necesse est, quae nobis vel coelestis, vel aetheris, vel subtilis materiae nomine insignitur.

II. Considerari etiam velim, interiora telluris viscera multa salium copia impraegnata esse, quae cum aquae dulcis particulis ad remota usque loca in fontes pergentibus, ex mari venientia ob particularum rigiditatem, quae vel solo contactu, & sapore sese prodit, per exiguos illos anfractus, & flexus, qui circa sabuli grana reperiuntur, labi non possunt, sed ibi haerere debent, unde etiam ex quibusdam montibus (praeprimis, uti mihi ab oculatis testibus relatum est, in Polonia) magnae salium moles instar lapidum concretae effodiuntur, & humano usui inserviunt.

III. His autem ita cognitis facile intelligemus, quo pacto materia subtilis terram perpetuo pertransiens, ejus moleculas nonnihil concutiat, ita ut hinc inde, non secus ac arborum rami a vento, motu tremulo agitatae intervalla modo majora, modo minora inter se relinquant, sicque salium particulas terrae poris insidentes semper feriant, contundant, discerpant, & ex rigidis, & duris planas, ac quodammodo flexiles faciant: fieri etiam potest, ut multae salium particulae congrega-

gregatae, & ab aliis separatae a calore (qui nihil aliud est, quam particularum terrestrium a materia subtili varia agitatio) fortius exagitentur, unaeque ab aliis attritae, & quoad superficiem laevigatae tandem successu temporis in tenues lamellas complanentur, non aliter ac lapides, & durissima saxa hinc inde reciprocata poliri videmus.

IV. Particulae autem salium tenuiores factae, & leviores caloris vi sursum feruntur, & per longiores terrarum tractus transeuntes duris parietibus allisae aut lapidibus affrictae, quoad extremitates suas magis magisque exacuuntur, ita ut ipsas instar gladiolorum pungentium, & ab utroque latere scindentium satis commode concipere liceat: harum igitur plures simul junctae spiritus acerrimos, causticos, & summe corrosivos constituunt, qui deinceps pro diversitate materiae, cum qua concrescunt, varia componunt mineralia, ut stibium, arsenicum &c. quae in humanum corpus assumta, calore rarefacta hinc inde obvolitant, suaque, qua pollent, acie, & acrimonia fluidas praecipue partes dividendo, humores incidendo, sanguinem fundendo, & plus justo attenuando, nauseam, vomitum, tormina, rosiones, lypothymias, tremores, convulsiones, deliria, aliosque horribiles symptomatum paroxysmos excitant, imo totius corporis nostri machinae destructionem moliuntur, ac infami VENENORUM nomine veniunt.

V. Neque est, quod quisdam ex impossibilitatis praetextu circa veneni generationem idem mecum sentire renuat, remque hanc merum cerebri mei commentum esse contendat: hic oculos aperito, &, nisi caecus sit, videbit, naturam in perpetua alterationum machinatione versari, nihilque in natura observari crebrius, quam quod una corpora aliis occurrendo figuras mutent, & magnitudines: nonne videmus aquam, qua nihil fere mollius per quendam temporis tractum durissima quaeque saxa excavare? Et ubi deficit natura in agendi robore, & viribus, hoc saepius iteratis, aut perpetuis etiam actionibus facile compensare potest. Nonne videmus, durissimos, & ex auro confectos anulos mollissimis delicatissimarum virginum, & muliercularum manibus consumi? Et quid multis? si quis hoc in chymia, quae in transfigurandis corporibus pantamorphae naturae quasi simia est, contingere oculis cernat, quidni etiam illud a natura longe excellentiori fieri posse credet? Ejus enim artifices salem, vel purum, vel alii corpori maxime sicco, & fixo, ut lateri coctili aut silicibus contusis immistum igni superimponunt; unde fit ut salium particulae fortissimo igne hinc inde commotae, & vehementer agitatae modo antea explicato metaschematismum patiantur, sicque tandem agiliores factae, & leviores in alembicum ascendunt, ibique non amplius salis qualitates prae se ferunt, sed aquam quandam fortissimam durissima quaeque metalla corrodentem constituunt.

VI. Nec mirum, quod salia, quae hominis sanitati, & vitae alias summe proficua sunt, pristinae benignitatis oblita, malignitatem induant hominisque interitum moliantur: eadem enim, si variis Chymicorum praeparationibus subjiciantur, ignisque metamorphoses sustineant, optima fiunt alexipharmaca, atque ita malignitatem qua homini nocuerunt, benignitate longe majori compensant.

VI. Quibus superatis, vix quicquam difficultatis superesse puto, ut ostendam, quo pacto virulenti hi spiritus ex intimo terrae gremio, suprapolito sibi aëri communicari, tantamque corporibus nostris noxam inferre queant. Quod ut eo facilius & felicius praestem, notandum est, materiam subtilem pro diversitate aestatis modo majori modo minori copia terram pertransire, & in ipsius visceribus non aliter ac in extima superficie calorem, vel augere, vel diminuere posse. Itaque si contingat, ut, quod experientia testatur, sol nimio calore in haec inferiora agat, fieri facile potest, ut spiritus illi acres, & volatiles sive venenata effluvia, quae alias ob caloris defectum ad exteriorem terrae superficiem usque elevari non poterant,

terant, majori materiae subtilis agitatione rarefacta, ac ob motus accelerationem leviora facta altius enitantur, & extima telluris superficie superata, in aëre per exporrectas longe lateque regnorum ditiones divagentur. Et quo laxioribus rimis patulisque meatibus, qui vel ab occultis aquarum lapsibus excavati, vel a terrae motibus aperti sunt, terra fatiscet, eo facilius, & largius ex abditis ejus latibulis in altum emerget pestilens hoc virus.

IIX. Quis autem ignorat, quantum cum exterioribus aëris corpusculis corpori nostro intercedat commercium? Ab eodem fonte tam necis, quam vitae, & salutis petuntur initia: haec eadem sunt, quibus per vices inspiratis, & exspiratis halitum ducimus, & salivae quoque immista ad ventriculum amandamus: haec eadem sunt, quae corporis nostri poros, & insensiles meatus subeundo sanguini circulanti admiscentur, & ad quasvis cum ipso partes deferuntur. Quocirca sine magna difficultate cogitare licet, quo pacto aër salibus hisce summe acribus, & volatilibus praegnans, venenatam labem corporis nostri humoribus, & sanguini aspergat, totumque deinceps per corpus miasmata sua disseminet.

IX. Quantum igitur ad humores, putemus ipsos ab insidioso hoc hoste acriter impugnari, quibus ceu sanitatis nostrae custodibus expugnatis, de salute nostra conclamatum est. Primo itaque consideremus, virulenta haec corpuscula bili admista, sua qua gaudent, volatilitate ejus particulas secum abducere, & in eundem simul motum vindicare; bilis enim salium volatilium copia scatens maximam cum veneno, genuina salium progenie, affinitatem alit; unde fit ut salinae bilis particulae venenatis valde congeneres in eundem cum ipsis motum conspirent, acies suas jungant, sensimque ac sensim acriores fiant, eodem modo, ac Mercurius sublimatus, & aquae Stygiae sibi commissae paulatim magis, & magis exacuuntur: pestiferi igitur halitus una cum associata sibi bile junctis viribus sanguinem vitae nostrae thesaurum clandestinis machinationibus adoriuntur, compagem ejus nimis, & ultra naturae limites laxando, attenuando, unde vires paulatim deficientes totalem oeconomiae nostrae ruinam minantur.

X. Non vero tam facile succum pancreaticum in sua castra trahere potest, hic enim pro corporis salute fideliter quasi excubias agens adventantem adversarium, non sine maximo strepitu excipit, acutis ipsius spiculis particularum suarum ceu telorum aciem obvertendo; dum enim duo haec corpora ob diversum particularum motum, figuram, & magnitudinem difficilius miscentur, sibi invicem commissa particulis unis alias impellentibus, mutuo in se agunt, magnumque excitant strepitum, & pugnam: verum ob advenientes undique auxiliorum turmas ab hoste obrutus succus pancreaticus, statione derelicta occumbere cogitur saepissime. Cujus luctae tragoediam videre licet in spiritu vitrioli, & sale tartari sibi invicem confusis, qui post maximum strepitum, & luctam quasi delassati omni sua acrimonia, & viribus destituuntur. Debellato itaque succo pancreatico sanguis justa, & legitima destitutus consistentia, & proinde resistendi viribus defraudatus, pestilens venenum sinu suo excipit, quod portiunculis suis maxime volatilibus, & acribus ceu variis telorum vibrationibus crebrisque ictibus saeviendo, & atrocissime grassando, fibras & minutissimos sanguinis ramusculos amputat, quibus resectis aut etiam ceu fumus ex igne avolantibus, reliquae crassiores, & ad motum ineptae instar cinerum remanentes in corpus valde heterogeneum coagulantur, & in massam circulari nesciam facessunt.

XI. Rerum itaque potius virulentus Monarcha nobiliora quaevis viscera invadit, expugnata peregrino quodam praesidio munit, quod ibi non tantum ineffabiles, & ad mortem usque urgentes excitat angores, lipothymias, tremores: sed & excursus faciendo tot horrenda exhibet symptomatum portenta: versus caput quidem ruendo, mentem arcis praesidem intolerabili siti, capitis dolore exquisitissimo

tissimo, vigiliis, delirio &c. vexat: denique si versus corporis circumferentiam excurrat, anthraces, bubones, maculas modo lividas, modo atras, modo purpureas fabricando, totius oeconomiae ruinam ad ultimum vitae exterminium usque machinatur, quod si multorum hominum strage contingat, formidabili PESTIS vocabulo designatur.

XII. Non raro etiam aër ex inhumatis cum brutorum tum huminum cadaveribus inquinatur, quod modo ejus non valde absimili contingere facillime intelligi potest. Considerandum scilicet est, cadavera a fervido solis aestu putredine correpta tetros vapores exhalare, quibus maximam partem evaporatis particulae bilis salinae caeterarum consortio destitutae earumque mulcimine privatae sibi magis approximantur, varioque modo agitatae dicto modo conos, & aculeos suos exerunt, & mutata configuratione veneni naturam induunt, in aërem attolluntur ubi a caloris agitatione magis exacuuntur.

XIII. Tetrae itaque ex inhumatis cadaveribus exspiratae exhalationes per inspirationem sanguini admistae similem in ipso fermentationem, & putredinem excitant, & simul cum sanguine sibi assimilato facillime itetum admittunt particulas acres, & venenatas, cum quibus in cadaveribus antea combinatae fuerant, non aliter ac lintea, & ligna putrida ab igne ambusta, & per aliquod tempus extincta ignem promtissime iterum recipiunt.

XIV. Solet etiam aliquando contingere, ut annonae caritas ejusque pedissequa fames infelix futurae pestis sit praenuncia. Cujus rei ratio facile innotescet, si recordemur, spiritus istos pestiferos saepenumero ad loca exteriori terrae superficiei vicina elevari, ex quibus omnium vegetabilium radices incrementum capiunt, & alimentum, quo venenatis effluviis infecto, omnia vegetabilium germina eo contaminata minori in copia proveniunt, fructusque, & paucos, & maligna simul qualitate vitiatos proferunt, quorum usu, & esu miseri mortales summa penuriae necessitate pressi, vitam conservaturi pestiferam hanc luem comedunt ac bibunt, horrendum sibi mortis genus accelerando.

XV. Quantum autem ad astrorum influxum, qua virtute hic polleat, mihi saltem non constat, nec concipere possum, qua ratione in haec inferiora agere queant, nisi solo motu, per lucem videlicet, & calorem: calor autem ab illis emanans: excepto Solis, & Lunae, debilis est & fere semper aequalis, neque tam notabilis, & tam efficaces in his inferioribus mutationes subit, ità ut tantam in intimis terrae recessibus, aut tam vehementem aëris mutationem ipsis imputandam esse, nulla hactenus ratione concludi queat: cui accedit, quod doctissimi quique Mathematici, qui in caeteris Astrologiae partibus alios longe excelluerunt, ut Copernicus, Brahe, keplerus, Landsbergius, Galilaeus, Renatus Des Cartes], occultas astrorum vires, tanquam rem vanam, & solidis rationum momentis destitutam, experientiae repugnantem sibique ipsi non constantem, exsibilaverint.

XVI. Unicum autem explicatu dignum adhuc superest: quare videlicet alii facilius, & citius, alii contra difficilius, & tardius, aut plane non inficiantur: plurimi, quorum sapientia, instar virginis Deo consecratae, fructuum sterilis est, pusillanimitatis pallio tecti animum nullitatibus solantur, respondendo, id ipsum dependere ex peculiari, & occulta quadam qualitate cordis, qua contagio resistere valeat, vel non valeat: Nos autem objecta omni pusillanimitate, quae plurimos ad perpetuas ignorantiae tenebras damnare solet, tentabimus, & an principia nostra ad tam abstrusae, & apud alios desperatae rei explicationem satis foecunda sint experiemur. Quandoquidem in magnis, & voluisse sat est.

XVII. Quod ut satis feliciter procedat, cogitemus 1. omne corpus eo versus ferri, quo versus minorem invenit resistentiam, & renixum. 2. Unamquamque rem, quatenus simplex, & indivisa est, manere in eodem semper statu, nec unquam mu-

mutari, donec a fortiori inde deturbetur. His ita suppositis, via ad explicationem plana est, & lucida: scilicet in aliis hominibus sanguis est tenuior, in aliis magis consistens. Qui tenuiorem seu fluidiorem habent sanguinem ob nimiam bilis volatilitatem; ii prae omnibus aliis citius, & facilius labe venenata corripiuntur: particulae enim sanguinis minus arcte sibi junctae, sed hinc inde inter se volitantes minus virium habent venenosis spiritibus resistendi, sed cum ipsis ob pororum laxitatem sine ullo aut magno impedimento sinu suo exceptis in eundem motum consentiunt, & tragoediam dicto modo ordiuntur.

XIIX. E contra illi, quorum sanguis ob legitimam succi pancreatici aciditatem seu aliam quamcunque caussam justae, & legitimae est consistentiae, ut Melancholici, vix ac ne vix quidem laeduntur, sed ab hac lue saepenumero immunes degunt, & impunes: sanguinis enim particulae strictius sibi junctae unae alias suffulciunt, junctisque viribus ad externi veneni insultibus resistendum satis potentes sunt: unde fit ut acres veneni particulae aciem suam obtundant, & vel innoxie in corpore nostro hospitentur, vel alio, ubi minor est resistentia, transvolent.

XIX. Pluribus forsitan nostrae demonstrationes, quas tamen ex paucis hypothesibus, non gratis assumtis, sed probatis per manifestissimas rationi consequentias concatenata serie deduximus, pro solius nostrae rationis foetu explodentur; verum audiant, & videant, nihil in antedictis occurrere, quod experientiae fulcris non innitatur: quod ut eo melius percipiant, considerent mecum, nullum fere medicamentum, vel praeservationis, vel curationis gratia efficax repertum esse, quod tales particulas acres, & summe volatiles pestis effectrices esse clare ob oculos non ponat.

XX. Primo autem praeservationis, & curationis ergo maxime extolluntur omnia acida, & ex his, vel cum illis parata, ut cerevisia vetus, & subacescens, fructus acidi, mala citria, aurea, granata seu punica: ribesia, limones berberi, acetosa, acetosella, omphacium, sempervivum majus, lac sponte, vel arte acescens, ipsiusque serum acidiusculum, lac ebutyratum. Salia quaevis mineralium acida, nitrum, prunellae, marinum, gemmeum, alumen, vitriolum, antimonium: inter omnia vero acetum vulgare vini summae esse efficaciae compertum est a magno bonae memoria Syvio: ego sane, inquit, ut ad rem accedam, ante novennium, quum quotidie plures visitarem aegros peste infectos, praecautionis loco aliud non sum si medicamentum, quam *vulgaris aceti vini* cochleare unum mica panis exceptum, & quidem mane antequam inviserem aegros. In remedii genus usurpavi per octo menses continuos, nec unquam minimam percepi toto ille tempore ab infectione noxam.

XXI. Quum itaque unanimi praestantissimorum Practicorum consensu nullum in hac lue praesentius remedium tam praecavendi, quam curandi gratia compertum fuerit, non parum eo ipso nostra sententia confirmabitur: talibus enim salium particulis summe volatilibus, & acribus nihil magis observatur esse contrarium, quam acidum: unicuique ad oculum hoc patet, dum spiritus vitrioli, qui acidus est, una cum sale tartari confunditur: scilicet hi duo liquores ob diversum particularum motum, figuram, & magnitudinem mutuo inter se pugnant, unae particulae alias exagitando, & allidendo in se invicem agunt, ut tandem obtusa particularum acie omnis earum acredo pereat, non aliter ac si cultri unius acies alterius aciei affricetur: patet itaque nos non sine ratione dixisse peccare in hac lue salia summe volatilia, & acria, quae, ut ex allato experimento patet, cum acidis assumtis commista acredinem suam amittunt, & aeger vel ab hac lue praeservatur, vel ea correptus iterum liberatur.

XXII. Imo facilius unusquisque sibi hoc persuadebit, modo attendat, acida quaevis assumta sanguinis meatus penetrando particulas ipsius tenues, flexiles, & lubri

lubricas, aliis crassioribus, & ramosis intertextas, sed non valde firmiter annexas, quae serum componunt expellere, ut ita crassiores, & fibrosae sanguinis particulae liquidarum consortio orbatae arctiori vinculo constringantur, quod tam clarum, & manifestum est, ut matribus familias etiam usitatum sit, lac, admisto acido, coagulare, & serum a crassioribus ejus partibus separare; sanguis itaque ob laxatarum alias partium coarctationem, fibrarumque connexionem ad propulsandam acrium particularum injuriam satis potens, petulcum earum insultum quasi illudit, & in statu suo pertinaciter permanens, non nisi a fortiori inde deturbari potest: quamobrem quum in peste tam curanda, quam praecavenda summe proficua sint acida, eorumque vis in sanguinis condensatione consistat, merito concludimus, vim veneni contrariam in sanguinis dissolutione consistere, nullam autem dissolutionem tam subitaneam sine particulis acribus, pungentibus, & scindentibus fieri posse, quis nisi caecus, non videt?

XXIII. Secundo nec minus hanc nostram sententiam comprobabunt alia remedia, quae in sudoriferis adhibentur, ut sunt pinguia, quae multas sulphureas, & oleaginosas portiunculas sibi admistas habent, qualia sunt, sulphur minerale fixum, salia volatilia oleosa, vel olea destillatione ex carnibus, ossibus atque ungulis elicita. Terrae pingues ac sigillatae, bolus Armena &c.

XXIV. De sulphure autem seu oleaginea materia hoc praeprimis observandum venit, particulas ipsius non laeves, & glabras sed brachiorum instar expansas, & ramosas esse, quod neminem difficulter sibi persuasurum autumo, qui considerabit, ipsas non tam facile a se invicem neque ab aliis corporibus, quorum poris intertextae haerent, separari posse: hinc Chymici herbarum olea sine arte elicere non possunt, nisi herbis magnam aquae copiam affundant, cujus particulae leves, & lubricae meatibus istis se insinuantes, olei particulas paulatim eliciunt, ac secum in alembicum abripiunt: quin imo ut vulgare exemplum afferam, olea & quaevis pinguia vestimentis infusa vix ac ne vix quidem arte adhibita elui possunt: qua ratione autem hoc fiet, nisi ramosa, vel alio quovis modo in superficie aspera essent? quum e contra aqua ex corporibus, quorum poros insedit, vel calore, vel sola aëris agitatione expellatur.

XXV. Quibus cognitis manifestum fiet, remedia mollissimis oleagineae materiae ramulis saturata particulis acribus in sanguine obvolitantibus agglutinari, ramosisque suis moleculis earum cuspides, & aciem obvolutam tenere, ut non tantum graviores factae in motu suo sufflaminentur, sed etiam omni continuum solvendi potentia priventur: cui accedit, quod sanguinis particulae ramosa oleagineae materiae lanugine undique cinctae, & investitae, eo facilius externos acrium particularum insultus sustineant, & ab ipsarum impetu immunes perstent, eodem modo, ac metalla, quae alias promtissime dissolverentur, sevo quoad superficiem suam illita, ab aqua forti vix ac ne vix quidem attinguntur: particulae enim acres ramosis involutae haerent, nec vim suam in metallorum corrosione prodere possunt: eodem modo venenorum acrimoniam obtundi sole meridiano clarius est, dum enim bufones vivi, & recentes tres, vel quatuor per horam in oleo olivarum coquuntur, tunc oleum istud veneno impraegnatum faciei ad abstergendas maculas innoxie illini solet.

XXVI. Ex hoc etiam fundamento in promtu est ratio, cur atrocissimi quique dolores maximo aegrorum solatio, exhibitis opiatis, in momento fere sedari possint: opium enim plurimis sulphureis particulis refertum esse, maximus in ipsius resolutione foetor satis prodit, quae acribus virulentisque effluviis permistae atque agglomeratae seditiosos eorum ut & inquietos spirituum animalium motus injecto quasi freno compescant, & in minino temporis spatio sistant.

XXVII. Reliquorum denique, quae in peste conveniunt, remediorum natu-

ram, & modum, quo in corpore nostro operantur, explicabimus, non tam externae figurae, quam particularum situs, & pororum rationem habentes: laudantur autem a practicis oculi cancrorum, corallia, margaritae, cornu cervi, lapis bezoar, smaragdus, praeprimis in pulverum forma. Quo etiam non male referes carnem viperarum exiccatam, ipsarum cor, & hepar itidem exiccata, & in trochiscorum forma exhibita: quae omnia ob pororum laxitatem acrimoniam imbibere, ex quorundam friabilitate, & fragilitate, tum ab eximia exiccandi vi, qua pollent plurima, concludere licet, quo nomine etiam in quavis haemorrhagia conveniunt: laxis igitur, & copiosis suis meatibus superfluas sanguinis humiditates una cum pestiferis spiritibus excipiunt: unde fit, ut pestilens hoc virus aliis particulis obvolutum, & in illis poris ceu carceribus detentum omnibus suis viribus destituatur, verum etiam sanguis ob superfluae humiditatis absorptionem legitima potitus consistentia ab aliarum auxiliarium de novo adventantium copiarum impetu fortissime praecaveatur. Experimentum hujus rei videre licet in creta; quae in ardore stomachi assumta; particulas fermenti nimis acres imbibendo aegrum ab ingenti hac molestia liberat quam felicissime: imo si adhuc dubites, recipe corallia, margaritas, redige in pulverem, infunde aquae forti vel alii cuidam liquori corrosivo & omnis peribit acrimonia, ita ut remedia haec eodem in corpore modo operari, nullum plane sit dubium.

XXIIX. Quemlibet igitur, nisi fungum habeat pro cerebro, clare etiam intellecturum arbitror, qua ratione pretiosa & magis composita illa alexipharmaca venenis tam potenter resistant, qualia sunt theriaca, diascordium, &c. Haec enim ex antedictis, acidis scilicet oleosis & porosis maximam partem constant, unde hostem non unis sed pluribus armis invadentia citius & felicius prosternunt.

XXIX. Quantum autem ad externa praesidia, quae ex fonte chirurgico petita corpus nostrum contagiosa hac lue liberant, inter illa praecipuam considerationem merentur vesicatoria, quod primo quidem intuitu mirum videtur; emplastra enim, quae ad vesicam excitandam cuti imponuntur, ex cantharidibus, arsenico &c. pessimis venenis conficiuntur, quod extrinsecus per cutis poros pertransiens malum malo cumulare videtur. Mirari autem desines, si considerabis, venenum exterius applicatum cutim pertranseundo, in ea poros suae & sui similium figurae & magnitudini respondentes formare, quo tandem venenatae particulae in profundo corporis residentes vi caloris commotae per sudorem, qui tunc temporis a Medico imperari debet, eliminantur, sicque veneni particulas exterius sibi occursantes secum in contrariam partem abducunt, ita ut malum malo augeri nullum sit periculum.

XXX. Eadem etiam est ratio bufonis anthracibus superimpositi, cujus particulae suo per cutim transitu vias sibi & aliis sibi similibus particulis aperiunt, unde fit, ut in anthracibus latens venenum minorem ibi ad exitum resistentiam inveniens, tanta copia versus eam partem, cui bufo superjacet, feratur, adeo ut ipse bufo, veneno hoc intra poros, sine ulla aliqua non intelligibili attrahendi facultate, quam ceu animulam corporibus superadditam concipiunt, recepto plus solito intumescat, & quasi reviviscere videatur.

XXXI. Habes hic, benevole Lector, specimen quoddam fructuum, qui ex vera philosophia in usum & praxin medicam redundant. Dixi vera philosophia, utpote quae foecunditate sua sese satis commendat & fructibus, qui, illustri Verulamio Judice pro veritate philosophiarum velut sponsores & fidejussores sunt: quod dum attentius apud animum volvo ac revolvo audacter pronuncio. VIRUM NOBILISSIM. PARITER AC PRAECLARUM DN. LUDOVICUM CONRADUM JACOBI, LICENTIATUM MEDICINAE PERITISSIMUM, in doctissima sua disputatione de FEBRI MALIGNA, pro DOCTORALI LAUREA nuperrime

rime habita, non inani & futili quadam gloria commotum, nec juvandi quadam audacia praecipitatum, sed vera animi, solidis verae scientiae fundamentis innixi fiducia scripsisse: *ne unicum quidem nominari posse alexipharmacum, cujus effectus sive operationis non manifesta possit reddi ratio.*

XXXII. Possem jam huic labori supersedere, nisi audirem adversarios nostros triumphum canere, sed ante victoriam: duo autem praeprimis sunt, quos obganientes sibi experta est veritas: criminantur nos quidam ac si haec omnia infidis cogitationum nostrarum substructionibus inaedificata essent, quae ipsa Scepticorum vox & vetus est cantilena, quam in ore Christiano adhuc resonare non possum, in admirationem non rapi. Sed mirari sensim desino, recordabundus, multos forsitan cogitationes suas infidis rerum, quae nusquam sunt aut fuerunt, figmentis, & fabulis, quales sunt Gentilium Fauni, & Satyrae, &c. mancipasse, ut ex conscientia loquantur: atque ita facile fieri potest, ut pro universi speculo se gerentes, & aliorum cogitationes suo metientes modulo, pro fictitiis habeant, & infidis. Verum enim vero, qua ratione cogitationes nostrae, quamdiu ipsis non abutimur, infidae dici mereantur, non video; melius autem iis uti non possumus, quam si saltem secundum clare, & distincte percepta judicemus, iisque assentiamur, ita ut judicium nostrum non praeceps neque ulterius, quam clarae, & distinctae perceptiones facem ipsi praeferunt, excurrat, quo ipso ab omni errandi periculo immunes erimus. Quomodo igitur ratione nostra melius uti possimus, aut quid ipsi praeter suas cogitationes, & conscientiam sit veritatis criterium, & obrussa, doceat is, qui judicium hoc fallax, cogitationes infidas, aut consequentiam hanc rationi inaspectabilem dicere non erubescit, vel, si non possit, petulcum suum de aliorum cogitationibus judicium in posterum continere discat.

XXXIII. Alii autem, qui scientiam colunt, quae primo quidem intuitu pulchra videtur, sed quum ad particularia descensum fuerit, pro fructibus, & commodis nil nisi portentosa, horrida, & nihil significantia parit vocabula, quod scientiae genus Scyllae fabula ad vivum exprimere videtur, cujus os & pectus virginem formosam repraesentabant infra vero fuisse ajunt

Candida succinctam latrantibus inguina monstris.

Hi tamen nihilominus dictatoriam potestatem sibi arrogantes, aliis etiam, qui id non capiunt, persuadere satagunt, suam hanc scientiam talem esse, de cujus veritate dubitandum non sit: contra vero aliorum inventa, & labores, tanquam ab imaginaria sua sapientia abludentes, ipsis invisos, & odiosos reddere student, ut ex ipsorum saltem jecinore sapiant: quare male creduli Doctoribus seu potius Dictatoribus suis fidem adhibent, seque ipsis vitio partim propriae ignaviae partim suae diffidentiae totos cum omni libertatis ejuratione mancipiant, adeo ut quoties aliquid publice disceptandum venit, hanc non ipsorum, sed Doctorum suorum mentem esse, ingenue fateantur.

XXXIV. Dispiciamus itaque rationes, quibus hi homines commoti nostra dogmata aliis tam suspecta reddere conantur: accusant autem nos, ac si nimium de particulis acribus, volatilibus, & valde incongruis nobis polliceremur, dum exinde omnem veneni, & malignitatis naturam tam perspicue ostendi posse speramus, ut a quovis perceptum iri nulli dubitemus: concedunt, aliquid quidem dici, sed non totum. Verum enim vero velim ipsos propriae ignorantiae, quam in hoc negocio per occultas qualitates profitentur, memores esse, ut carpere nos desinant, qui ex ignorantiae barathro enatare manibus, pedibusque laboramus: & nisi in occultarum qualitatum assertione sibi tam vehementer placeant, aut in sua sibi ignorantia, non abblandiantur, cur hanc rem eodem nobis cum modo non explicant, quum melius sit aliquid dicere quam nihil? Praeprimis, quum & ipsi caussarum cognitionem Medico admodum necessariam esse, adeo ut absque ea morbos

nec praecaveri, nec feliciter curari posse fateantur: hunc igitur, qui aliquid dicit, & ex parte caussam cognoscit, morbos felicius praecavere, & curare posse, quam illum, qui ad qualitatem occultam ignorantiae Palladium confugit, vel caecus palpet.

XXXV. Deinceps utinam addidissent boni homines, quid explicatum nondum sit, quidve adhuc explicandum desiderent, quod ego quidem, quid sit, hactenus hariolari nequeo; quid enim est in effectu, cujus ratio per particulas volatiles, acres, pungentes scilicet, & scindentes clare assignata non fuerit? An haec qualitas, qua dicimus, particulas acres, & sic prout descripsimus figuratas, velociter motas continuum seu compagem sanguinis solvere, occulta est, nonne totum dicit? Quid hic occurrit occulti, aut quid est in effectu, quod non exhauriatur, & ad sufficientiam usque praestetur a caussa? Certe, prout illa qualitas, dum longiori telo insigne infligitur vulnus, nullo modo est occulta, sic neque haec, dum particulae instar minimorum gladiolorum minora infligunt vulnera, talis dici poterit; qualis enim est proportio majoris teli ad vulnus satis amplum, talis etiam est minoris ad exiguum vulnus seu continui solutionem. Argumentum in forma tale esto: *quaecumque caussa exhaurit totum effectum, illa non occulta agit qualitate, non aliquid tantum, sed totum dicit: atqui particulae acres instar gladiolorum figuratae, & velocissime agitatae totum effectum, videlicet continui solutionem exhauriunt. Ergo particulae acres, &c. non occulta, sed manifesta agunt qualitate, non aliquid saltem, sed totum dicunt.*

XXXVI. Neque est, quod amplius valde dubitent, an principium etiam, unde hic vel ille operandi modus in corpus nostrum transit, explicare, & indigitare possimus; hoc enim tam luculenter factum est, dum ipsos etiam venenorum natales, & generandi modum satis clare ostendimus, ut facillimo negocio extricare se queat, cui de meliore loto finxit praecordia Titan.

DISPUTATIO XI.

THERIACAE GREIFFIANAE,

Coelestis Dictae,

Vires in Calculo, Podagra, Epilepsia, Apoplexia aliisque innumeris affectibus.

RESPONDENTE

JOH. GERHARDO Fritzlariensi Hasso.

CAPUT. I.

Auctores revelat, & Etymologiam docet.

Medicamentorum e regno vegetabili desumtorum Reginam, & quod cuncta multis praecellit parasangis sequentes depingunt pagellae: theriaca dicitur, non vulgaris illa *Andromachi* Archiatri olim Neronis, de qua *Galenus in peculiari de theriaca tractatu.* Neque Regis *Mithridatis* antidotus, de qua *Aetius*: de Mithridate enim magno illo belli duce referunt, quod theriacam quidem non biberit, (neque enim adhuc in usu erat) verum ex alterius antidoti, quae postea Mithridatica ab illo appellata est, usu ita corpus apparuit, ut nulla veneni vi laedi posset: & quum etiam lethale pharmacum accepisset, quod saepius illo tempore etiam inter prandium, vel coenam incautis exhibebatur, ut videre est apud *Stukium in antiquitatibus convivalibus*, mori non potuit. Quum enim ab ostibus devictus se ipsum interficere meditaretur, nullo veneni haustu mortem sibi consciscere praevaluit, donec vocato cuidam ex amicis se jugulandum praebuerit. Non

inquam

inquam Mithridatis antidotus, neque vulgaris theriaca, sed theriaca coelestis hic exhibetur.

Sublimioris naturae scrutatoribus verisque seculi hujus Philosophis familiare est, abstrahere ab omnibus impuritatibus, & mundanis faecibus: mente vero lucem sectari, cui religio est, dona illa gratuita a Patre luminum concessa appellare nomine, quod impuritatem, & terrestreitatem involvat; hinc veri illi Philosophi possident tincturas, & essentias solares, regias, angelicas, benedictas, & colestes, ab excellentia sic dictas, & gaudent possidentes, ingratis, & incredulis, crassiorisque illius medicinae mancipiis nuces cassas relinquentes, & pro nucleo putamina.

Dicitur theriaca, non a serpente *Thiro*, de quo vide *Quercetanum redivivum*, sed a θηρίον sive θὴρ, fera: quis non solum venenis vegetabilium, & mineralium, sed etiam omnibus ictibus, & morsibus venenosarum ferarum potenter resistit.

Auctor ejus est *Quercetanus*, Philosophus, & Medicus celeberrimus, is quum foetum non ex omni parte absolutum edidisset, ansam praebuit insigni illi Wurtenbergensium Chymica *Greiffio*, ut non solum alia adhuc superadderet ingredientia, cor praecipue, & vires respicientia, sed ipsum etiam praeparandi modum nonnihil corrigeret, ipsamque theriacam coelestem propriis sumptibus Tubingae praepararet.

Verum ipsis in incunabulis experta est commune omnibus novis, & recentes inventis fatum: habuit admiratores suos; habuit, & etiamnum habet suos persecutores, osores, rosores. Multis salivam movit, plurimis bilem: & quod dolendum, quosdam etiam ex praestantissimis Medicis ita obcaecavit invidia, ut quicquid etiam de illius stupendo audiant effectu, adduci tamen non possint, ut vel in desperatis morbis illa utantur, vel ipsius usum aegris saltem aliorum suasu concedant. Ita enim natura comparati sumus, ut ex proprio tantum labore gloriolam aucupari velimus, ex alieno vero concipiamus invidiam, & nauseam.

CAPUT II.

Tradit ingredientia, & componendi modum.

Ingredientia in septem dividuntur classes quarum prima comprehendit.

Pulp. squillae unc. vj.
Allii. unc. ij.
Viperarum pptarum.
Serpent. nostr. philosophic. praeparat.
Opii cum acet. extr. ā ā. unc. vj.
Myrrh. in acet. sol.
Croc. cum spir. vin. extr. ā ā. unc. ij.

Secunda.

Castorei unc. j.
Piper long. unc. vj.
Cinnam. acutiss. unc. iij.
A cor.
Cass. lign. ver.
Piper alb.
Piper nigr.
Schoenant.
Spic. Indic.
Stoechad. Arab.
Zingib. alb. ā ā. unc. j. sem.
Cardam.
Carpobalsam.
Cubebar.
Galang.
Caryophyll.
Macer.
Spic. celtic. ā ā. unc. j.
Flor. rosar. unc. iij.
hyperic.
centaur.
calendul. ā ā. unc. j.
Bacc. Juniper.
laur.
paradis.
Myrobal. chebul.
emblic. ā ā. unc. v.
Herb. cardui bened.
dictamn. Cretic.
galeg.

Herb.

Herb. rut.
scord. cret.
nostr. ãã. unc. iij.
abrotan.
chamoedr.
chamaepith.
calamenth. mont.
marrub.
origan.
polii Cret.
rosmarin.
scabios. ãã. unc. j.
majoran.
mar. ver. ãã. unc. sem.
Lign. aloës opt.
asphalt.
santal. citrin. ãã.
unc. sem.
Rad. angelic.
zedoar. ãã. unc. iij.
arist. rotund.
cardopat.
dictamn. alb.
gentian.
imperator,
petasitidis.
pimpinell.
serpentar.
scorzon.
succis.
tormentill.
valerian.
vincetox. ãã. unc. ij.
agaric.
aristol. long.
asari.
cyperi rotnnd.
contrajerv. ãã. unc. j.
cruciat.
enul. camp.
irid. florent.
meu.
pentaphyll.
phu pont.
rhabarb. ãã. unc. j.
Semin. nap. sylvest.
cardui benedict.
citr. ãã. unc. ij.
dauc. Cretic.
nasturt.
hyperic.
rut.
nasturt. alb.
aquileg.
ameos.
amom. racemos.
anis. torrefact.
foenic. Cretic.
petroselin.
Sem. seseleos. ãã. unc. j.

Tertia.

Succ. liquirit. unc. iij.
aspalt. unc. sem.
acac.
hypocistidis ãã. unc. j.
Oliban. in gran. unc. i. sem.
Sagapen.
Sandarach. ãã. unc. j.
Galban.
Mastich.
Opoponac. ãã. unc. sem.
Camphor. drach. ij.

Classis Quarta.

Terr. sigil. unc. i. sem.
Gumm. Arabic. unc. j.
Cor. cerv. phil. ppt. unc. j.

Quinta.

Ol. nuc. mosch. express. unc. iij.
Resin. styrac. unc. j.

Sexta.

Ol. stillat. carophyll. unc. i. sem.
succin. unc. sem.
terebinth. unc. i. sem.
vitriol. correct. unc. j.

Septima.

Balsam. Peruvian. unc. iij.

Contusis contundendis omnia l. a. miscentur, per minima conjunguntur, & in massam rediguntur; hac ex massa extrahitur beneficio menstrui quinta essentia, quae inspissata cum sequentibus pretiosis iterum miscetur.

℞. Serpent. ppt. drach. vj.
Corall.
Matr. perlar.
Ocul. canc.
Perlat. orient. a philos.
pp. unc. sem.
Chrysolit.
Granat.
Hyacinth.
Rubin.

sma-

Smaragd.l.a.ppt.ā̄ā̄.drach.iij.
Lap.bezoard.Orient.
Occident.ā̄ā̄.drach.ii.sem.
Cor alc.philosoph.pp.
Oss.de cor.cerv.philosoph.
ppt.
Terr.sigill.Silesiac.
Turcic.
Unicorn.fossil.
ver ā̄ā̄.drach.i.sem.
Sal.corall.
matr.perlar.
oc·cancr.
perlat.Orient.
Bezoard.animal.
mineral.
Galred.cor.cerv.ā̄ā̄.drach.ij.
Ambr.Grys.
liquid.ā̄ā̄.drach.j.

Ad horum omnium praeparationem extractionem, & mistionem singularis, non solum requiritur Pharmacopoei industria: verum rara etiam in operando quaedam dexteritas, & scientia. Qua industria simul, & scientia bis praeparatam vidi theriacam hanc coel. a *Dn. Is. Heraeo*, Pharmacop. Hanov. Aulic. & Chymico expertissimo,

CAPUT III.

Depraedicat Vires.

INventores eam multis, & recte quidem extollunt encomiis. Audiamus *Querc.* & *Greiffium*. Ejus effectus, inquiunt, sunt coelestes, & divini, contra omnia cujuscunque generis venena, & affectus pestiferos, contagiosos, deploratos, & incurabiles. Est antidotus universalis roborans, venenis resistens, fluxus immoderatos cohibens, dolores mitigans, morbosque deploratos, & fere incurabiles propellens, estque instar Panacaeae, quum vix in tota Republ. medica dari potest medicamentum, quod in tam parva quantitate tam cito, tuto & minori cum molestia operetur, quodque omni aetati, sexui & complexioni conveniat, inque omnibus morbis praemissis praemittendis secure assumi, & adhiberi possit.

Suum his addit calculum *Colleg. Stutgardian. his verbis*: est confortativum ubi scilicet vires tam vitales, quam animales, aut naturales, vel a malignitate, vel fervore, aut acrimonia humorum, aut vaporum, vel etiam a nimiis evacuationibus vim patiuntur.

Quand a ses effect & operation (*habentur verba in tractatu Gallico*) Elles sont si nobles, & si excellentes, quelles luy ont acquis le precieux nom de theriaque celeste. C'est une medicine universelle contre tout poison, qui puisse tuer les hommes, & les dispositions, venimeuses, qui s'engendrent dans le corps; somme contre toute maladies incurables plus qu'aucun remede, qui jamais ait estè inventè.

Ego sancte testari possum, me ejus vires semper deprehendisse potentes in ventriculi languore, vomitu, anorexia, cholera, fluxu alvi, colica, hysterica passione, scorbuto, hydrope, malācholia hypochondriaca, catameniorum fluxu nimio, calculo tam renum, quam vesicae, podagra, catarrhis, & quibusvis defluxionibus, cordis palpitatione, vertigine, apoplexia, memoriae debilitate, febribus malignis, & pestilentialibus, variolis, morbillis, & quibusvis doloribus, sive a caussa interna sive externa subortis: quod variis confirmare possum observatiobus, quarum aliquot caput quintum exhibebit.

CAPUT V.

Docet utendi modum.

LAtet in humana mente coelitus ei creditus nescio quis veritatis cognoscendae igniculus, inquit magnus ille operum Dei admirator, & naturae strenuus indagator *Kircherus in Mundo suo subterraneo*: addo ego artem medicam excolendae, & perficiendae, quo semel incensa, agitataque nulla quiete frui posse videtur, donec ad id, ad quod tanto fertur desiderio, tandem pertingat. Vidimus igniculum hunc in *Greiffio*, qui postquam legerat apud *Quercetanum* theriacae coelestis rudem

dem adumbrationem, nullis pepercit sumtibus, nullis etiam laboribus, donec tandem indefinitam fere virtutem e magna extraxerit mole, eamque unitam in corpus parvum redegerit, in solius Dei gloriam, & salutem aegrorum.

Sane tum venena tum medicamenta a compedibus, & vinculis liberata, sub forma halitus, vel sensum fugientium atomorum admirandos edere effectus, nemo ibit inficias. Hinc unum purgantis granum saepe sufficit pro toto expurgando corpore: thuris massa accensa fumat longissime: pulveris pyrii granum violentia ignis dilatatum occupat spatium centies vicies millies majus; vide prolixius de vi illa expansiva agentem cl. Pechlingium illustris Boyle experimento probat, Mercurii sublimati granum solutum inficere austeritate sua aliquot heminas aquarum, quod & colocynthis praestat. Hoc non advertentes nonnulli, similes effectus, a sola vi expansiva ortos, tribuerunt qualitatibus occultis, tam in explicandis medicamentorum qualitatibus, quam in denominandis caussis morbificis, qui error ipsis condonandus, modo errorem agnoscerent, nec tanta temeritate, & contumacia Neotericorum claris, & perspicuis principiis omnem ponere obicem, extremam etiam impenderent operam.

Sed revertor ad propositum. Reperiuntur sane virulentissimi serpentes. qui solo subtili toxico referti, vel distantes inficiunt, unde aspides solo flatu siderant. Novi ego unum ex nostris (*sunt verba magni Kircheri*) qui quum aspidem in arbore sedentem percuteret, ille solo halitu ita percutientem intoxicavit, ut sideratione quadam toto triennio immobilem redderet, ex qua postmodum occubuit, fuit & alius, qui serpentem quum incaute calcasset, paulo post paralysi, vel potius apoplexia interierit. Et inter medicamenta, non vulgari sed sublimiori parata modo, quid praestent quintae illae essentiae, salia volatilia oleosa, corpore terrestri exuta, videre est, vel in solo illo salis armoniaci spiritu volatili, tam salso, quam acido, lege artis parato, & in aliis plurimis.

Similem essentiam vinculo suo liberatam, & in theriaca coelesti unitam descripsimus hactenus, cujus operationes quare in parva dosi sint tam nobiles, & celebres facile ex antedictis de natura venenorum, & medicamentorum volatilium intelligere poterit, qui saltem primis labris degustavit principiorum nostrorum dulcedinem: quamvis enim medicamenta chymica saepius in exigua etiam exhibeantur dosi, tamen non tuto operantur, quod agnovit nobilis ille Gallus, *tom. 1. epist. p.* 41. Quantumvis, inquiens, longa experientia illorum vires comprobatae fuerint, tamen vel minima in earum praeparatione etiam quum optime fieri creditur, variatio potest illorum qualitates ita immutare, ut non remedia sint, sed venena.

Si hujus Greiffianae theriacae ingredientia consideremus, admiramur Dei T.O. Maximi infinitam misericordiam, & benignam naturae liberalitatem, videmus quomodo venenum unum alteri sit venenum, & quomodo venenum veneno sit remedium. Recordor hic, quae olim legi apud praelaudatum *Kircherum*. Vidi ego, inquit, Pharmacopoeum Erfuti in Thuringia, qui omnis generis serpentes vivos in usum medicum destinatos sibi compararat, & quum eos conchae impositos incautius tractaret, ab uno eorum morsu inflicto, statim membro laeso intumuit, deinde ex serpentis veneno totius corporis veluti sideratione perculsus, tremuit: quum Medicis advocatis nullum non antidotorum genus illi praebitum fuisset sine ullo profectu, tandem inter caeteros peritior physicus infirmum rogavit: quinam ex istiusmododi serpentibus ipsum momordisset, dixit aspidem: hanc itaque coctam. & carnem praeparatam ei comedendam dedere, vix dum sumserat, quum ecce statim melius sentire coepit, & continuato illo cibo per diem integrum, tandem perfecte convaluit. Admiratione sane haec sunt digna, & auderemus horum omnium manifestam reddere caussam, si esset argumentum hujus loci: videat interim

terim curiosus lector *artem magneticam experientissimi Patris Kircheri*. Nobis jam sufficit nosse, ibi esse medicamentum, ubi morbus. Siquidem divinae bonitatis immensitas illud ita praevidit, & sagax natura ubique locorum indemnitati hominum consuluit, eidemque appropriatum medicamentum deesse noluit.

Exhibentur autem hujus panacaeae tum praeservationis tum curationis gratia grana tria, vel quatuor contra quaevis venena, & omnes affectus antea indicatos in forma pilulari, vel in sirupo aliquo. Cujus dosin secure ad scrup. sem. usque, morbo sic exigente augere potes, quod proprio didici exemplo.

Nec ponderis hic quid per se fert praejudicium, sufficere posse autumantium theriacam vulgarem; & coelesti illa non opus esse, quum vulgaris, quod notari velim, in multis morbis mihi sit suspectus, neque mihi solum, sed & Praeceptori meo *Galeno*, narranti *lib. de theriaca ad Pisonem*: puerum ex vulgaris theriacae assumtione eadem adhuc nocte obiisse: hinc Hispani facti cautiores raro theriacam vulgarem in usum vocant, ejus loco substituentes smaragdinam, cujus descriptionem tradit *Zacutus Lusitanus*, & Archiater Bavarus *Thirmairius in suis consiliis p.* 28. sed cohibendus hic est calamus, & ad caput quintum transeundum, adducens.

Autopsiam.

CAPUT V. & ultimum.

1. TRium annorum filiolus a prima nativitate languidus patiebatur per aliquot menses anno 1668. fluxum alvi colliquativum, quo ita extenuabatur, ut caro vix ossibus haereret. Tentabantur generosa artis nostrae remedia, sine ullo tamen successu. Res omnibus videbatur conclamata, ast summum periculum dirigente sic Deo optimum mihi successit consilium; incidi enim in theriacam coelestem recenter, tunc dispensatam, & moestissimis Parentibus remonstravi, etiam in casibus desperatis nunquam aegros relinquendos esse sine auxilio: exhibui itaque grana duo theriacae Greiffianae in sirupo corallorum, nox quae subsequebatur erat placida, vomitus etiam, & alvi fluxus rariores. Successus ille fortunatus erexit animum, ita ut sequenti die eandem repeterem dosin, non neglectis interim externis confortantibus, unde factum est, ut marasmo jam consumtus integrae per Dei gratiam fuerit restitutus sanitati, mortisque jam dentibus ringentis ereptus faucibus: vivit in hunc usque diem, quo haec scribo, cum plurimorum admiratione, qui tunc ipsum in deplorato illo statu viderunt, Puer bonae indolis, & spei.

2. Monuit Helmontius: in calculi curatione, & quidem ipso in paroxysmo plus damni inferre diuretica, quam emolumenti: adeoque ante omnia videndum esse, ut spasmus, unica doloris illius exquisiti caussa in ureteribus tollatur, quod anodynis optime fieri jam dudum expertus sum. Nobilis matrona calculo renum saepius afflicta, vehementissimos patiebatur dolores nephriticos cum vomitu, & animi deliquio. Vocatus tres dedi pilulas theriacae coelestis, supervenit paulo post somnus, & cum media nocte evigilaret, sensit urinae stimulum, qua excreta, alleviatam sese dicebat, domestici inspicientes matulam, invenerunt calculum, nucem avellanam magnitudine aequantes, quem mihi mane redeunti hilari animo, & grata manu monstrabat restituta aegra.

3. Vir 30. annorum podagricus patiebatur plerunque ante paroxysmum cardialgiam, & difficilem respirationem: post translata ad artus remotiores materia vehementiores sentiebat arthritidis dolores: suasu meo sumsit grana tria theriacae coelestis, quibus natura confortata criticam moliebatur excretionem per urinam, quae per triduum erat crassa, & atramenti instar nigra. Ita ut brevi ab omni liberatus dolore integre reconvaluerit.

4. Ante abitum a meis Hanoviensibus vocabar ad illustrem quandam personam

nam hysterico affectui obnoxiam, praesertim instantibus, & fluentibus mensibus, qui inordinato suo, & nimio fluxu jam dudum aegram debilitarant. Ut autem sanguis ad meliorem rediret consistentiam, inordinatae illae effervescentiae sedarentur, vapores etiam acres discuterentur, usa est me consulente theriaca coelesti, cujus prosperum effectum primis statim diebus Domino marito, & mihi depraedicavit.

Possem plures allegare observationes, sed, ne multa dicendo semper idem dicam, finem imponam. Deo T. O. M. gratias ago quam maximas, quod arcanum hoc per multa secula absconditum fidelibus suis servis revelare voluerit, ut habeamus, quo in gravissimis etiam morbis vim mortis si non declinare saltem mitigare possimus, non nescii contra vim mortis, non esse medicamentum in hortis. Concludo cum Philosopho Christiano, dicente: quanquam firma fruamur valetudine, debemus tamen, quoties opus fuerit, parati esse ad mortem animose obeundam, quia quolibet momento intervenire potest, nec quicquam agere possumus, quod illam fortasse afferre non possit. Si frustum panis comedamus, forsan venenatum erit, si per plateas incedamus, forsan later e tecto decidens nos obruet. Sic inter eluctabiles vivimus casus.

DISPUTATIO XII.

J. N. J.

DE CURA LACTIS, PODAGRICORUM SOLATIO, *ET* CERTO PODAGRAE REMEDIO.

RESPONDENTE

LUDOVICO CONRADO JACOBI, Giessa-Hasso.

CAP. I.

Agit de Podagra caussis.

Podagra est quidem morbus generosus, sed gravissimis, & molestissimis stipatus symptomatis: pauperum praeterit tabernas, & magnatum pulsat fores, neque inter arma silet, sed Martis aeque ac Musarum sequitur castra. Plurimis nostro hoc seculo innotuit, quia varia innotuerunt luxuriae genera. Tantum enim abest, ut ejus immanis dolor, & saevities multorum refraenet diaetae errores, ut potius magis magisque laxatis habenis, & induciis subdole concessis eos in servanda diaeta reddat negligentiores. Quod vero dolor podagricus sit omnium vehementissimus, id arguere licet, tum a caussae evidentia, tum partis affectae sensu exquisito: ipsi etiam aegrorum ejulatus, & querelae non leve de vehementissimo dolore perhibent testimonium; unde Medicus quidam, podagricum accedens, & ubinam doleret ex ipso quaerens, graviter reprehensus fuit ab aegro: quaeris tu adhuc, inquit, ubi doleam? quaere ubi non doleam.

Notandum tamen hic in principio, nos non curare curiosas verborum divisiones, & varias eorundem acceptiones; quoniam verba rebus, & non res verbis inservire debent, ut loquitur illustris Angliae Cancellarius *Baco de Verulamio*. Hinc quamvis Podagra in specie quidem significet dolorem pedum, ut chiragra manuum, & gonagra genuum: nihilominus usus ita obtinuit, ut pro arthritide, & contractura frequentissime sumatur, sive dolor postmodum sit in manibus, sive pedibus, sive alibi. Itaque jus hoc sumendi verba nostro pro lubitu nobis semper reservamus, in foro medico hactenus usitatum: quo jure etiam dentium dolor a nonnullis vocatur dentium podagra, & pleuritis podagra lateris.

Caussa

Caussa hujus morbi est lympha acrior, eaque vel tenuis, vel crassa, sive & tenuis, & crassa. Haec particulis suis minimis poros partium membranosarum permeans, tales infert punctiones summe dolorificas, eosque destruendo vitiatam inducit membris figuram, ut prolixius docent *Barbette, & Regius*.

Salia hoc in morbo praedominari, vel ex solo illo molestissimo pruritu, in parte detumente declinante jam paroxismo percepto, patet, qualem saepissime in pluribus observavi. Quoniam sal volatile humoris serosi, ibidem insensibiliter evanescens, cutaneas partes lacessit; sale interim fixo, una cum crassiore ac pituitosiore humore, qui discuti non poterat, in tophos abeunte.

Cl. Willis caussam hujus morbi dicit esse succos quosdam fermentativos, ex quorum luctu, & effervescentia fibrarum nervearum vellicationes dolorificae exoriantur. Materiam hanc salinam deponi e sanguine, recrementa vero acetosa e liquore nerveo turgescente in eundem focum, & mineram demitti, plurimis & quidem solidis defendit rationibus.

Illa sanguinis, & nervosi liquoris (juxta celeberrimum *Willisium*, Angliae decus, & alterum Hippocratem) intemperies acris, tartarea & volatilis inducitur ab excessu, vel defectu sex rerum non naturalium; ubi in scenam prodeunt tres jurati humani generis hostes; Bacchus, Venus & Ira. Temulentus enim Bacchus, & Ceres liberalior, obstetricante Ira, infelici generant conjugio abortivam prolem podagram.

Et: *Ennius ipse pater, dum pocula siccat iniqua,*
Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

Calcar suum addit Venus, conjunctissima Bacchi, & Cereris articuli fraga soror: nam solvilumba venereo, solvilumboque Baccho, creata est solvilumba chiragra, ut Venus enervat vires, sic copia vini & tentat gressus, debilitatque pedes.

Idem malum saepissime experiuntur Senes recenter maritati. Vir 70. annorum viduus tertium inibat cum juvencula conjugium, videbatur strenuus, & in bello non inexpertus. Alterum dixisses Achillem, si verbis semper, & vanis ostentationibus habenda fides. Vix obsidione facta de expugnato oppido triumphum canebat; sed ante victoriam. Nondum integer erat mensis, & artuum imbecillitate correptus albo podagricorum inscribebatur, suaeque stultitiae luebat poenas. Juvencula ipsum monens, ut praestaret praestanda, & fidem datam liberaret, quum videret ipsum oleum, & operam perdidisse, sibi ipsi illicita quaerebat remedia; unde senex noster ex Achille factus per metamorphosin Actaeon mente, & corpore simul torquebatur, & quoties in cornu ferebat foenum, toties novum etiam persentiebat incommodum, donec superveniente morte ab onere illo liberaretur; edoctus ante obitum: in tali tales capi flumine pisces.

Dantur tamen aliae etiam podagrae caussae. Alii talem diathesin per haereditatem contrahunt, & novi ego homines temperatissimos, qui nihilominus vehementissimis podagrae insultibus sunt obnoxii. Quoniam hic morbus saepissime dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Prodit ex fato podagra, *inquit Auctor podagrae politica*, ex nativis nempe, & inevitabilibus principiis, & id vel ex primaeva articulorum molliori, ac laxiori structura, quae facile excrementa suscipiunt: vel ex paterno semine. Multi qui coelibem vitam ac inopem in coenobiis ducunt, podagra molestantur, quorum ego plures etiam ex religiosissimis, & castissimis vidi. Unde constat ab aliis etiam caussis morbum hunc produci: ut ab incommodo alimento, ab importuno frigore, ab intempestivo, ac immoderato motu.

Multum contribuit temperamentum calidum, & siccum, acrium, & mordacium humorum ferax. Multi viri honestissimi, & celeberrimi laboribus, curis indefessis, aëris & temporis injuria aliisque variis casibus nacti sunt articulos laxiores

res, molliores, adeoque imbecilliores, in quos postmodum lympha acrior sese exonerat, cujus motum promovent quam facillime animi passiones, ut quotidiana testatur experientia.

Partem mandantem esse cerebrum probant *Fernelius de part. morbis, & symptomat. & Carolus Piso in celeberrimo suo de morbis ex colluvie serosa ortis tractatu, lectu, & relectu dignissimo*: quarum opinionum veritas apodictice ex fundamentis Cartesianis, & Willisianis facile demonstrari posset. Nihilominus redarguitur *Fernelius a Riverio*, quod a solo capite humores defluere contendat: *Sennertus* vero, quod neget, a capite humores in articulos defluere posse; certo enim certius est, quoties caput aëri frigido exponatur, toties copiosam fieri urinae excretionem, & dari febres catarrhales nemo ibit inficias.

Hippocratis nostri effata: Eunuchi podagra non laborant: Puer podagra non laborat ante veneris usum: nec mulier nisi menstrua deficiant; hodierno tempore veritate exciderunt: dum luxuries puerorum, & mulierum Hippocratem fecit mendacem: quibus motus *Gordonius* in suo lilio medicinae particularis in haec erumpit verba: summatim aliter vadit negocium, quia & Eunuchi, & mulieres, & omnis sexus, & omnis eatas propter malum regimen podagrizant. Eunuchos quod attinet, scribit *celeber. Medicus Dn. D. Paul. Sorbait. p. 743. medic. pract. tr. 6. cap. 6.* Ii etiam forsan tempore Hippocratis ob victus temperantiam podagra, non laborabant, jam vero ob vini, & imaginarium, non raro veneris usum, summamque nervorum fatigationem, uti nobis quandoque fassi sunt, podagra saepius laborant.

Quare vero mulieres fiant arthriticae? prolixius explicat *Seneca lib. 15. epist. 91.* inquiens: *immunes erant ab istis malis, quod nondum se deliciis solverant, qui sibi imperabant sibi ministrabant, corpora opere ac vero labore durabant, aut cursu defatigati, aut venatu: excipiebat illos cibus, qui nisi esurientibus placere non poterat: itaque nihil opus erat tam magna Medicorum supellectile, nec tot ferramentis atque pyxidibus simplex erat ex simplici caussa valetudo, multos morbos multa fecerunt; vide quantum rerum per unam gulam transituram permiserat luxuria, terrarum marisque vastatrix, &c.* & paulo post: *maximus ille Medicorum, & hujusmodi scientiae conditor foeminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare; atque etiam capillis destituuntur, & pedibus aegrae sunt, non mutata foeminarum natura, sed victa est, nam quum virorum licentiam aequaverint, corporum quoque virilium vitia aequaverunt, non minus pervigilant, non minus potant, & oleo & mero viros provocant, aeque invitis ingesta visceribus per os reddant, & vinum omne vomitu remittunt, aeque nivem rodunt solatium stomachi aestuantis, libidine vero nec maribus quidem cedunt patinatae, Dii illas, Deaeque male perdant, adeo perversum cum mente genus impudicitiae viros ineunt; quid ergo mirandum est, maximum Medicorum, & natura peritissimum in mendacio prehendi, quum tot foeminae podagricae calvaeque sint? beneficium sexus suis vitiis perdiderunt, & quia foeminam exuerunt, damnatae sunt morbis virilibus.* Haec Seneca Philosophus; nostrum erit honestius de illo sexu sentire, neque omnibus imputare, quod forsan tempore Senecae una vel altera, non satis prudens commiserit.

CAP. II.

Praemittit nonnulla de ejus Curatione.

Curatio non est impossibilis, si aegri Medicum intelligentem fuerint nacti. Est tamen difficilis, & multarum fraudum ferax, ut quotidie experimur: est enim novus quidam acquirendi opes modus, jactare curationem podagrae. Exempla sunt quidem odiosa, satis tamen nota. Nonne quamplures suis relictis professionibus imposturae huic dedere operam? quo successu, multi aegri suo experti sunt damno. Nonnulli etiam pastores, quibus vile fuit Christi ovile, sua relicta statio-

ſtatione illotis in artem medicam involarunt manibus. Inter hos ante plures annos innotuit impoſtor ille cum ſuo Azoth, cujus impoſtura a doctiſsimis viris detecta, & orbi erudito oſtenſa eſt. Ante annum, & quod excurrit ſimilis ſtationis ſuae deſertor venit Hanoviam, podagrae, & multorum incurabilium morborum jactans curationem, nomine Wetter, Bremenſis: num vero ſuis ſteterit promiſsis, teſtabuntur illi, qui ejus curae interſuerunt; quantum ego quidem ſcio, ne unicus fuit curatus, vel ſecure ſaltem alleviatus.

Optimum omnium remedium videtur abſtinentia ſobria, & abſtinens ſobrietas: abſtine, & efficies, quod medicina nequit, jubet lex Medicorum. Aliquos hoc modo curatos fuiſſe teſtantur hiſtoriae medicae. *Petrus Borellus centuria* 3. *obſerv.* 11. narrat: integra per annum ab omni potu abſtinentia podagricum liberatum. *Petraeus in ſua Noſologia pag.* 234. refert ex Valeſco de Taranta, podagricum quendam, quotieſcunque imminere paroxyſmum ſentiret, ab omni cibo, & potu abſtinentem ſola inedia fuiſſe liberatum, & centum annos vixiſſe. *Trincavellius* ſequentem adfert hiſtoriam: novi, inquit, Medicum Venetum multis annis podagra divexatum, qui poſtquam quatuor annis vini potum ſibi interdixiſſet, liber a podagra uſque ad mortem permanſit. Celeberrimus Viennenſis Medicus *Paulus Sorbuit. in medic. pract. pag.* 741. meminit Canonici cujuſdam provectae aetatis arthritici, qui a Turcis in captivitatem ductus, duriſsime in ſummis laboribus habitus, pauciſsimo pane, & aqua nutritus, ſpatio quatuor annorum ita convaluit, ut redux nullam amplius ſenſerit podagram. Sed curae hae ſunt difficulter imitabiles; mallem ego a Galeno frequentes, & ad animi deliquium venaeſectiones, & evacuationes ſufferre, quam illas experiri.

Quot capita tot ſenſus: ſunt qui ad amuleta confugiunt, quorum magnetiſmo plus confidunt, quam univerſo medicorum ordini: fatendum equidem eſt, in verbis, herbis & lapidibus magnam latere virtutem: verum utrum morbus ex humoribus in corpore humano praeter naturam genitis, ortus amuleto aliquo, vel praecaveri, vel curari poſsit, de eo ego quidem valde dubito. Plurima amuleta mihi ſunt ſuſpecta, dum vel monſtri, quid alunt, vel fraudis & impoſturae plena ſunt. In curandis febribus multi iſtiuſmodi amuleto magnas acquiſiverunt opes. Memoratu & riſu digna eſt hiſtoria apud clar. Medicum *a Guldenklee.* Ephorus quidam, inquit, ultra trimeſtre febri quartana laboraverat, quum ex commendatione hoſpitis ſui circumforaneum quendam famoſiſsimum conſuleret: is amuletum ſyndoni incluſum de collo aegri appendit, aſſeverans certiſsimum omnium febrium intermittentium eſſe remedium, ſi per dies novem geſtetur, poſteaque in profluentem aquam demergatur; hic ſanitati reſtitutus ſcire cupiens pentaculi tam afficacis compoſitionem, aperta capſula reperit membranulam, cui inſcripta erant aliqua verba. Sic nimirum mundus vult decipi. Sunt qui anulum ex Mercurio coagulato factum recommendent: alii alia. Sed vanitas vanitatum.

Viennae Medicus Judaeus magnam pecuniae copiam corraſit oleo antipodagrico, quod magnatibus pro arcano, & magno precio vendidit; tandem detecta fraude nihil aliud fuit, quam oleum ſaponis Veneti, quod quidem inſiſtendis doloribus celebre eſt, ſed vires ejus ſunt hyperbolicae, ut notat Hoeferus.

Quomodo miris caſibus ejecta fuerit podagra hoſpitio, carnificis tortura, terrore, ira, & metu, recenſet *Camerarius* in ſuis memorabilibus. Quomodo per transplantationem auferri poſsit, docet *Laeſel. de podagra.* Crudelis quidem cura fuit a nebulone illo inſtituta, qui ſex clavis ferreis podragrici pedes perfoderat, & trunco ipſum affixerat, nihilominus eventus reſpondit voto.

Polonus quidam religioſus Roma in patriam redux, clar. *Thirmairio* ſancte affirmavit, ſeſe alioſque multos ſequentibus pilulis praeſervaſſe a paroxyſmis podagricis; in tantum, ut conſueta ſaltem munia, etiam paroxyſmorum tempore, obire potuerint.

℞. *Extr.cochiar.trochisc-alhandal.scammon.*ãã.scrup.ii.sem. *extr. turbith. hellebor. nigr.*ãã.scrup.j.& gr.v.

℞. *Crem.tart.*scrup.ij.*lign.aloës.lil.convall.paeon.*ãã.gr.v. *tartar. vitriolat.* scrup.j. *ol.nuc.moschat.succin.salv.rut.anis.*ãã.gt.iv.*aq.Lang.salv.*ãã.q.s.mis.f.pil.ex scrup.j. num.vj deaurentur.

De his, tertia die, ante quodlibet novilunium sumantur pilulae duae; duobus vero diebus ante idem novilunium tres, ac pridie tandem novilunii quatuor, semper paulo ante coenam.

Celeberrimus Crato trium Imperatorum Medicus sequentes pilulas arthriticas recommendat.

℞. *Terebinth. Cypriac.* unc.j. *Coque in aq.chamaepyth. donec albescat, tunc adde. rhabarb. pulverisat.* drach. vi. *ivae-arthet. succin. alb.* ãã. drach. ii. *extr. liquirit.* scrup.j.mis.f.massa.

Fuere, qui unoquoque mane propriam biberunt urinam, non sine levamine: quoniam latex urinae salinus sanguinem denuo pertransiens, particulas salino fixas prius in articulos deferri solitas, secum ad renes deduxit: quod remedium, monente cl. Willisio, sublevando affectum arthriticum auget nephriticum. Sunt, qui magnis laudibus extractum hellebori nigri decantent; quod non usque adeo tutum esse testantur literae Dn.D.Cnoëffelii, Medici in curanda podagra solertissimi, ad Pharmacopoeum Gedanensem datae.

Nonne hae sunt literae Uriae? Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Extrinseca quod attinet antipodagrica, Deum immortalem! quae non afferuntur? Generali Tyllio in secretis fuit sequens emplastrum.

℞. *Ol.olivarum.*lib.j.& unc.iij. *cer.nov.*unc.iij.

Bulliat oleum, donec non amplius strideat, addendo deinde ceram, qua liquefacta adde *lithargyrii auri.argenti subtiliss.pulverisat.*ãã.unc.iij.

Bulliant modice ad ignem, agitando, & ducendo cum spatula, ad medietatem horae unius, addendo postmodum *cerussae Venetae* unc. iij. *lapid. magnet. calcinat.* unc.ij.

Misceantur tam diu ad ignem, donec nigrescat, removendo, ubi ad debitam consistentiam coctum fuerit, ab igne, & ubi modicum quoque refrixerit, addendo *terebinth.opt.*unc.ij.

Mittantur in aquam, & formetur lege artis ceratum. Illustrissimus, & excellentissimus campi Mareschallus omnibus praetulit emplastrum antipodagricum Timaei,

℞. *Ol.olivar.*unc.viij. *ceruss.Venet.alb.*unc.iij. *lithargyr.subtil.pulv.* unc. ij. *myrrh. elect.*unc.j.*camphor.*unc.sem.mis.f.l.a emplastr.

Videt lector benevolus meam sinceritatem, dum arcana fidelissime communico. Olim illustrissimo S.R.I.N.N. arthritico ordinavi emplastrum cranii humani compositum mistum cum empl.antipodagrico Dekkeri in notis ad praxin Barbettianam, & quidem tanto successu, ut illud maluisset mille thaleris redimere, quam in paroxysmo eo carere, quod mihi saepius fassus est: sed erant verba in paroxysmo extorsa mitigato dolore, mitius etiam loquebatur, & me promissi immemor gratiose dimittebat, quamvis viliori precio illud a me impetrare potuisset. Hujus emplastri vires ego hactenus semper deprehendi efficaces, quas malo supprimere, quam cum Empyricis merces meas venales exponere.

Quum Pragae, & Viennae viverem, summo pro secreto habitum fuit balneum quoddam, singulari modo praeparandum: Auctor ejus fuit D.D.Sorbait, Medicus Caesareus celeberrimus, quo ego Hanoviae intra biduum pistorem vasorum e terra porcellana praeparatorum, & alios a contractura totius corporis per Dei gratiam liberavi. Ejus descriptionem alibi traditurus sum.

Omnia

Omnia haec sua constant laude, sed famam non omnia sustinent, nec in totum a morbo liberant. Tutius, & jucundius nostro hoc seculo innotuit remedium, lac vaccinum, novum quidem remedium, & diu sopitum, nunc vero novo quasi amictu luci traditum. Hoc instituitur cura, ita ut nihil nisi merum lac per aliquot menses assumatur, interdicto omni cibo, & potu; quo dolores arthritici temperantur, & magnum levamen etiam a deploratissimis persentitur, ut paulo post audiemus, praemissa lactis generatione, & virtute.

CAPUT III.

Docet lactis genealogiam, & energiam.

LAc nomen suum a colore habet, qui Graecis λευκὸν dicitur, & definitur: quod sit humor albus, & dulcis e sanguine beneficio glandularum conglomeratarum in mammis genitus.

Intricata est controversia, an ex chylo an vero ex sanguine generetur? Prior opinio egregios habet patronos, ipsorum argumenta videri possunt apud Bartholinum, Moebium, Schenkium, & alios. Posterior non minus innititur plurimorum cl. Medicorum rationibus, & experientiis, & nobis arridet tam diu, donec ab altera parte solidiores videamus demonstrationes. Notatu dignum est, cl. Diemerbroeck. liquore quodam sanguinem in lac convertere posse, quo solo etiam experimento omnia adversariorum corruunt argumenta, a lactis consistentia, colore, & aliis qualitatibus, desumta.

Constituitur lac e tribus diversae plane naturae partibus essentialibus: una est pinguis, & oleosa, altera terrestris, & limosa: tertia serosa seu mercurialis; quaelibet pars suos proprios edit effectus: pinguis ex qua butyrum fit, praeservat a calculo, lubricitat alvum, & dolores lenit, resistit etiam venenis, rigidas particulas oblinendo, & acres veneni moleculas inviscando. Hinc nonnulli anteprandium jejuno ventriculo sumunt butyrum, quo sese praeservent a veneno: quod factum fuisse ab illustri S.R.I. statu, qui omnium venenorum vim si eludi posse confidebat, saepe saepius vidi. Pars limosa, ex qua fit caseus, confortant acidum ventriculi, adstringit, & podagricis externe applicata magnum adfert solatium: serum praeter vim detergendi consolidandi, & attemperandi alvi faeces, & urinam provocat, viscerum tollit obstructiones, sanat ipsorum exulcerationes, & vitiosam sanguinis diathesin corrigit: habet insuper vim alexipharmacam, quo nomine a Moraeo in febribus malignis recommendatur.

Consentientem in hac lactis anatomia habemus *Aristotelem*, quando dicit: omne genus lactis habet in se tum saniem dilutam quam serum, tum corpulentam quam caseum & butyrum appellamus.

Quibus vero in affectibus conveniat, id *Galenus* docuit, dicens: illud convenire hecticis & marasmo consumtis, corrigere calidam viscerum intemperiem, abstergere parte serosa, caseosa conglutinare, & reficere seu nutrire butyrosa.

Juxta Coum nocet caput dolentibus, in siti morbosa, & iliorum murmuratione, *vid. sect. 5. Hippocr. aph. 64.*

Lac tanti aestimatur, ut multi credant, non solum omnia fieri ex lacte, sed omnia etiam lacte nutriri, idque in triplici regno; in specie vero scribunt, metallorum nutricem lacteam esse, quia Mercurius calcinatus in caseositatem, sublimatus in butyrositatem, destillatus vero in serositatem mutetur.

Coeli viam lacteam esse stellarum nutricem a nonnullis asseritur. Fabulantur enim Poëtae, Junonem Mercurio dedisse lac, & postquam resciverit, eum Majae esse filium, rejecto infante lactis profusi splendorem nobis adhuc in hunc usque diem inter sidera apparere. Alii Herculem nimia aviditate lac appetiisse, lac vero ejus

ore

ore iterum excretum circulum illum lacteum signasse fingunt. Pythagorici viam hanc lacteam non tantum stellarum, sed & animarum nutricem esse, in scholis suis sedulo inculcarunt.

Lactis dignitatem confirmat Sacra Scriptura, quae saepissime lactis facit mentionem *exod. c. 3.* vidi afflictionem populi mei in Aegypto, inquit Jehovah, & clamorem ejus audivi propter duritiem eorum, qui praesunt operibus, &c. educam vero illum in terram bonam, in terram, quae fluit lacte & melle.

Lac & mel sub lingua tua *Cantic.* 4.

Ipse Salvator noster fuit lactatus a Maria. Neque enim poterat, inquit *S. Hieronymus*, ut quae genuit masculum & erat puerpera, careret lactis abundantia.

Quin imo lactis defectus inter poenas temporales refertur, *vid. c.25. Ezechiel.* ubi Deus comminatur. Ecce ego tradam te filiis orientalibus, ipsi comedent fruges tuas, & ipsi bibent lac tuum.

Lacte mores instillantur, ipsique inest specialissimae proprietatis character, qui per lac foetui communicatur: si enim lac ex sanguine, sanguis vero vita, & vita in anima, quid impediet, quo minus specialissimae quaedam proprietates ex sanguine in lac, & ex lacte in alium emanent. Quam pessime ergo consulunt illi liberis suis, qui illis meretricibus lactandos tradunt, quarum lac est cloaca omnium flagitiorum: quam speciosas virtutes, inquit *Dn. Greisel Medicus Viennensis*, contrahent filii a tali aliqua nutrice exusta, & mercuriali fumo exsiccata, hospitalis S. Marci alumna: quam generosus spiritus in tali filio nutrito a lacte, in stabulo prope hircum & equos facto generabitur?

Severiori tales parentes castigantur ferula ab *Aulo Gellio*, cujus verba jubet apponere; quid enim hoc, *inquit*, contra naturam imperfectum ac dimidiatum matris genus: peperisse ac statim a se abjecisse? aluisse in utero sanguine suo, nescio quid, quod non viderit? non alere nunc suo lacte, quod videat jam viventem? jam hominem? jam matris officia implorantem? an putas naturam foeminis mammarum ubera quasi quosdam nevulos venustiores non liberorum alendorum, sed ornandi pectoris caussa dedisse: sic enim pleraeque prodigiosae illae mulieres fontem illum sanctissimum corporis generis humani educatorem arefacere, & extinguere cum periculo quoque aversi corruptique lactis laborant, tanquam pulchritudinis sibi insignia devenustet.

His motus *S. Ambrosius* in illum textum, quis annunciabit Abrahae, quod Sara lactet filium? monet omnes foeminas, meminisse dignitatis suae, & lactare filios suos.

Multi lacte vitam suam prorogarunt: Medicus Francofurtensis Phthisicus sugens ubera, in plures annos vitam protraxit. *Plutarchus* refert de Sosistrato, nullo cibo & potu alio quam lacte per totius vitae curriculum victitante. Novimus, inquit *Galenus*, senem quendam agricolam, qui amplius centum annis ruri egerat, huic plurimum nutrimenti fuit lac.

Quidni ergo poterit curare podagram? quum tot diversarum figurarum constet moleculis, quibus poris sanguinis, liquoris nervosi, partium membranosarum, imo totius corporis respondere, vitiatam sanguinis temperiem corrigere, & ipsam partium laesam conformationem restituere possit. Putamus enim (salvo meliori judicio) in particularum minimarum motu, situ & figura consistere calidum innatum, oriri ex his temperamentorum diversitates, morborum quoque potestates in illis residere. Quibus principiis tantum abest, ut quenquam laedere velimus, ut potius omnes ac singulos, ut meliora suppeditent, amice invitemus; licet enim libere philosophari, praeprimis Medicis, qui in philosophia, ubi saepe bifrons videtur veritas, satis paradoxi sunt, quod tamen citra omnem contentionem fieri debet. Recte sentit *Thomas Brovvne in religione Medici* scribens *sect.* 6: nusquam mihi ortum

tum est cum aliquo dissidium propter opinionum discrepantiam, nec inimicitiae susceptae, quod mecum in iis non sentiret, a quibus forsan paulo post & ipse dissensurus sum.

CAP. IV.

Inculcat podagricis utendi & lac bibendi modum.

JOhann. Georg. Greisel Medicus celeberrimus eruditissimum conscripsit tractatum de cura lactis, qui quum in paucorum sit manibus, operae precium me facturum confido, si ex hoc & aliis Neotericis integram curam praescribam.

Itaque 1. antequam haec cura inchoëtur, disponendus erit patiens, per quindecim dierum spatium exactissimam observans diaetam, quo tempore pro evacuandis primis viis & disponendis visceribus, ad recipiendum convenienter hunc liquorem, saepius corpus expurgandum erit, & si corpus fuerit plethoricum, opportunum erit semel aut bis detrahere sanguinem ex venis brachii secundum corporis exigentiam.

Lac ea qualitate & bonitate debet esse praeditum, ut eas conditiones explere possit, quae necessariae sunt ad morbum expellendum; eligitur ergo vacca mediae aetatis, boni habitus, coloris rubri aut nigri, nec praepinguis, nec tenera, nec praegnans, a tauro longe semota, nutriatur tempore hyemali optimo foeno, hordeo, furfure frumenti, vel ejusdem palea, vel stramine: tempore aestivo herbis bonis, & locis siccioribus enascentibus, strigili quotidie instar equi ducatur, pura fluviatilique aqua potetur, miscendo aliquando manipulum furfuris, aut farinae secalis recentis.

3. Quod quantitatem lactis attinet, haec a ventriculi ipsius sensu assignatur, tantum igitur lactis bibere incipiat patiens, quantum ferre & concoquere possit ipsius ventriculus, semper tamen majori, qua possit quantitati assuescere conetur; igitur finitis illis diaetae dicatis diebus mane horis quatuor aut quinque ante prandium incipiat bibere unciis sex ad decem, ad 18. ad 20. totidem uncias loco coenae bibat, dosin pedetentim augendo usque ad uncias quadraginta, aut eam quantitatem, quam ferre, & concoquere poterit ventriculus. Sunt qui prandium maxime primis diebus concedunt ex alimentis euchimis, & facilis concoctionis, ut gallinis, perdicibus, carne vitulina &c. sensim dosin minuendo, & paulatim cibos ex lacte, & ovis factos intermiscendo, tandem carne sublata ova & lacticinia substituendo, tandem & haec tollendo, & loco prandii dictam dosin lactis praescribendo; ita ut ternis vicibus dosis dicta de die assumatur: quorum institutum omnino est laudabile, sed quia cujusque non est eadem victus ratio in quantitate, ideo certa lex omnino praescribi non potest; sunt enim quibus ter in die lac dare non sufficit, iis ergo, quater sumi permittitur bis cum pane, & ovo, vel sorbitiuncula, quae fit ex lacte, & oriza, vel farina orizae, vel hordeo mundato, & saccharo diverso modo paratis, & bis sine pane. Sunt alii, quos quater bibere oportet: alii quos bis tantum, & hi sunt quorum ventriculus est debilis: nam qui robustiores sunt, majorem quantitatem ferre possunt, & his terna sumtio sufficit, in quarum media panis albus loco prandii additur, aut ova recentia, aut condita per butyrum recens, oriza cum lacte cocta, vel cremor lactis & quaecumque cum lacte parata, superbibendo denique haustum lactis loco alterius potus; quo autem pauciora heterogenea, & a lactis natura discedentia assumantur, eo minus timendae sunt alterationes, in usu lactis obvenientes; quae omnia adstans Medicus prudentissimo judicio pro diversitate accidentium disponere noverit.

4. Longitudo temporis lactis sumendi tam diu protrahi debet, quamdiu non omnis materia arthritidem caussans e corpore exhalaverit, quod a diuturnitate morbi est computandum, & ab observatis huc usque feliciter curis deinceps arguendum: trimestris hactenus ordinaria fuit, opportunum autem lactis assumen-

di tempus judicatur esse venenum, & illud quidem a principio Maji usque ad finem Julii.

D. Jacob. Sachsius a Levvenhaim, Medicus quum viveret, felicissimus de republica medica optime meritus, & amicus meus integerrimus, cujus obitum cum multis cordetenus doleo, communicatam sibi a Generoso Barone methodum inseruit *tom. 1. ephem. medic. German. pag. 315.* sequentibus verbis.

1. Lac quod assumendum sit de rubra vel nigra vacca, nec praegnante, nec seniore; optimum si haberi possit de vacca, a qua vitulus jam sublatus est, & quae taurum rursus non admisit.

2. Lac unicuique bibendum secundum complexionem, & constitutionem ventriculi parum vel multum. Si ventriculus debilis, quater vel quinquies per diem lac bibendum; si quinquies ita tempus dividendum, ut per trihorium ab ejus usu ventriculus quiescat: si quater, singulis quaternis horis potus lactis repetendus erit. Ipse ter tantum bibo, nimirum mane circa 6. a meridie circa 12. & vesperi circa 7. singulis vicibus 2. quartarios, sive libr. v. & semis ad minimum alias per diem 7. vel 8. quartarii bibendi sunt.

3. Antequam lactis cura suscipiatur, bis vel ter corpus evacuandum est, quod intra 10. vel 14. dies peragendum: purgationes secundum complexionem aegri dirigendae.

4. Inde lacte bibendo fit initium, & consultius, ut calide hauriatur, prout a vacca est emulctum.

5. Ne concrescat lac, de saccharo, si lubet, poterit injicere, quantum placet.

6. Si alvus constipata, mane sumantur gran. xx. rhei pulv. in primo haustu lactis, superbibendo reliquum lac, aut circa vesperam sumantur viij. vel x. gran. essen. rhabarb. cum lacte, & hoc toties repetendum, quoties necessitas requirit.

7. Quidam, praecipue intra primas 10. vel 12. septimanas singulis mensibus lenem interponunt purgationem, si videtur esse necessarium: si etenim alvus quotidie aperta, nec lac in ventre moretur, sufficere poterit rhabarb.

8. Si lac aliquam excitet diarrhaeam, antequam bibatur, parum ebulliat, addendo aliquid salis, & sic calidum hauriatur, si prima vice non succedat, repetatur altera vel tertia.

9. Si aliquis calor accedat ex usu lactis, tertia pars decoct. hord. cum passulis lacti affundatur.

10. Si sitis extra eas horas, in quibus lac bibitur, decoctum hordei cum passulis sumatur, aut in ejus defectu haustus aquae frigidae fontanae.

11. Durante hoc lactis potu nulli alii cibi assumendi sunt, praesertim in principio.

12. Postea si lubeat, circa meridiem panis similag. unc. j. vel ij. sed saltem de medulla assumantur quae lacti immergantur & simul comedantur. Si lac jam per aliquot septimanas haustum, bis per septimanam ovum sorbile, sed absque sale, cum pane similagineo conceditur. A pane fermento subacto penitus abstinendum, ne lac in ventriculo in caseum degeneret.

13. Si lac per 14. septimanas adhibitum fuerit, tunc securius de sequentibus cibis assumi poterit, ita tamen, ne ventriculus obruatur, & de lacte subtrahatur.

14. Ex cibis itaque conceduntur oryza in lacte cocta ova sorbilia, aut in butyro insalito frixa, insulsum butyrum cum pane similagineo, pultes lacteae & alia lacticinia, ita tamen ut in omnibus sal absit.

15. Per aestatem vaccae, quae lac suppeditant, in optimis pascuis, & siccioribus locis non paludinosis alendae; per hyemem ex foeno, stramine tritici, & furfuribus triticeis.

16. Tempus, quamdiu lac adhibendum, exacte definiri nequit, quo diutius hau-

hauritur, eo perfectior cura; sunt qui podagra valde afflicti, ne malum redeat, continuo, alii per annum, alii per annum, & sesqui annum, lac hauserunt. Quidam per dimidium annum curam lacteam adhibentes, quum ad pristinum redierint victum, & in eo miscella ciborum excederent, rursus podagra fuerunt correpti: redeuntes vero ad curam lacteam, podagram rursus expulerunt.

CAP. V.

Adducit Testimonia cl. Virorum: & nonnulla adhuc observatu digna monet.

QUoniam vero non indifferenter haec cura omnibus applicanda, nec lac semper & omni arthritidi conveniat, quod jamdudum Cous noster monuit 3. *aph.* 6. Lac caput dolentibus, febricitantibus, ilia suspensa murmurantia habentibus, siticulosis, in febribus acutis, biliosas dejectiones habentibus, & quibus sanguinis multi dejectio facta est, malum est: omnes circumstantiae probe erunt considerandae, & viscerum temperies, ventriculi praeprimis, intestinorum & hepatis accurate examinandae, ut patet ex judicio excellentiss. Romani Medici Gabrielis Fonsecae, Innocentii X. & successorum Pontificum Archiatri, cujus literas hic apponam.

L'approbatione di Fonseca.

Ho visto & letto questa maniera di pigliare il latte per sanar la gotta, alla maniera non occorre aggiongere altro, perchè la trovo essattamente descritta, solo resta d'essaminar & considerar bene a chi convenga pigliar il latte, & a questo rispondo, che se la podagra proviene d'una causa, o materia biliosa, tenue & calida, che provenga dall'eccessivo calor del hepate, pigliar il latte di vacca o d'asina sia buono per 40. giorni continui, finita la qual cura, si puo con buona dieta ritornar al viver ordinario, mentre sia moderato: ma se la podagra procede d'una causa fredda, o d'una destillatione della testa, non mi pare, ch'il latte sia convenevole a quella complessione.

Neque movent nos difficultates aliquot, quae videntur lactis curam reddere subinde periculosam, quarum mentionem etiam facit *cl. Thirmair p.* 49. Inappetentiae scil. periculum & morbus magnus: omnia enim illa symptomata, & graviora adhuc, prudentia Medici declinari, & si non evitari, tamen corrigi possunt, observatis his, quae capite praecedente innuimus.

Accedunt testimonia cl. Virorum, quibus moltos usu lactis integre convaluisse probatur. Testantur id Medici Lovanienses, Bruxellenses, Mediolanenses, Romani & alii plurimi.

Idem testantur celeberrimi Medici, per-illustris, magnificus & excellentissimus D. Doctor Franchimont, Protomedicus Regni Bohemiae, &c. D. Pobrezensky de Nigro Ponte, Philos. & medicinae Doctor, ejusdemque professor in Academia Pragensi, & D. Beali, practicus ibidem felicissimus.

De Barone, qui capite praecedenti methodum curatoriam communicarat Dn. Sachsio, scribit praelaudatus Dn. Sachsius a Levvenhaim. Quum amore sanitatis huic diaetae severiori sese obstrinxisset, factum est, ut qui ante nec pedem, nec manus movere potuerit, adeo se viderit immutatum hac lactea diaeta, ut nunc ubique baculo incedere, equos ascendere, venationibus interesse, manibus cibos dividere, & alia munia rite peragere possit.

Colophonem labori nostro imponet excell. Dn. Sorbait p. 741. inquiens: nos hac hominum aetate plures vidimus per diaetam lacteam esse ex toto liberatos, vel saltem rarissimis, & vix aestimabilibus vexari doloribus. Narravit mihi Sac. Caes. Majest. Chirurgus Johannes Pilas se a tribus jam annis, quibus se huic diaetae emancipavit, etsi freqūētissimis ante torqueretur paroxysmis, itaut in summa articulorum impotentia miserandum traheret spiritum, nullis omnino cruciari doloribus, imo facies est vividi coloris, expeditissime ambulat, proles absque impedimento generat, ita ut renatus ex integro videatur. Similem fere ex diaeta hac fructum per-

cepit excellentissimus & illustrissimus Comes Caes. Majest. Consiliarius intimus; item illustrissimus Comes de S. Hilario; item cubicularius quidam Caesareus. Plurimi itidem alii, qui alias summe erant flaccidi, ex lacteo hoc fonte refloruerunt.

Coronidis hoc notandum, podagricos ut plurimum mori ex aevo, quod natura materiam podagricam ad partes externas expellere nequeat: tunc oritur internorum viscerum phlegmonodis & inflammatio, cordis praeprimis, hepatis & ventriculi, maxime circa pectus sentiuntur oppressiones cum subitaneo virium collapsu: tandem symptomatum agmen & vitae portam claudit singultus: hoc modo, (notante celeberrimo Dn. Sorbait) Princeps de Gontzaga, & plurimi alii e medio sublati sunt, & ante biennium illustrissimus Comes Ysenburgicus, cujus laethali morbo una cum excellentissimo & celeberrimo Dn. Doctore Geilfusio interfui. In tali casu laudantur spirit. theriac. tinct. auri, tinct. bezoard. D. Michaelis, species diamargarit. frig. a scrup. ij. ad dragm. j. in decoct. vel tinct. polypod. exhibitae, quas adeo extollit saepius summo cum honore nominatus Dn. Sorbait, ut etiam scribat, pulverem hunc mira facere, quod non solum in propria uxore, sed etiam in aliis plurimis saepissime sit expertus. Tali in casu exulent Narcotica. Sapienti sat. *DEO sit laus & gloria in aeternum.*

DISPUTATIO XIII.
SCRUTINIUM PESTIS,
RESPONDENTE
JOH. RUDOLPHO NEUHUSIO, H. Bernensi.

A Jehova sit initium.

I. Qua truculentia pestis plurimas Germaniae regiones peragrando depopuletur, quot urbes incolis horrenda strage exhauriat, & qualem omnibus circumjacentibus hucusque ab ista perniciosa lue liberis metum, atque horrorem incutiat, palam est: omnes enim ad ejus mentionem pavescimus, nullus est quem formido non occupet, quum mors ipsa malorum appareat minimum iis, quos ipsa invadit. Itaque in tempore de debellando, ac a moeniis arcendo astutissimo atque simul fortissimo hoc hoste consilium ineundum censui. Quibus itaque armis, quo valore, quibus confoederatis & stratagematibus humano generi insidietur, illudque oppugnet, breviter inquiremus, ut eo melioribus ac maxime proportionatis armis instructi, ipsi resistere eumque invadentem jugulare possimus.

II. Pestis ergo, quam describere animus, est morbus epidemicus, contagiosus, consistens in summa sanguinis turbatione per materiam aliquam subtilem malignam inducta, cum apparentia exhanthematum, anthracum, bubonum, aliorumque symptomatum horrendo apparatu.

III. Unde autem fit, & quomodo generetur materia illa maligna, primo inquirendum: ad quod pauca quaedam ex physicis petenda. Notum est pro variatione figurae particularum terrestrium earumque compositione & conjunctione varia fieri interjacentia spatiola, quae a materia tantum subtilissima occupari possunt; quae materia, quia indefinitae est figurae, in illis spatiolis concrescere, & in parvas abire massulas facillimum est, quae massulae pro varia figura & magnitudine spatiolorum istorum varie etiam modificantur, qualem etiam concretionem nobis descripsit *Des Cartes* in explicatione phaenomenon magneticorum, quam vocat materiam striatam. *part. III. princ.* §. 88. Sed prout illa materia striata nascitur in spatiolis inter globulos coelestes triangularibus: ita haec nostra in spatiolis particularum terrestrium, de qua vide eundem Auctorem *part. IV. princ.* §. 185.

IV. Quia autem unumquodque corpus sibi particularem habet talem materiam

magis

magis, vel minus cum poris aliorum corporum convenientem, variae antipathiae, & sympathiae oriuntur: illa autem, cum qua nobis negocium, ita modificata est, ut minime cum porulis & textura nostri sanguinis conveniat, sed illum, si ipsi immisceatur omnimode turbet, & moleculas ejus plane destruat, unde maligna vocatur. Et pro majori gradu inconvenientiae major & major etiam est gradus malignitatis.

V. Non putem autem illas massulas nudas & sine vehiculo, e telluris gremio vel undecunque tandem sint, nobis afflari, nec diu ita solas persistere posse, sed iisdem particulis talia spatiola intra se continentibus, quasi in sinu gestantur & hinc inde deferuntur; quae si sanguini nostro, sive jam fiat per respirationem, sive contactum sive alimenta, &c. communicentur, a calore vitali ex eorum ergastulis excutiuntur; & quia velocissime moventur, facile sanguinis compagem & misturam omnimode turbant non aliter ac fit in vino, vel cerevisia fulmine tacta; quia autem hae particulae terrestres tales massulas in se continentes uniusmodi & aequali copia non semper adsunt, neque ab astris materia subtilissima eadem copia nec ejusdem generis ad nostram terram defertur, etiam haec lues pestilentialis miris variatur modis, nec iisdem semper remediis arceri, vel excuti potest.

VI. Insuper notandum est sanguinem ex certis quibusdam guttulis, sive moleculis componi, quae quamdiu integrae, & legitimo modo dispositae manent, sanguis turbatus dici non potest, quamquam interim valde impurus esse possit. Exemplo res fiet clarior: si acervus frumenti ex puris & pulcherrimis granis sit congestus, purus erit; at si alia immisceantur, ut lapides, ligna, &c. impurum quidem dicetur frumentum, nullo modo autem turbatum vel destructum; sed quando jam impurum est, & singula grana comminuuntur, tunc demum destruetur & turbari dicetur. Idem accidit in sanguine, quamquam variae particulae heterogeneae sanguini immisceantur, nondum tamen turbatur, vel destruitur ejus mistura, etsi cachochymia oriatur: sed quando moleculae ejus destruuntur, statim turbatur & corrumpitur, & secundum varios gradus hujus turbationis variae fiunt febres, inter quas ultimum gradum obtinet pestilentialis vel pestis.

VII. His jam positis facile omnia phaenomena, quae circa pestem observantur explicari poterunt. Contagium epidemicum, & multiplicationem ejus quod attinet, obscura esse non possunt, modo attendamus ad continuam insensibilem corporum nostrorum transpirationem, aëremque nobis circumjacentem talibus scatere posse particulis, quae talem in sinu gerunt materiam subtilem humano generi exitialem; & quamdiu illa spatiola in illis corpusculis integra manent, continuo novas in illis concrescere massulas tales deleterias; imo illa materia subtilis in corporibus infectorum sibi secundum figuram suam excavare, & post se relinquere poros, in quibus postea aliae concrescant sibi similes, & ita brevi tempore valde augeatur veneni copia, & multiplicetur.

IIX. Quod autem plures in eodem aëre his particulis impraegnato degentes, imo frequentius circa aegrotos versantes, & absque praeservatione hac lue non inficiantur, id diversae eorum sanguinis, humorumque circulantium dispositioni respectu veneni adscribendum puto; quod videmus in melancolicis, qui non tam facile in peste inficiuntur ut alii; hinc facile etiam ratio reddi potest, quomodo accidere posset, quod certae tantum familiae hac affligi, reliquis intactis observentur; quod illud venenum nunc magis adultis, quam infantibus, & contra, nunc magis sexui masculino, quam foeminino, & contra, &c. infensum & exitiale sit.

IX. Ex sanguine ita turbato nullos, vel paucissimos posse generari spiritus facile cuivis attendenti patet; eodem modo ut videmus fieri cum vino, vel cerevisia fulmine tacta, ubi ne guttulam quidem spirituosi liquoris elicere possumus. Hinc tam magna statim virium prostratio, appetitus imminutio (quamquam & alia

etiam

etiam subsit caussa) anxietates cordis, & lipothymiae frequentes, continuo enim multi deperduntur animales spiritus per insensibilem transpirationem, unde restauratione semper opus est, quae tamen hic non subsequitur.

X. Et quia sanguinis legitima textura destructa est; particulae aequales aequalibus, secundum naturae leges magis associantur; v. gr. salinae salinis, sulphureae sulphuris, &c. & omnes sui juris fiunt, quia vincula disrupta sunt: ita ut diversae illae materiae non tam sint pestis caussae, quam producta morbosa, quod semel annotasse sufficiet. Perseverante autem adhuc sanguinis circulatione, nunc ejus pars salina, & magis rarescens, nunc pituitosa vel terrestris ipsum cor ingreditur, & pro diversa illa dispositione nunc citius, nunc tardius rarefit, unde pulsus, nunc celer, nunc tardus, nunc magnus, nunc parvus, nunc fortis, nunc debilis, imo aliquando intermittens est, vel plane cessat, quamquam imminutio spirituum animalium multum etiam ad languorem & debilitatem faciat. Si autem ab acredine salium jam sui juris factorum cor lancinetur, statim quia musculus est, convellitur, & ad violentum motum a spiritibus animalibus cum impetu influentibus cogitur: accedente interim etiam propter consensum spasmodica contractione arteriarum praecipue circa cordis basin, ubi a pluribus nervulis complecti in anatomia observantur. Hinc sanguis cum violentia ex corde expressus non inveniens commodam viam per arterias transeundi, repercutitur quasi & in latera vim suam exerit, & ita palpitationes cordis excitat, *de qua re vide Willisium.*

XI. Necessario etiam hinc inde variae in diversis partibus resultant obstructiones, unde tot postea oriuntur symptomata. Nam pro ratione diversitatis materiae obstruentis, & diversitate partium, earumque dispositione symptoma aliud & aliud erit: quae diversitas in eadem peste ab alio non dependet, quam a diversissima constitutione tum humorum, tum texturae partium solidarum variorum hominum. In uno enim subjecto, cujus sanguis multis jam scatet particulis salinis, vel etiam sulphureis alia, eaque graviora apparebunt symptomata, quam in alio, cujus sanguis antea legitime temperatus fuit, alia item in alio, cujus sanguis pluribus particulis viscosis, crassis, aquosis, vel terrestribus infarctum est, minima etiam occasio, quae facile hic determinari nequit, efficere potest, ut talis vel talis materia, in hanc vel illam potius partem secessum faciat.

XII. Si forte particulae salinae acres in capite deponantur, ibique fibrillas nervosas, vel membranosas vellicant, sive laedunt ejusdem dolorem ingentem pungitivum, sive mordacem producunt, & non permittentes, ut pori cerebri blande subsideant, vel claudantur vigilias continuas inducunt, e contra si crassiores pituitosae, & viscidiores ibidem potius segregentur, quae poros cerebri oblinunt, & principia nervorum aliquomodo obstruunt, ut spiritus animales, qui jam tum in minori adsunt copia, in nervos influere, eosque sufficienter inflare non possint, soporosi isti in peste saepius observabiles affectus oriuntur, si v.gr. in specie meatus nervi auditorii obdurantur, ut in peste Viennensi saepe observatum est, aegrotantes auditu privantur. Quando autem salia illa in meningibus poros ista obstruunt, ut inflammationes caussentur, deliria phrenetica exsurgent.

XIII. Quando illa salina congeries ad stomacum etiam vergat, statim liquor ille gastricus seu fermentum stomachale vitiatur, & appetitus imminuitur, & prostratur, acidum enim ab illa, quia alkalinae potius est naturae, maxime infringitur; unde concoctio in ventriculo non amplius legitime procedit, & alimenta, non in chylum laudabilem, sed in faetidam putrilaginem abeunt, quae ad vermes excludendos aptissima, gaudent enim valde calore tali putredinali; mirum itaque non est in peste Viennensi integra agmina vermium in principio morbi prodiisse, ut notat *D. Sorbait*, ut plurimum enim tempore pestem antecedente plurima, & variorum generum insecta praesertim muscarum multo majore turba,

ba, quam alias consuetum est observantur, quae suis ovis, & aërem, & cibos conspurcare solent, quae ova in corpus nostrum admissa aliquamdiu ibi latere, & tandem aliquando accedente putredine sive calore putredinali excludi possunt. Hac de re videatur *cl.Rhedi*.

XIV. Salia illa acredine sua stomachum vellicantia nauseam cum vel sine vomitu producere possunt; saepe acrimoniam suam in superiore ventriculi orificio, quae pars acutissimi est sensus, exercent & cardialgiam, vel anxietates excitant; aliquando ita caustica sunt, ut ipsas stomachi tunicas corrodant, imo nonnunquam sphacelentur, quod etiam de aliis visceribus est intelligendum, si eo potius propter laxitatem, vel obstructionem, aut aliam dispositionem praeeuntem deponantur.

XV. Si ad intestina pertingant, sive jam hoc fiat mediante bile, vel succo pancreatico, vel immediate ex ventriculo, aut glandulis intestinalibus perinde est, saltem fibras intestinorum nerveas vellicabunt, & ad excretionem continuo stimulando diarrhaeas, vel vasa corrodendo dysenterias, & alios excitabunt motus convulsivos, & ut alibi saepe etiam gangraenam, aut spacelum inducent.

XVI. Quod si caustica illa salia in vasis capillaribus partium carnosarum, & membranacearum subsistunt, ibique obstructiones generant, inflammationes, & carbunculos producunt, non minus in partibus internis, quam externis; maculae autem, & petechiae generantur, quando hinc inde corrosis, vel obstructis, & deinde laceratis vasis capillaribus subcutaneis, sanguis extravasatur, in parva tamen quantitate nulla subsequente inflammatione, si particulis subtilioribus in auras avolantibus terrestriores tantum relinquuntur, quarum ratione varii inducuntur colores; quando autem iterum disparent, materiam illam introrecedere, & partes nobiliores adoriri judicandum est.

XVII. At non tantum sanguis turbatur, sed & reliqui humores circulantes vitiantur ut lympha, ita ut in glandulis quoque praecipue conglobatis; quia poros arctiores minusque rectos obtinent, substantiamque molliorem habent, obstructiones oboriantur, ubi si lympha stagnet, & colligatur glandulas, nunc plures, nunc pauciores in tumores attollat, quo ipso vasa sanguifera circumjacentia comprimuntur, sanguisque ibi stagnare cogitur, unde bubones suas ducunt natales, qui quidem tam formidabiles, ut anthraces, non sunt, modo rite tractentur. Observatum enim est plurimam partem eorum, quibus bubones erupuerunt in ultima Viennensium peste evasisse, praecipue si in partibus nobilioribus suam non fixerunt sedem.

XIIX. *Lympha* haec vitiata nonnunquam vasa salivalia obstruit, unde sitis inextinguibilis, oris siccitas, & ardor necessario consequi debet; salia enim ab aestu interno eo delata a particulis aquosis sufficienter dilui non possunt; sero interim ad alias partes tendente ubi liberior ipsi conceditur via, saepe enim ad intestina copiosius ruit, & tunc diarrhaeis materiam praebet, nunc in renibus copiosius percolatur, & urinae profluvium caussatur: quod in peste Viennensi saepius factum, ut a praedicto Viennensi Medico annotatum est. Nec multum facessit negocii explicatio inconstantiae, & variae urinae mutationis; quia omnes humores corporis in convenienti sua dispositione sunt turbati: quis mirabitur, si renes aliquando magis aliquando minus obstruantur, si eorum fermentum vitietur, & quum massa sanguinis non sit ubique sibi aequalis, urina nunc de hac nunc de illa plus minus participet materia, nunc tenuis, & cruda, saepius tincta valde, nunc crassa, & turbida, imo pessima segregetur, nunc nigricans, oleaginosa, aut livida corruptionis lethalis certum indicans excernatur. Alia adhuc multa in peste observantur phaenomena, quae tamen aeque facile per posita illa principia dilucidari posse perfido.

XIX. His jam praedictis, quo pacto rationalis praeservatio, & curatio superstruen-

struenda sit, porro videndum; quia materia illa subtilis pestilentialis vires suas exerit sanguinis compagem solvendo texturamque omnimode turbando, omnia ea ad praeservationem necessario observanda esse censeo, quae sanguinis mistionem fartam tectam servare possunt. Quo facit diaeta, quae si legitima instituatur multum auget, optimeque conservat corporis robur. Consistit autem in conveniente regimine sex rerum non naturalium. Ex quibus praecipue hic considerandae sunt, aër & animi pathemata, de caeteris mediocritas recommendatur.

XX. Quia continuo tali tempore aërem jam infectum, & talibus particulis impraegnatum attrahere cogimur, nil consultius esse patet, quam cito se in alias sanioris conferre aëris regiones juxta tritum illud:

Mox, longe, tarde, cede, recede, redi;

Quum autem non cuivis officium hoc permittat, nec sine conscientiae laesione id semper fieri possit, aër quantum potest corrigendus, depurandus, & ab istis particulis lethalibus liberandus, quod optime fit igne luculento, ex lignis resinosis, & aridis, juniperinis, quercinis, abietinis, &c. accenso, & fumigiis variis, quae ex sulphure, myrrha, pulvere pyreo, baccis juniperi, tabaco, &c. fieri debent; quo pertinet Eolipila, quam recommendat *excellentissimus atque experientissimus Archiater Hassiacus, hujus Universitatis med. Professor primarius Dn. D. Waldschmid.* Item campanarum sonitus, & bombardarum frequentiores explosiones. Modus autem quo haec, & similia operentur ex sequenti thesi 27. facile concludi poterit; interim aër privatus circa domicilia, & inhabitationibus infectorum caute fugiendus, si vero quis ex officio aegrotis adesse cogatur, monitum *celeberrimi Dobrizenski Professoris Pragensis* diligenter observet, salivamque nunquam deglutiat, sed exspuat, quod etiam intelligendum de iis rebus, quae ad praeservationem in ore masticantur, quae nunquam deglutienda; facile enim aër infectus se salivae in ore commiscet unde observatur venenum vires suas in ventriculo praecipue exserere, prout praedictus Auctor in suo tractatu de hac re annotat. Nunquam etiam jejuno ventriculo is tempore pestis egredi debet, qui suae studet sanitati, fermentum enim ventriculi, tunc temporis sopitum quasi jacet, & aciditate sua, ut alias fit, venenum destruere, & mutare non potest.

XXI. Quantum ad animi pathemata, tranquilla debent esse omnia, praecipue contra metum, terrorem & pavorem firmandus est animus, qui si erectus sit, & imperterritus, medicinae loco est, melancholicae imaginationes musica, vel poculo hilaritatis abigendae; experientia enim testatur pusillanimes, & meticulosos citius peste corripi, quam qui cordate Dei voluntati sese subjiciunt, fiduciam suam primo in Deum, postea in Medicum ejusque praescripta medicamenta firmiter ponunt, & interdum ad recreationem corporis, & animi, hilarem transigunt horulam.

XXII, Corpus etiam ab omnibus impuritatibus liberandum, liberumque servsndum; vitiosi humores, si copiosius adfuerint, in tempore lenitivo aliquo medicamento ex primis viis, & corpore deturbandi; non autem quaevis vetula, vel agyrta a consiliis sit, quamquam facile, vel stercore passerculorum, muscerda vel antimonio aut euphorbio alvum citare possint; sed prudens hac in re Medicus est consulendus; nec generalis hac in re regula praescribi potest, quia mutatis circumstantiis ipsa etiam medicamenta mutanda; purgantia autem fortiora plane exulent, movendo enim & agitando humores, texturamque sanguinis laxando veneno januam magis aperiunt. Sufficere itaque possunt pilulae aloëticae, vel pestilentiales Ruffii, vel vinum aloëticum &c. ut alvus semper sui memor retineatur.

XXIII. Vomitoria nunquam sine prudentis Medici consilio tali tempore in usum vocanda: quando autem tempestive, & justa dosi, ad vomitum propensis, & facilibus, iisque quibus stomachus multa materia pituitosa, & viscida infarctus,

exhi-

exhibentur, multum commodi afferre, & saepe periculosissimos morbos averte-re, vel in primis incunabulis jugulare possunt; & vix tutiora dantur tartaro emetico Mynsichti, vitriolo albo, vel aliquo alio emetico diaphoretico ex antimonio

XXIV. Venaesectio plane proscribenda, nisi in valde assuetis maximeque plethoricis, de qua vide inferius.

XXV. Reliquarum etiam purgationum corporis per haemorrhoides, menstrua, &c. fluxus, quibusdam consuetus, omnino procurandus, ne retentis iis sanguinis legitima dispositio mutetur.

XXVI. Quoniam venenum ut plurimum se primo lymphae insinuat, ibique etiam diu latere potest; in praeservatione maxima laus fontanellis debetur, praesertim in hodierna peste, ut experientia testatur. Notat enim Medicus quidam Viennensis, per tales fonticulos in peste affectis statim maximam nigrantis, ac foetidae materiae copiam affluxisse; & plurimam partem eorum, qui talibus instructi erant evasisse: imo praedictus Auctor sui, & amicorum suorum conservationem maximam partem adscribit, non quidem fonticulis, sed aliquali eorum succedaneo, dum scribit se in utroque inguine incisione facta emissarium parasse, quae cutis crassitiem paulo excederet, transversi digiti tantum longitudine illi postmodum turundam indidisse, ne vulnus coalesceret: & eo pacto perpetuo seri effluxui occasionem praebuisse, cujus exitum in illo ut & caeteris uberiorem semper fuisse, quo tempore major infectorum numerus occurreret; hocque auxilium adeo proficuum fuisse, ut ne unus quidem eorum peste correptus fuerit. Itaque & praecipue cavendum eo tempore a fonticulorum occlusione, quae etiam de aliorum ulcerum rheumaticorum, maxime in femoribus, & partibus inferioribus curatione intelligendum; ut plurimum enim illos, qui talibus, & similibus ulceribus affligebantur, in aliis pestis temporibus evasisse testantur multi celeberrimi Auctores. Alia est ratio cum foedis illis ulceribus a lue venerea prognatis, quibuscum pestis se aliquando facilius conjungit.

XXVII. Quia autem neque haec sufficienter nos praeservare possunt, ad specifica confugiendum; talia autem duplicis generis constitui possunt: scilicet, quae tales continent particulas, quae poros materiae hoc venenum generantis facile ingredi, mutare ac diffringerere valent; si enim huic materiae pori ad motum & figuram suam accommodati non amplius supersint, facile destruetur, & dissipabitur, quia multo majori copia talis materia reperitur, ubi liberius movetur, & poros ad suam figuram efformatos offendit, ut videre est in magnete, circa quem & in quo semper major invenitur copia materiae striatae, quam alibi, quia poros habet motui, & figurae suae valde accommodatos; si autem pori ejus mutantur, sponte illa materia striata recedit, & vis ejus perit. Secundo, tales in se habent poros, & meatus, in quos materia illa subtilis pestilentialis facile intrare non item egredi potest, sed ibidem vel mutari vel cum particulis istis inviscantibus praecipitari debet. His addi possunt, quae sanguinem leniter agitant, motumque particularum minimarum in sanguine ita augent, ut qua data porta per corporis poros eliminentur, sanguinique optima textura conservetur. Et his venenum sive sit in- sive extra corpus tolli posse nullus dubito. Sunt autem, vel interna, vel externa.

XXXIIX. Ex internis in prima acie stant acida blanda, acutis enim, & scindentibus suis particulis facile se in tales poros ingerere, spatiolaque talia mutare possunt, quanquam & alio etiam prosint respectu, quatenus scilicet sanguinis compagem arctiorem reddunt, ut postea resolutioni non tam obnoxius sit; quatenus item fermentum ventriculi roborant, acidum enim blandum naturae ejus valde amicum. Et in his maximam poni posse confidentiam, ratio, ut dixi, suadet, &

experientia testatur. Vinum autem quia tale blandum, & naturae nostrae amicum subtile continet acidum vix ulli cedit alii. Hoc solo se praeservavit *Sayerus Medicus ille Anglus*. Etiam *excellentissimus atque experientissimus Dn. D. Waldschmidt*. Praeceptor meus nunquam non venerandus in peste Hanoviensi haustulo vini generosi recens ex cella allati atque ante visitationem aegrorum assumti sanum, & incolumem se servavit. Cui compositum magis placet praesto habeat vinum citratum, camphoratum, enulatum vel infusum, absinthii, cardui-bened. rad. angelic. zedoar. Tale acidum blandum, & amicum etiam possident poma citrea, & aurea, hinc in hodierna peste tanto cum successu usurpantur, & omnia quae ex iis fiunt, ut morsuli, ex succo & corticibus citri, sirupus ex toto citro, &c.

XXIX. His succedit vini acetum, tum simplex; qua se praeservavit clarissim. *Sylvius*, ut ipse testatur. *Ego sane*, inquit, *ante novennium quum quotidie plures visitarem aegros peste infectos, praecautionis loco aliud non sumsi medicamentum, quam vulgaris aceti vini cochleare unum, mica panis exceptum, & quidem mane, antequam inviserem aegros; id remedii genus usurpavi per octo menses continuos, nec unquam minimam percepi toto illo tempore ab infectione noxam*. Tum compositum, cujus variae hinc inde prostant descriptiones, & nomina: celebre est illud *Uratislaviensium Physicorum in Consilio Medico de peste* descriptum, vel illud theriacale *Timaei à Guldenklee*, cui addi possunt extract. rad. carlinae, card. bened. centaur. min. flor. stoech. &c. Vel simplicius multo fieri potest, si recipiantur rutae recent. m.iiij. scord. m.ij. conscissis affundantur spirit. vini optimi lib. ij. addantur duo, vel plura poma citria in frustra dissecta; & erit optimum medicamentum, quo se cum multis centenis hominibus praeservavit *in Polonia celebris quidam Medicus*, in diversis pestis temporibus. Ex his & similibus acetis saepe cochleare unum, vel alterum de die assumere convenit. Verum quidem est non omnibus in horum usu licere perseverare, propter singularem aliquam dispositionem melancholicam dictam, & tunc ab his vel abstinendum, aut aquis quibusdam destillatis simplicibus, aut compositis diluenda, ut aqua rosarum, lavend. rut. cinnamom. buglossata, vel boraginata, &c. Spiritus autem acidi, ut salis aut nitri cum spiritu vini cohobando dulcificandi. Commodum etiam talia aceta aliis multis medicamentis praebere possunt vehiculum, tum ut junctis viribus agant, tum, ut saepius opus est, nimium eorum calorem temperent, prout in theriaca, Mitridatio, &c.

XXX. Quum igitur prae caeteris omnibus ad prophylaxin tempore pestis acida conducant, si accommodato cujusvis naturae modo assumantur, in varia forma exhiberi possunt; si alicui placeant conservae, prostant plurimae, ut rosarum vitriolat. violarum, florum calend. anthos. borag. &c. quibus addendus spiritus aliquis acidus ad gratam aciditatem, ut spiritus salis, nitri, vel sulphuris, aut acetum destillatum; & stomacho jejuno quantitate nucis juglandis assumenda. Ex sirupis exhiberi possunt, ille ex succo berberum, citri, aurantiorum, ribesiorum, granatorum, acetosae, &c. sed melius videtur, si illi succi sacharo ex jusculo, aut vino assumantur; ex talibus succis etiam tabellae parantur. Magni hic aestimanda est aqu. alexiphar. Amstelodamensium, & egregia illa aqua Prophylactica *Sylvii von der Schagen, & Barbette*; quam describit *Sylvius prax. med. lib. 1. cap. 28 §. 31.* Hic etiam minime spernendus usus tum tartari crudi tum cremoris, vel tartari vitriolati; etiam a pluribus varii commendantur spiritus ardentes, aquae vitae, & theriacales, quibus tamen non admodum fidendum puto: adde quod ut plurimum in nimia assumantur quantitate, unde fermentum ventriculi obruitur, & enervatur, ita ut blanda sua aciditate veneno amplius resistere non possit, senibus tamen, & iis qui frigidioris sunt temperamenti, magis prodesse possunt.

XXXI. Quae materiam illam pestilentialem in suis poris invischant, mutant, praecipitant, vel per sudorem, aut diaphoresin ex corpore propellunt, varia etiam sunt, & in variis formis reperiuntur, quia autem major eorum est usus in curatione inferius recensebuntur. Saltem hic notandum, quod fumus nicotianae per fistulam attractus huc pertineat: quo se praeservavit *clar. Diemerbröeck.* in peste Neomagensi.

XXXII. Externe ad odorem maxime commendantur poma citria, & aurea recentia &c. balsama varia hinc inde ab Auctoribus descripta. Cum successu conficiuntur pixidulae sive noduli ex ligno juniperino, vel alio perforati, quibus spongia aceto rutaceo, vel alio bezoardico, aut theriacali, aut balsamo rutae praeservativo, aut oleo pestilentiali *Henisii* intincta inditur; nimium autem suaveolentibus, & pomis ambrae, graveolentibus item non multum fidendum, in medio tutius itur.

XXXIII. Amuleta plane rejicienda non videntur, praecipue illud *Helmontii* ex bufonibus; cujus & similium vis in eo consistere videtur, quod habeant poros ita formatos, ut particulae veneni facile, & libere se in iis movere possint, unde corpus nostrum deserentes eo se conferunt: quicquid enim movetur, eo tendit ubi minimam invenit resistentiam. Aliter tamen plane, & tutius agunt, quae ex variis alexipharmacis componuntur, quale egregium habet *Timaeus a Guldenklee.* Imaginationi etiam his multum tribuendum esse libenter concedo; augetur enim confidentia.

XXXIV. Nunc de curatione etiam pauca addenda. Quum acutissimus sit morbus, qui 24. horis saepissime jugulet, valde maturanda curatio: ergo quando quis tempore pestis ex improviso, cum horrore, & calore per vices mutabili, dolore capitis, vel dorsi, nauseae, vel vomitu, anxietatibus, & subita prostratione virium, animi deliquiis, vel aliis supradictis accidentibus decumbat, non semper anthraces expectandi sunt, aut bubones, vel maculae, nec de urina multum consultandum, aut videndum, quo vergat morbus. sed statim post Deum prudens consulendus Medicus, vel ubi talis haberi non potest, ipse sibi consulat aeger medicamentis praecipue alexipharmacis infra, & in variis de peste consiliis descriptis; quum non tam de hoste arcendo, quam expellendo agatur.

XXXV. Medicus autem statim ab initio vocatus, si ventriculum impuritatibus repletum, aegrum nauseabundum, & ad vomitum facilem inveniat, emeticum aliquod tutum, & non nimis violentum, quod cito suam exerat energiam, & intra bihorium, vel trihorium omnem absolvat operationem, exhibere potest; sive sit ex vitriolo albo, quod in peste Londinensi saepe proficuum fuisse observatum est, aut infuso croci metallorum, quo saepius utebatur *Seyerus*, sive alio aliquo antimoniali, quod sursum tantum operatur. Saepe enim emetico tempestive adhibito non tantum multa symptomata impediri, sed etiam ipse morbus aliquando felicissime averti potest; cujus operatione absoluta, sine mora ad alexipharmaca properandum. Abstinendum tamen ab emeticis, si vomitus jam symptomatice adsit, & nonnisi inanis vomendi conatus observetur, omniaque assumta statim rejiciantur; tunc enim vel ab anthrace, vel acrimonia salium ventriculi orificium vellicantium provenit, quod prius observavit in famulo suo Medicus quidam in peste Dresdensi, cujus cadaver se aperuisse testatur.

XXXVI. A reliquis purgantibus praesertim fortioribus absolute cavendum in curatione; non tantum enim impediunt diaphoresin necessariam, sed venenum, quod in exterioribus adhuc haeret partibus commovent, & cum sanguine commiscent, saepiusque diarrhaeas colliquativas hic valde periculosas excitant. Si vero non respondeat alvus, suppositoriis, vel leni aliquo clystere, blande cienda: in declinatione vero morbi lene aliquod purgans, vel laxativum exhibere convenit ad praecavendas recidivas.

XXXVII. Non minus periculi plena, adeoque plane omittenda est venaesectio; totus enim sanguis, quum in sua mistione turbatus, totus etiam evacuandus esset. Deinde eo ipso venenum, quod extra sanguinem adhuc hospitatur per venas ad cor derivatur: hinc non mirum, si experientia testetur omnes illos, vel plurimam partem periisse, quibus venaesectio celebrata fuit: ut annotavit *Paraeus* in peste per totam Galliam grassante, *Diemerbröeck*. in peste Noviomagensi: *Hodges* in Londinensi, *Guil. Fabricius* in Lausannensi, *Anthonius Saracenus* in Genevensi, & nuper *D. Sorbait* in Viennensi. Dari tamen posse casum, qui non tantum admitti debet, sed etiam necessaria est, non nego. Scarificationes & hirundines, quia ejusdem sunt generis, nihil fere commodi afferre possunt, quanquam tantundem periculi ac venaesectio non importent. Quia tamen inaniter cruciantur & torquentur aegri, consultius est abstinere, ut & a cucurbitulis sine scarificatione, nam affluxui materiae locum dant.

XXXIIX. Aliter autem de vesicatoriis judicandum censeo; effectus enim non exigui in peste comperti sunt, multum enim materiae acris ex corpore educunt, & ab interioribus partibus derivant, dum exeundi commodiorem ipsi praeparant & aperiunt viam, & in nucha, brachiis, femoribus, suris, praecipue autem parum sub bubonibus applicari possunt, & optime ex cantharidibus parantur: cavendum tamen, ne talibus applicentur, quibus circa vesicam & urinam non integra res est, neque iis, qui haemorrhagiis subjecti, neque praegnantibus aut nimium debilibus; saepius etiam sunt renovanda, & emplastro de meliloto, vel alio insperso pulvere de cantharidibus recentia servanda; ab inflammatione autem foliis brassicae praeservanda.

XXXIX. Expertissima autem & securissima omnium sunt alexipharmaca & sudorifera, quae totum hoc arduum negocium absolvunt, & ad quae tanquam ad sacram anchoram recurrendum, quamprimum unum vel alterum apparet signum; veneni enim jam in corpore admissi vix alius enervandi, aut expellendi superest modus: exhibenda ergo sunt, quamprimum possibile, aut si vomitorium praemittitur, si non cum eo quod valde conveniens, tamen statim absoluta ejus operatione, & quidem in majore dosi quam alias; & quia semper virium maxima est habenda ratio, semper a cardiacis confortativis concomitentur. Cordialia autem imprimis acida sunt eligenda propter rationes supradictas. Celeberrimus *D. Margraffius Leidensis Practicus*, se plurimas in peste Leidensi ab hac lue liberasse ipse mihi testatus est, & quidem sequenti modo. *℞. vini Rhenani* pintam unam, *ther. veteris ad minimum 7. annorum* unc. j. *sal. card. bened.* scrup. ij. m. stent per noctem, & aeger in lecto ad sudorem compositus sumat cochl. iij. & sudet, post horas duas iterum iij. conchlear. & ita assumtionem & sudorem continuet per diem integrum. Inter sudorifera saepius experta maxime praeeminent: theriac. Androm. coelestis, Mitridatium, diascordium, orvietanum, antidotus Matthioli, elect. prophylacticon Timaei, elect. de ovo & similia. Pulveres igitur bezoard. varii, elixiria, extracta, essentiae, tincturae legitimis menstruis paratae. Inter magis simplicia cōmendātur a primariis terrae pingues, aut sigillatae, bolus armena, terra lemnia, turcica, silesiaca, &c. Ex vegetabilibus rad. contrajerv. angel. petasitidis, dictamni, pimpinell. &c. Herb. card. bened. scord. scabiosae, rutae, absinthii, &c. Baccae juniperi, sambuci, ebuli, & ex his paratum rob. &c. Lignum juniperinum, quercinum, &c. aloës, myrrha. Ex animalibus lapis bezoar, qui tamen famam non semper sustinet, qui ut plurimum supposititius est, cor. cer. unicornu, troch. viperarum, &c. Ex mineralibus stibium diaphoret. bezoardicum minerale, &c. ut taceam de aliis plurimis, de quibus ipsi Auctores videri possunt. Saltem notandum volo farraginem medicamentorum non minus, quam ipsam pestem fugiendam esse, quanquam interim non uni soli medicamento adhaerendum, sed & forma, & materia

mutan-

mutanda saepius, ne natura tandem illis assuescat, & pharmacum medicamenti naturam exuat. Consueta enim minus movent.

XL. Cordialia autem confortativa, quae his adjungi possunt & debent, sunt confect. alkermes, de hyacintho, aq. cord. Saxon. frig. & temperata; aq. contra febr. malign. cor. cer. citrata, cinnamomi buglossata, cydoniata, essentia citri saccharata. Sirupus de acetositate citri, succus citri recens expr. vel rubi idaei, perlae praeparatae, nitrum perlatum, spiritus sulphuris, pulvis cordialis praetiosus, &c. ex quibus variae concinnari possunt formulae.

XLI. Quanquam maxima pars symptomatum morbo rite curato, tandem sponte desinant, tamen paucula tantum brevissime addere libet de urgentioribus, quae nonnunquam ipso morbo molestiora, & periculosiora videntur. In dolore capitis, & deliriis epithema ex aq. betonicae aut rosarum, cum aceto sambucino, aut calendulae & opio paratum, saepiusque renovatum tepide fronti ac temporibus applicatum conducet, aut columbae, & gallinae vivae dissectae capiti capillis liberato imponuntur. Aliis plantis pedum in forma cataplasmatis ex fermento, ruta, sale, sapone Veneto, vel raphano cum sale & aceto rutaceo mista applicant. Hic valde etiam laudantur vesicatoria in nucha praecipue applicata. Vigiliae statim ab initio non sunt arcendae, quia magis ad necessariam diaphoresin faciunt: tandem tamen externe dissectis columbis & gallinis pedibus applicatis demulcendae; ubi si opus sit, opiata rite parata in parva dosi cum appropriatis praecipue volatilibus juncta, magnum praestant commodum. Sopores autem periculosi valde sunt, unde omni conatu aegri a somno arcendi allocutionibus vel acidis acribus volatilibus naribus oblatis, aut aliis mediis. Si confortantibus & cordiacis opus sit, praeter supra dicta, confectio cordialis Rodolphi II. Imp. a D. Sorbait descripta cum vino malv. vel supra dictis aquis saepius assumi potest.

XLII. Sitis, & ariditas linguae, quae magis molesta, quam periculosa, spiritibus acidis, ut salis, nitri, sulphuris, vitrioli, &c. potui ordinario inditis, nitro item antimoniato, lapidae prunellae, vel aliis succis acidis assumtis diminui potest. Nausea & vomitus si ab anthrace, vel inflammatione talis ventriculi orti, omnia fere in cassum adhibentur; alias vel acidis, sed paulo magis austeris, aut quandoque opiatis theriaca, diascord. compescuntur. Diarrhoeae & dysenteriae, quae periculosissimae & plerumque lethales sunt sudoriferis adstringentibus prospiciendum, ut bolo Orient. praepar. terra sigillata, tinctura terr. catechu, &c. Haemorrhagiae quanquam aliquando criticae existant, nunquam tamen securi esse debemus, & semper ne invalescant vigilandum, citissime enim quandoque interficiunt.

XLIII. Communissima symptomata sunt maculae, bubones, & anthraces. Maculae superato veneno pestilentiali non magnam requirunt curam. Bubones vero a chyrurgis attendendi, & variae dantur species, nec omnes ad maturitatem deduci possunt; qui mobiles sunt facilius quidem discutiuntur, sed tutius videtur illos cucurbitulis, seu ventosis fixos reddere & ad suppurationem deducere. Curantur autem, ut reliqui glandularum tumores, additis tamen semper antipestilentialibus, ut theriaca, Mitridatio, caepis, allio, &c. Instar omnium esse potest vel emplastrum *D. Hodges*, vel magneticum, vel maturativum *Uratislaviensium Physicorum*, quae in consilio medico descripta sunt. Quamprimum autem paululum mollescit tumor, non enim semper ruptio spontanea exspectanda, phlebotomo aperiendus & mundificandus balsamo sulphuris terebinthinato, vel anisato una cum unguento basiliconis & theriaca, non autem consolidandus, quod tamen tandem fieri potest vel praedicto balsamo & superimposito emplastro diapompholygos, aut solum praelaudatis emplastris. Carbunculi, qui multo periculosiores sunt bubonibus curantur primo impediendo, ne ulterius serpant, quod optime fit butyro anti-

antimonii, si linea circa carbunculum ducatur, quo ipso etiam fit separatio eschatrae & partium corruptarum, quae pro secundo necessaria est. Alii ad ferrum & ignem confugiunt, quod non improbandum, si modo peritus adsit chyrurgus. Mundificantur postea supra dictis, & tandem ut reliqua ulcera consolidantur. Pauca haec nunc sufficiant, plura desideranti Auctores citati forsan satisfacere possunt. Interim DEO sit laus & gloria.

DISPUTATIO XIV.
DE MANIA,
RESPONDENTE
LUDOVICO GOTHOFREDO BUELIO, Marpurgensi
J. N. J.
PRAELOQUIUM.

QUam accurate hodierni medicinae Antistites actiones nostras corporeas, quas automaticas vocant, juxta regulas, motus & leges mechanicas, neglectis tot scholarum non entibus artificiosissimam illam corporis humani structuram cum aliis arte & industria compositis machinis comparantes explicare sciant, impraesentiarum ruminare instituti non est. Hoc saltem depraedico, quod non solum ex tam clara & distincta operationum corporearum expositione summi Conditoris sapientia & omnipotentia, verum etiam ipsius hominis prae reliquis creaturis & arte factis excellentia & praestantia eo magis elucescat, quo minus una ex tot machinis singulari etiam humana diligentia compositis, horologio nostro tum nobilitate, tum admiranda structura, & adeo amicabili organorum, & indefinitarum particularum insensibilium conspiratione aequiparari possit insigniter sane hydraulico pneumatica illa brutorum organa caput extollunt; sed quid sunt comparata cum homine? praeprimis quum humani corporis substantia quaedam omnium nobilissima, MENS nimirum, qua bruta carere ex certioribus philosophiae fundamentis hactenus evictum est, arctissimo foedere sit juncta, quae ob *mutuum commercium* illud ipsum eo magis nobilitat, adeo ut homo θαῦμα θαυμάτων appellari mereatur. Verum heu! quantum non huic corporis humani perfectioni decedere experimur, quando tot horrendis morborum insultibus adeo concutitur, ut tantum absit, ut solum huic miseriae subjiciatur, quin potius ipsa etiam Mens ex lege conjunctionis variis, iisque gravioribus passionibus non raro obstruatur, ut ratiocinio impedito hominem brutescere cernas. Evidentissimum hujus rei testimonium praebet gravissimus ille affectus MANIA, cujus ventilationem pro tenui ingenioli modulo paucis prosequi animus est. *Deus annue coeptis!*

I. Saltum in frontispicio in alienam messem nauseabunda nominis investigatione committere nolo, adeoque Lexicographis otiosisque Grammaticis sua exercitia relinquo, ea quae ipsum affectum spectent propositurus. Sufficit itaque mihi impraesentiarum scire illum MANIA laborare, & MANIACUM recte vocari, qui sine febri cum furore & audacia delirat, absurdas actiones edit, obvios immanis bestiae instar invadit, vulnerat, occidit, mox iterum mansuetum sese gerit, intensissimum frigus, jejunia, verbera, & vulnera sine noxa sensibili perfert, immani robore pollet, capitis gravitatem patitur, noctes trahit insomnes, & si quae sunt alia,

II. Ad propositorum φαινομένων cognitionem eo felicius assequendam, non abs re erit gradum paulo sistere, & ex ea medicinae parte, quae de natura hominis

minis agit, quaedam depromere: ergo consideretur, velim, hominem ex duabus substantiis, ut in praefatione jam mentio facta est, toto coelo a se invicem distantibus esse compositum, *una immateriali*, MENTE, altera *materiali*, & *extensa*, quam CORPUS ORGANICUM appellamus.

III. Quamvis autem hae substantiae realissime a se invicem sint distinctae, firmissimam tamen inter se *copulam* habent & *nexum*, qui mutuo commercio, sive reciprocis actionibus & passionibus absolvitur: videlicet, quando certas cogitationes in mente intercurrentibus spiritibus animalibus sequuntur certi motus in corpore, ipsaque omnibus organis rite dispositis hunc vel illum motum imperando in corpus agit, & hoc ab ea patitur; & vicissim pro certis motibus in corporis horologio excitatis certas cogitationes concipit MENS, eaque ab illo patitur.

IV. Clarius haec patebunt, quando etiam MENTIS in suo corpore *metropolin* consideraverimus, quae etsi sit juncta toti corpori, est tamen pars quaedam in cerebro, in qua specialius suas exercet functiones, quam in caeteris omnibus, quae est certa quaedam GLANDULA ab Anatomicis ob figuram PINEALIS alias CONARION appellata, prout hoc fusius demonstrat *Cartesius in tractatu de passionibus animae*. Sita est, ut aliquoties vidi in sectionibus a Dn. PRAESIDE hac hyeme juxta methodum recentiorum Anatomicorum exercitii gratia administratis, inter protuberantias cerebri in meditullii cavitate existentes ad processus istius anus vocati foramen, plexu choroidei undiquaque cincta, ut ipsis spiritibus innatare videatur: in apice plane libera est, in basi vero funiculis, & fibris motricibus donata, pro varia ejus inclinatione; illa itaque est, qua mediante MENS suam voluntatem & imperium thesi praecedenti descriptum in corpus exercet, dum vario modo eam inclinando varie spiritus determinat, ut nunc hos aperiant nervorum tubulos, nunc illos, pro alio atque alio motu promovendo, & vicissim illius ope MENS motus corpori illatos per certam spirituum animalium radiationem percepit, unde occasionem nanciscitur varias percipiendi ideas, & nectendi cogitationes, videatur *disputatio de gland. Pineali st. n. & p. n.*

V. Glandula ista *sensorium* est *commune & imaginationis* praecipuum *organum*, quae quam diu MENTIS imperio subjacet, tamdiu cogitationes suas cohibere, illas ad aliud objectum applicare, & ideas attendere potest: illa quoque mediante anima species diu recondita in scenam denuo introducit & objecta absentia veluti praesentia contemplatur; spiritus enim animales incidentes in cerebri *plicas*, & *vestigia* olim impressa ab illis novam nanciscuntur cursus formam, & per glandulam fluentes pristino more eam inclinant, hinc MEMORIA, & REMINISCENTIA.

VI. Sunt autem isti spiritus, quorum hactenus ut mutui corporis & animae commercii internunciorum mentionem fecimus; nihil aliud, quam subtilissimae sanguinis arteriosi portiones a crassioribus in cerebro segregatae, ut valde mobiles & agiles existant, atque munus a *glandula pineali* injunctum celerrime tenuissimae aurae instar exequi valeant, hunc in modum generati.

VII. Sanguis in cordis thalamis rarefactus & accensus in arteriam aortam propellitur, per cujus ramos ascendentem, & descendentem versus omnes corporis plagas ablegatur, crassior & minus agitata pars inferius, vividior & magis agitatus sursum & versus caput fertur, ubi mobiliores denuo per tot filamentorum foraminula plexus choroides reliquis vel propter crassitiem, vel figurae irregularitatem exclusis cribratae, subtilis flammae vel aurae sensuum testimonium eludendis fiunt aemulae, quemadmodum sectio venae spongia cucurbitae applicata flammeus redditur, quae corpuscula sub nomine SPIRITUS ANIMALIS veniunt, uti pluribus hoc videre est in *Collegii publici disp. III.* Postquam igitur hoc modo particulae istae spirituosae per plexum choroides sunt transcolatae, in cerebri

rebri ventriculis in aequilibrio & indifferentia positi GLANDULAE determinationem expectant.

IIX. Quamdiu nunc microcosmi Oceanus sanguis blando motu & tranquillo in orbem ita incedit, vasorumque ripas sine tumultu & concussione lambit, tamdiu hi spiritus ex voto generantur, & in indifferentia positi in ventriculis cerebri reservantur, actiones animales integerrime perennantur, & MENS sua tranquillitate gaudens, accuratissimum exercet ratiocinium: quod si accidat, ut mare hoc tot rivulis σωτηρίοις in statu naturali scaturiens mistione & motu peccet & fermentationis naturalis sphaeram excedat, admirabile dictu est, quantae tunc tempestates, eaeque gravissimae exsurgant rivulos istos placidissime alias per venarum & arteriarum canales distributos valde inflantes, quae turgefactae, dum

Una Eurusque Notusque ruunt, creberque porcellis
Africus & vastos volvunt ad littora fluctus.

irreparabilia fere damna & calamitates oeconomiae animali inferre solent; posito enim hoc sanguine tumultuante, & motus terminos excedente, plexusque choroidei poros in illo impetu plus solito aperiente, spiritus copiosi & simul crassi cerebri ventriculos occupant, indifferentiam tollunt, quaquaversum ruunt; corpora enim majora semel mota diutius illum motum conservant, quam minora, qui tunc impetuosius GLANDULAM secum rapientes miserrime MENTEM decipiunt, & nescio quorum motuum insuetorum Auctores existunt.

IX. Occasione ex dictis data haud difficile erit, quo pacto SOMNUS & VIGILIAE inducantur investigasse, siquidem procul dubio tunc sumus in statu vigiliarum, dum spiritus animales legitime generati debito vigore & alacritate in cerebro hospitantur, atque totius systematis nervosi filamenta una cum toto cerebro non aliter ac ventus navium vela inflant, ut non solum a GLANDULA facile determinari, verum etiam objectorum motus ad eam deferri possint: quod si inhibeatur frequens irradiatio, & vegetus spirituum in cerebri & nervorum poros influxus, ut tubuli laxati subsideant, obrepit somnus, unde membrorum motus sistitur, musculi fiunt flaccidi, palpebrae concidunt, caput nutat, atque propter spiritus torpidos motus impressos ad commune sensorium transferre nescientes sensus quoque sopiuntur.

X. Notandum praeterea IRAM sese exerere, quando forsan MENS contumelia gravi afflicta vindictam meditatur, atque sic circa vestigium illud rarum detenta illa cogitatione SENSORII COMMUNIS statum mutat, cujus nutu spiritus ex cerebro per nervorum tubulos in ea corporis membra vindictae executione inservientia determinantur, unde motus iram comitantes, artuum tremor, stridor dentium, & alii excitantur. Eam autem potissimum IRAM hic intelligo, quae cum superbia, & in propriis viribus fiducia conjuncta est. *vid. Cartes. de passion. animae.*

XI. Tandem observatu dignum erit, communicari ab aethere corporibus sublunaribus *materiam* quandam mobilissimam, fluidissimam, omnium corporum poros, & interstitia insensibilia etiam cujuscunque sint figurae, & magnitudinis pro temporum diversitate, nunc parcius, nunc copiosius permeantem, ab HIPPOCRATE *aetheream*, a CARTESIO *subtilem* appellari, quam omnium motuum, fermentationum, effervescentiarum & alterationum Auctorem possumus appellare, videatur Dn. PRAESIDIS *Colleg. publ. disp. 2. nec non Coll. practic. disp. 1.*

XII. His nunc ita praesuppositis tota res erit in vado: offert se in MANIACO *delirium cum furore, & audacia*. Caussa in eo consistere videtur, quoniam sanguis Maniacorum crassus, sed valde fermentabilis est, quoties itaque a quacunque id fiat caussa, de quibus inferius, plus solito, & impetuosius movetur, ejus portio quaedam ex irregularibus constans maximam partem, partibus cum impetu versus

sus cerebrum abripitur, atque arteriolarum poros plexus choroidei plus solito aperit, quo ipso multis insolitis, & irregularibus particulis egredientibus in ventriculos cerebri placidus spirituum motus una cum indifferentia plane aufertur; qui quum ob crassitiem majori vi quaqua versum feruntur atque in poros quoscunque ruunt, GLANDULAE determinationem sibi solis vindicant, & fulminis instar in cerebrum, & musculos influentes GLANDULAM mentis imperio plane subducunt, quae ab effrenis illis spiritibus elusa, omnique in corpus imperio defraudata attentionum suarum habenam amplius dirigere nescit, unde tot incompositi gestus, incongrui sermones, pugnae, rixae, gesticulationes, saltationes, & hujus farinae plures inordinati motus cientur, omniaque tumultuarie peraguntur; non secus.

Ac si carceribus sese effudere quadrigae
Addunt se in spatium, & frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

XIII. Tantum igitur abest, ut GLANDULA PINEALIS istiusmodi spiritibus cincta tranquillitate frui possit, ut potius petulanter instar campanulae huc, & illuc impulsa, in varia deliria MENTEM praecipitet, atque gravibus passionibus subjiciat; nam dum spiritus libere, ut in thesi praecedenti dictum, per cerebrum vagantur in varia vestigia olim impressa incidunt, aliamque cursus formam ab iis mutuantur, quam spiritus per poros GLANDULAE fluentes illico imitantur. Sicque per poros GLANDULAE abripiendo occasionem dant MENTI, ut sine legitima connexione concipiat cogitationes; quod si istae species a spiritibus MENTI oblatae sint delectabiles, & jucundae, sequuntur vi conjunctionis gaudii, & laetitiae effectus, cantus, jubilationes, jocosi sermones, gloriationes, ac si essent Reges, quare adstantibus negocia imperant, atque mandatorum executionem postulant; quod si spiritus repetant vestigia irae, vel vindictae, suaque reflexione MENTI tales quoque ideas repraesentent, proferuntur etiam motus irae communes, vestium dilacerationes, minae, pugnae, stridor dentium, facies torvum videns.

XIV. Ut plurimum autem loqui amant de illis objectis, quae adstantibus, vel rara, vel nova videntur, utpote de incendiis, inundationibus, praeliis, latrociniis, & aliis; ratio: quoniam illa ut plurimum solemus admirari, & diutius cogitatione nostra, dum de iis audimus, circa haec detineri; hinc profundius, & distinctius in cerebro delineantur, nec tam facile extirpantur, quorum vestigia quum jam spiritus facilius percurrant, quam aliorum, simile periculum ipsis imminere credunt MANIACI: MENS itaque omnia aequa examinis lance non perpendens neque attendens, quod ideae non sint ab objectis externis, sed a vestigiis cerebro olim impressis in hoc trahitur praecipitium; similes fere effectus dulce merum in ebriis parit, quando spiritus sui juris facti modo hos modo illos motus glandulae inferunt, ubi tunc

Navita de ventis: de tauris narrat arator:
Enumerat miles vulnera: pastor oves.

Melancholicis quoque varias easque horrendas spirituum a cerebri vestigiis suscepta cursus forma imagines offert, dum quidam putant se videre *Diabolum*, quod hoc modo fieri potest, si hoc momento spirituum determinatio fiat eo modo quo fieri solebat, quum cornua tauri repraesentarent glandulae, altero quo faciem hominis, mox vero idea pectoris cum ventre leonis, pedum capri, caudae draconis offeratur, tunc Mens omnia haec simul, quae per cogitandi celeritatem connectebantur, uno conceptu cogitans, se *Diabolum* videre judicat; alii vero aliud quid sibi imaginantur, vel quod *serpentes, ranas, &c.* in ventre habeant, quod *asini* sint, *cuculi, &c.* quorum animalium voces non raro imitari conantur, cujus stupendi

phaenomeni caussam *de La Forge* eleganter explicat.

XV. Accedit, quod Mens immorigeris illis spiritibus impetuose super GLANDULAM radiantibus in eo quoque miserrime decipiatur, ut juxta consuetudinem judicans hujus, vel istius objecti praesentiam statim sibi persuadet, unde denuo nova incompositorum gestuum cohors se manifestat, quando nempe motus hujus, vel illius objecti praesentiam comitantes ab alia caussa in spiritibus cientur, tunc mens consueta judicans circumstantias amplius non attendit, quod quoque observatur in *ictero*, ubi Mens omnes cibos amaros esse credit, non quod amaritudo illa ipsis insit cibis, sed quia tunc temporis idem motus a spiritibus GLANDULAE offertur, qualis alias a cibis amaris produci solet; sic ob eandem rationem *incumbo* vexati, quasi grave pondus thoraci incumberet, persuasum habent: hinc saepius fit, ut adstantes MANIACORUM actiones a caussa supernaturali proficisci credant, & nescio in quam admirationem abripiantur. Plura vide in *Collegio practico in casus Timaei*.

XVI. Ex quibus nunc pro ratione instituti satis elucere arbitror, quae ratio sit, quod MANIAM, gravia deliria atque tot incongruae actiones comitentur, inquirendum autem quare nulla FEBRIS observetur: ubi notandum ad effervescentiam febrilem requiri turbationem mistionis particularum massam sanguineam constituentium, qui ordo quum in Maniacis nondum sit inversus, & sanguis saltem motu peccet, febris exulat, demonstrante hoc Dn. PRAESIDE *in Collegio practici disputationibus de febribus*. Unde nunc MANIA a reliquis delirii speciebus distinguitur, PHRENITIDE, & MELANCHOLIA, *haec est delirium sine febre cum moerore, & tristitia*, illa *delirium cum febre, & furore*. MANIA autem recte definitur, *quod sit delirium cum furore, sed sine febri*.

XVII. Progrediendum nunc ad explicanda phaenomena: incredibili robore MANIACUS pollet, vincula cum catenis rumpens, moenia & fores effringens, procul dubio ob vehementissimum spirituum in musculos effluxum, qui quum valde crassi sint, non tam facile dissipantur, atque in auras abeunt, sed intra corpus retinentur, vires sartas tectasque conservantes; & haec est ratio, quare MANIACI non delassentur, etiamsi debaccando, aut eluctando plures dies & noctes insomnes agant & continuo membra exerceant.

XIIX. Intensissimum insuper frigus, quamvis denudati incedant, jejunia, verbera & vulnera sine noxa sensibili tolerare possunt, in tantum, ut saepius rationibus physicis relictis ad incantationem confugere videas Medicos, quasi vero non manifestae satis in promtu sint caussae: deficit ergo sensus (1) quoniam impressiones foris factae obstante nimia spirituum commotione ad commune sensorium non deferuntur: (2) quum MENS ab internis nimium sit vexata, foris advenientibus auscultare nequit, quod illi testantur, qui profundis meditationibus dediti campanae sonitum vel alterius verba eos alloquentis non audiunt.

XIX. Propter poros cerebri a sanguinis & spirituum ferocia valde dilatatos, atque a crassis particulis occupatos oritur dolor capitis, & quum spiritus animales cerebrum continuo satis fortiter inflent vigiliae contumacissimae. Super haec aliaque phaenomena consuli possunt *lectiones publicae* Dn. PRAESIDIS *in praxin chymiatricam Hartmanni*.

XX. Praemissis & examinatis phaenomenis, restat, ut paucis etiam ipsius affectus *caussa proxima* ventiletur non solum, sed ut *remotae* quoque in scenam introducantur, ubi equidem in varias hactenus in Medicorum scholis itum fuit sententias, quas tamen omnes sub examen revocare animus in praesentiarum non est, sufficiat, si eam saltem, quae prae aliis plausibilior videtur, attigero, dum nempe igneam spirituum accensionem a calida cordis & cerebri intemperie cum maligna quadam conjuncta qualitate productam accusant; verum quum ipsi nesciant

sciant indicare, in quo illa spirituum accensio consistat, nec non calidae viscerum intemperies non entibus jam pridem sint annumeratae, quid? quod etiam nulla ratione ostendi possit, quo pacto MANIA per hanc caussam sit explicanda, eam ceu insufficientem rejicimus, ex superioribus abunde edocti, MANIAM proxime oriri a spiritibus animalibus valde irregularibus, summe agitatis & crassioribus, ex sanguine motus ordinarii terminos transiliente generatis.

XXI. Sanguinem autem in inordinatum illum motum facile abripi posse, vel inde liquet, quoniam in subjectis Maniacis ut plurimum deprehenditur *Melancholicus* hoc est multis particulis fixis praegnans, cui si fermentum aliquod acidum, volatile tamen confundatur, facile turgescere incipit, fit hoc, quando a sanguinis & humorum viscida, glutinosa, crassa, vel alia quadam intemperie tubulus unus vel alter in parte aliqua solida obstruitur, qua posita partes a tergo insequentes, & ad illum tubulum obseratum alluentes, ulterioris progressus nesciae restagnant, atque sepimentum juxta se constituunt, quo facto ipsum fermentum motu particularum progressivo intestinum verso paulatim exoritur: quod si nunc quoad *caussas remotas* certa quaedam materia subtilis ab astris in haec inferiora spargatur, poros hujus fermenti collecti undiquaque penetrans, illud ipsum secum rapit, atque e tubulo excutit, quod mediantibus humoribus circulantibus per vasa lymphatica sanguini communicatum tales inordinationes in oeconomia animali excitare potest, conferatur citatum *Collegium in Timaeum*.

XXII. *Res aliae nō naturales* quoque inter *caussas remotas* locū sibi vendicant, & saepius viam ad MANIAM sternere solent, *aër* videlicet *impurus & vernalis*, unde MAGNUS HIPPOCRATES *sect.* 3. *aphor.* 20. dicit: *Vere fiunt insaniae: nimia & frequens vini generosi ingurgitatio, corporis exercitia vehementiora, animi pathemata, ira* inprimis, quae in se brevis furor dicitur, quatenus melancholiam cumulant, sanguinem valde commovent, spirituumque furorem augent, vel fermentum olim collectum ex tubulo expellunt.

XXIII. Quibus ita enucleatis SIGNA quoque contemplanda veniunt. *Diagnostica* ex attenta phaenomenon consideratione patent: quantum ad *prognostica*: affectus propter nobilissimam partem affectam est gravissimus, & saepius incurabilis eoque pejor evadit, si sensorium ab illo spirituum impetu sine lege moveatur & in tantum vexetur, ut fibrillae, quibus suspensum est, rumpantur; sic enim nullam in ratiocinio habet connexionem mens, adeoque delirium est perpetuum; interim tamen spes curationis affulget, si symptomata sint mitiora & cum risu conjuncta, quia spiritus facilius in ordinem redigi possunt. HIPPOCRATES *sect.* 2. *aph.* 2. hoc instituit prognosticon: *Ubi delirium somnus sedaverit bonum*; & *sect.* 6. *aph.* 21. *Si insanis varices & haemorrhoides supervenerint, fit solutio morbi.*

XXIV. CURATIONEM paucis subjungere necesse nunc est, quae in eo consistit, ut sanguinis & spirituum motus nimius inhibeatur, quod felicius fiet, si somnus statim concilietur exhibito *laudano liquido*, ubi simul conducet impraegnare aërem particulis ex *opio* emanantibus, *camphoram* accendere, quia hac ratione sanguinis impetus compescitur, & spiritus dissipantur: tempora inungi possunt *unguento popul.* vel *oleo papav.* ipsum *opium* cum *essent. anagallid.* & *hyperic. ad gr. j. vel ij.* praescribi potest, ne ex nimia dosi sopitis fermentationibus mors inducatur. Deinde generosum erit remedium venaesectio, quae in brachio instituenda aliquoties reiterari potest; illa enim pristinus motus & fermentatio sanguini conciliatur, unde RIVERIUS ex PLATERO refert, innumeros illo remedio curatos fuisse a Chirurgis & aliis, qui ex professo hisce morbis curandis operam dabant, qui vigesies, imo sexagesies venas aperiebant.

XXV. VOMITORIA magni quoque sunt facienda, quoniam sanguis eorum usu a partium excrementitiarum infarctu liberatur; conveniunt illa, quae ex *antimonio*,

timonio, vitriolo, & helleboro albo parantur *aquae bened. Rulandi, vitriolum album, tinct. hellebori albi*. Ne sanguinis fermentatio augeatur, *purgantia validiora* exulare debent.

XXVI. Caeterum in sanguinis fermentatione sistenda in usum etiam vocari possunt *lapides pretiosi, spiritus acidi, vitrioli, nitri, & omnia chalybeata*. Pro specifico medicamento in MANIA laudatur *sanguis asininus* retro aures extractus, cujus analogia in eo consistere videtur, quod gaudeat sale volatili, acidum illud volatile destruens, vel etiam sanguinem ad diaphoresin disponens. D. MICHAELIS *in Collegio practico in Jonstonium* illum ita praescribit: ℞. *Linteum sanguine asini justo tempore imbutum, pone s.q. aquae anagall. & flo. hyperic. donec aqua tingatur*, quo solo se Maniacum in aula Altenburgensi curasse profitetur. HELMONTIUS *tract. demens idea* submersionem in aqua commendat. Quod si tandem omnia in cassum adhibeantur, *transfusio sanguinis vitulini*, vel *Hominis sani* proponenda est adstantibus & amicis, quae forte efficiet, quod medicina praestare nequit, vide *Mercklini tractat. de transfusione sanguinis*, varia pro & contra suppeditantem argumenta. Plura medicamenta indicationibus satisfacienda exhibet *Hodegus Medicus* D. GIESWEINII.

XXII. Usus sex rerum non naturalium, nec non victus ratio hinc inde apud practicos satis prolixe traditur, ut non opus sit diu illis inhaerere: serio tamen inter alia fugienda esse puto aërem turbidum, cibos fermentativos, carnes salsas & fumo induratas, vini usum frequentem, animi pathemata, & aegros potius blandimentis esse demulcendos, quod edocemur exemplo Sauli Regis Israelitarum, 1. Samuel 8. Atque hic est tener ingenioli de MANIA foetus, Deo pro concessa benedictione gratias ago immortales.

DISPUTATIO XV.

DE STUPENDO AFFECTU, CATALEPSI.

RESPONDENTE

JOHANNE JACOBO MISLERO Giessensi.

§. I. Aetas hodierna, quamvis fere ultima videatur mundi senecta, fervorem tamen plus quam virilem, animumque discendi cupidum ostendit in hoc, dum curiosa, totaq; experimentis dedita, in colligendis quoque observationibus, ac ipsius naturae phaenomenis juxta modernorum solide jacta fundaměta intime rimandis, ac resolvendis occupatissima deprehenditur. Profecto arti medicae exinde tantum accessit augmentum, ut ad summum pene perfectionis fastigium eam nunc pervenisse merito dixeris. Non equidem inficias ire ausim, habuisse & antiquitatem sua tempora, in quibus egregio conatu arcana naturae rimari coeperint: tanta tamen cum difficultate rem hanc a nonnullis actam fuisse Neotericorum nonnemo existimat, ut multos, neglecta sublimiori sapientia, taediosis inanis gloriae captandae gratia institutis altercationibus & tẽpus & bonam mentem perdidisse palam profiteri non erubescat, de quo alius etiam, & summus quidam conqueritur Medicus. Verum enim vero sit fides penes Auctorem, meum non est tale de antiquitate ferre judicium, qui mihi ex veterum lectione plura promitto; legat interim hoc de negocio, qui velit, *Francisci Bayle dissertationem apologeticam*; stat certe in omne seculum, Mundum regi opinionibus, quapropter & ego non potui non in deducendo & explicando rarissimo ac admirando capitis affectu catalepsi Neotericorum insistere vestigiis, cujus veram caussam ex illorum principiis eruere mecum constitui. Quod ut feliciter fiat, benedic conatibus meis benignissime Jesu!

§. II. Nominis quod attinet investigationem, quum Medici jus pro lubitu sumendi verba affectibus imposita, sibi vindicent, circa ejus evolutionem primo in limine ad nauseam usque multa disquirere merito supersedeo, tum quod Lexicographi circa hoc negocium satis prolixi reperiantur, tum etiam quod illis, qui inter medicinae tyrones stipendia faciunt, tritum sit & familiare, quid nomina affectibus humani corporis imposita indigitent: accedit monitum *celeberrimi Renat. Des Cartes princip. part. 1. §. 74.* non debere nos circa verba magis, quam rem versari. Alias verba vim faciunt rebus; & quantum intersit conceptus nostros verbis non alligare, egregie probat Belgii illud decus *Dn. Doct. Heidanus* in celeberrimo tractatu *de origine erroris cap. 2. p. 38.* Itaque ut ego felicius ad veram hujus morbi cognitionem perveniam, methodo analytica phaenomena catalepsin concomitantia recensebo, ac eorundem caussas ad oculum demonstrabo, ut sic tandem & effectus per suas caussas explicari possint.

§. III. Dicimus autem hominem catalepsi correptum quum coeteroquin sanus omnes corporis partes in eo servat situ, in quo irruente insultu illo stupendo detinebantur. Oculi nempe sunt aperti, & velut accuratius quid intuituri unum in locum defixi. Regent palpebrae, pedes ad ambulandum sunt compositi, manus ad excipiendum, vel digito aliquid intendendum exporrectae. Et quis omnes illos situs describet, quos vix pictor penicillo adumbrabit? Statuam vides attonitam, vitalem tamen, quod ex respiratione & pulsu satis apparet: illa enim manet integra; hic sanorum fere similis. Calor ad tactum satis vegetus. Non raro post paroxysmum recordantur omnium, quae ab adstantibus acta fuere.

§. IV. Priusquam ulterius progrediar, operae pretium erit pedem paulisper figere, & ex oeconomia animali quaedam repetere. Notum est hominem ex duabus conflatum esse substantiis, una corporea, seu extensa, & materiali, brutis etiam communi; altera cogitativa & immateriali. Quoad extensam seu corpoream advertendum, sanguinem in cordis thalamis elaboratum, & rarefactum, eo prorsus modo, quem excel. *Dn. Praeses* annotavit *in Collegio publico disp. 2.* Nec non in *Collegio privato in Timaeum*. Statim e sinistro ventriculo prorumpere in arteriam magnam, ubi partes, quae maximam habent activitatem crassiores, minus subtiles, & quasi torpidiores antevertunt, & per ramum ascendentem aortae in arterias carotides & cervicales, quae in minutissimos surculos totum per cerebrum dispergunter, & in innumeras propagines plexum choroidis constituentes, progrediuntur. Quamprimum partes illae sanguinis subtilissimae e vasis extillarunt, & libere intra cerebri substantiam & praecipue ventriculos interiores discurrunt, spirituum animalium nomine veniunt.

§. V. Porro ipsum cerebrum glandulosum est, & filamentis, non aliter ac lintea, sibi mutuo intertextis, constat, quarum multae extremitate altera in superficiem concavam ventriculorum cerebri, altera vero aut maximam partem in cerebri desinunt circumferentiam, & menynges, aut per cranii foramina egressa, & tunica singulis eorum fasciculis communi involuta, tubulos nervorum ad varias corporis partes protensos, constituunt. Harum fibrarum unumquemque testem oculatum esse posse, qui in dissectum cerebrum aciem visus etiam nullis perspicillis intervenientibus conjicere velit, egregie demonstrat *excellentissimus & experientissimus Dn. D. Craan. Acad. Lugdun. prof. celebratissimus in disput. de natura hominis.*

§. VI. Altera substantia, quam immaterialem esse superius diximus, nihil aliud videtur esse quam cogitatio, quod essentiale attributum ipsi manet, etiam eo ipso quo se esse quis dubitare vellet, ita ut merito ejus essentiam in cogitatione ponant ex Augustino recentiores, ad quam intellectus perceptiones, & voluntatis pertinent propensiones.

VII. Quam

§. VII. Quam tamen opinionem potius pro hypothesi hac vice ponimus, aliisque defendendam extra forum medicum agentibus relinquimus, aliud quid intendentes, nempe quod haec substantia cogitans intime unita sit sensorio communi, quod est glandula, in cerebri meditullio sita, ob figurae adumbrationem glandula Pinealis seu Conarion dicta, de quo vide *illustris Des Cartes tractatum de passionibus animae; ut & epistolas aliquot ejusdem: lib. 2. epistol. Claubergium de conjunct. mentis cum corpore: de la Forge, Le Grand* & alios, qui circa hoc negocium accurate legi merentur.

§. IIX. Commercium autem mentis cum corpore consistit in eo, ut aliquae corporis operationes dependeant a cogitationibus mentis, & e converso aliquae cogitationes mentis fiant dependenter, & occasionaliter a motibus ipsius corporis, quae unio etiam non cessabit, quamdiu is qui ea inter se conjunxit, Deus T. O. M. sinet corpus motus, & operationes suas cum dependentia a cogitationibus mentis producere. & mentem exercere dependenter cogitationes suas a motibus corporis.

§. IX. Quae quum clare, & distincte percipi posse confidam, non possum diutius assensum cohibere, quin opinioni huic astipuler, praesertim quum aliorum sententiae de sede ipsius animae sufficientibus, ac ponderosis rationibus in allegatis disputationibus *celeberrimi Dn. Doct. Craanen* accuratissime refutatae suadeant, non aliam conjunctionem concipi, aut in scenam introduci posse.

§. X. Ipse quoque sensorii communis situs in illa scilicet parte, ubi a spiritibus animalibus in aequilibrio constitutis undiquaque cingitur, omnemque motus impressionem, & quidem indifferentem, id est in omnes partes tendentem, assiduo recipit, majorem huic doctrinae affundit lucem: imo substantia ejusdem, magnitudo, figura, proclivitas, & dispositio ad motum, atque ipsam adeo spirituum determinationem, prorsus evincunt, glandulam pinealem esse immediatam animae sedem. Quae omnia pluribus ingeniosissime pariter ac fidelissime tradit modo laudatus *Dn. Doct. Craan, in allegat. disputat. & praecipue disp. 8.*

§. XI. Quamdiu itaque conjunctio illa inter mentem, & corpus manet integra, tamdiu hominem viribus corporis, & animi constanter gaudere videmus, imo omnes actiones legitime perfici deprehendimus. Quod si vero forte fortuna machinam quandam humanam apertis assidentem libris, defixis in eum oculis, & digitis calamum prementem, tanquam litteras formare vellet, deprehendamus; aliam vero in patinam porrecto brachio, ipsisque etiam dapibus prehensis inhiantem; aliam gressus movere intendentem, ut jam progressura credatur, membris tamen in eodem situ perseverantibus; conspiciamus. Commercium hoc mentis cum corpore injuriam quandam pati, actionesque insigniter laedi, talemque catalepsi correptam esse recte inde concludimus.

§. XII. Nullam autem aliam ob rationem subitaneam hanc mutationem ejusmodi corporibus induci posse statuimus, quam quod spiritus animales aequali quidem copia motusque vehementia influant in membra, versus quae erant determinati ante invasionem hujus mali, quam determinationem non mutari, durante paroxismo, ingenue profitetur *Dn. Doct. Craan, in disp. saepius alleg.* Et quidem propter glandulae pinealis in uno vel altero latere obstructionem. Ipsi vero musculi contrahuntur, & breviores fiunt, ac extremitates illorum propius ad se invicem accedunt, dum humoribus circulantibus, intumescentibus arteriis, per illarum poros, pro nutritione corporis praestanda egressis, repleti, spirituum animalium, magna in copia accurrentium, impetuoso motu prorsus distenduntur, & latera eorum ad se invicem deducuntur. Vnde musculi in longitudinem pristinam extendi non possunt, nisi expressis jam humoribus circulantibus, ac ipsis adeo spiritibus animalibus maximam partem elapsis.

§. XIII. Propter eosdem humores circulantes, velocius motos in musculos oculo-

rum

rum, & palpebrarum vasa, animalesque spiritus, magna in copia ingruentes, oculi aperti, & stabiles, palpebrae vero rigentes deprehenduntur.

§. XIV. Respirationem adhuc integram, & illaesam esse, confirmat costarum, & ipsius abdominis elevatio, unde colligere licet, sanguinis circulationem adhuc vigere, & spiritus sufficienti in copia in organa respirationi dicata transmitti.

§. XV. Pulsus naturali similis manifeste comprobat, nullam intemperiem latere in sanguine, ejusque mistionem illaesam esse. Eundem etiam in cordis thalamis legitime effervescere, & fermentari, perque ipsos pulmones inoffenso pede circulari, libera edocet respiratio, de qua in praecedenti paragrapho; spirituum quoque animalium uberrimum proventum pulsus legitimus, & naturalis designat, quum enim pulsuum ter vel quater milleni una hora in quibusdam hominibus, & plures adhuc observentur, teste illustri *Bartholino in anatom. p. 376.* spirituum animalium in cerebro continua erit copia. Et hac ratione mirum non est, quod durante eadem determinatione ab anima, instar statuae, aut Marpesiae Cautis maneant immoti aegri.

§. XVI. Partium denique corporis sufficiens ad tactum calor, qui in catalepticis superstes remanet, sanguinis activitatem, & vitalitatem, & spirituum animalium abundantiam satis superque indicat, vide *Broeckhuisen tract. de mente, & corpore.*

§. XVII. Praemissis nunc phaenomenorum caussis, de ipsius affectus caussa quaedam proponenda sunt, in varias enim hic itum est sententias, in quibus recensendis, & maximam partem refutandis valde occupatus est, & prolixus *D. Tappius tract. de affectibus capitis.* Vulgatissima fere nostro hoc tempore adhuc est opinio, in spirituum animalium menti inservientium congelatione consistere caussam proximam, qualem spirituum congelationem nunquam posse dari, solide ostendit *excellentiss. Craan disput. 6.* Confer *Broekhuisen in tractat. allegato, & disp. majoris de fulmine tactis.*

§. XIIX. Dicimus itaque solidioribus muniti rationibus, quod caussa immediata consistat in sensorii communis unius, vel alterius lateris obstructione, prout videre est, §. 12. Hinc valde evidens est, spiritus animales in alia atque alia membra non influere, sed eandem illorum fieri determinationem, & sic potestas ipsius animae determinandi animales spiritus conditionata maxime est, & dependet a situ, & dispositione glandulae pinealis.

§. XIX. Clarius haec intelligi possunt, si attendamus Practicorum observationes, qui ex catoche correptorum propria confessione referunt: voluntatem movendi membra illis revera adfuisse durante paroxysmo, sed nec illa movere, nec etiam loqui potuisse. Unde hac ratione valde evidens fit, non conatum, sed facultatem determinandi spiritus eo tempore animae defuisse.

§. XX. Porro membra in paroxysmo adeo rigida in eodem permanere situ, ob rationem, §. 12. datam, exemplo valde vulgari declarabo. Vidi saepius quosdam adeo fortiter extendisse brachia, ut alii ambabus etiam manibus illa rursus incurvare non potuerint. Nullam certe aliam ob caussam, quam propter humorum circulantium copiosum influxum, & spirituum eandem a mente determinationem, quod nemo facile inficias ibit.

§. XXI. Quomodo autem fiat obstructio glandulae pinealis ex supra dictis facile explicabo. Dum enim sanguis singulis cordis pulsibus ad plexus choroidei vasa propellitur, non potest aliter fieri, quin in ipsis anfractibus plexus choroidis multae partes sanguinis crassiusculae haereant, vel saltem ad latera impingant, unde subsequentes partes sanguinis subtiliores in motu suo aliquo modo impediti, & quasi reflexi, velocissime moventur, & corpuscula illa crassiora secum rapiendo, vascula dicti plexus justo magis distendunt, inque sensorii poros protrudunt. Vel etiam dum humores circulantes per cerebrum trajicientes, partes quasdam viscidas,

das, & glutinosas secum vehunt, quae dum convenientes poros, & spatia ubi apponantur non inveniant, (nam multum situm esse in corporum etiam fluidorum figuris, & magnitudinibus, *illustris Boyle* observat) semper ulterius circulantur, usque dum ad glandulam pinealem allidentes, poros unius lateris, versus quod feruntur, obstruunt, & hac ratione vim libere determinandi spiritus menti auferunt, unde quia una eademque fit determinatio, spiritus currentes per eadem cerebri vestigia, eosdem nervorum tubulos ingrediuntur, eadem objecta menti praesentia offerunt, & eundem per consequens corporis servant situm. Hinc etiam *magnus Helmontius* catochem a vitiata animae sede promanare optime monuit, modo verum ei assignasset thronum.

§. XXII. Caussae remotae facile desumi poterunt a dispositione, & textura corporea, rebus item non naturalibus, & praeternaturalibus; praecipue animi pathemata, quae obtinent imperium in totum sanguinem, studia & meditationes assiduae saepissime fores huic malo pandere solent.

§. XXIII. Hisce ita enotatis, ut nihil pene clarius dici possit, de prognostico deliberandum est, quumque pars affecta sit splendidum animae domicilium, nemo inficias ire poterit, morbum hunc esse periculosum, praesertim quum facile degenerare consueverit in ipsam epilepsiam, & alia gravissima mala. Imo juxta verba *magni nostri Hippocratis*: quae cum exsolutione fiunt catoche, & aphoniae perniciosae.

§. XXIV. Ad curam nunc accedere necessum erit, & in id saltem omnes nervi intendendi, ut obstructio conarii reseretur, & pars conjunctionis sublata redintegretur. Quare spiritus animales variis adhibitis externis remediis officii sui admonendi, & ad varios eosque fortiores corporeos motus menti repraesentandos ciendi, & irritandi sunt; ut hac ratione glandulam pinealem partim in latere obstructo alacriter commovendo, exuviae in poris obstructis latentes excutiantur; partim etiam in latere obstructo propter vehementiores sensuum externorum deferendos motus promtiores redditi, claustra perrumpant, & obstructionem si non statim, successive saltem tollant, mentique pristinam suam restituant libertatem.

§. XXV. Ut itaque spiritibus animalibus alium validiores motus obeundi instinctum versus ipsam mentis arcem conciliemus, valde prodesse poterunt fortes corporis commotiones, frictiones adhibitis calidis, & asperis linteis; pilorum quoque tractiones, & vellicationes ac pectinationes non raro expectationi satisfaciunt.

§. XXVI. Cauteria etiam actualia in usum vocanda sunt, quae potenter operantur, ubi omnibus palmam eripit moxa, quae vertici rite applicata, praesentaneum est remedium in catalepsi, epilepsia, mania, & praesertim in podagra, quod experientia non solum, sed & solidissimis rationibus demonstrat *experientissimus Dn. Geilfusius, Archiater Nassovicus meritissimus, Cognatus meus honoratissimus in egregia sua de moxa disputatione*: neque propterea ejus usum exosum reddere debemus, quod forte jn uno, vel altero expectationi non satisfecerit: si enim cautelae quoad applicationem hujus remedii, & convenientem deligationem recte fuissent observatae, quod in aliis, qui utilitatem hujus cauterii experti sunt factum, nunquam inflammationem supervenisse persuasum habeo.

§. XXVII. Caeterum organis sensuum fortiora objecta sunt repraesentanda, oculis copiosi radii luminares objiciendi, ori infundenda sunt spirituosa, ut elixir vitae *Matthiol.* aq. Anhaltina, sp. cor. cer. sal. volat. ejusdem. Naribus admovenda graveolentia, ex asa foetida, castoreo, item balsama varia, sp. salis armoniac. salsus in vitro angusti colli ab aliquo adstantium firmiter offerri, vel cum gossypio applicari potest. Aures vero vociferationibus adimplendae sunt. Frictiones quoque cum aquis spirituosis variis valde conducunt, & humoribus circulantibus nimia in copia

pia in artus irruentibus, & quasi restagnantibus, placidum iterum conciliant motum Idem praestant penetrantes spiritus, spiritus urticae minoris, formicarum, convulsivus, qui in soporosis affectibus nunquam satis laudari potest. Tinctura castorei, & varia alia medicamenta externa, quae ex *Hodego Medico Giesvveinii* passim depromi possunt.

§. XXIIX. Extra paroxysmum ad praeservationem, quam maxime requiritur accurata mediocritatis observatio circa res non naturales. Ante omnia autem aeger sibi caveat ab animi affectibus vehementioribus, meditationibus profundioribus, & studiis intentis. Quae omnia apud Practicos ad satietatem sunt definita, sit itaque hic disputationis nostrae finis.

DISPUTATIO XVI.

DE EPILEPSIA,

RESPONDENTE

JOHANNE Dinctgreve Quakenbrugensi.

§. I. Contemplanti mihi diversos morborum insultus, quibus oeconomia in corpore animalis labefactatur ac pervertitur, nihil quidem occurrere videtur, ad quod magis obstupescam, quam perversi illi motus convulsivi, quibus statuam humanam, in tot gyros variasque convolutiones circumagi video; qui horrendus affectus plurimos Medicos adeo in admirationem rapuit, ut in morborum etiam explicatione epilepsiam tanquam basin, & fundamentum omnium curationum praemiserint, inter quos non postremus est *Barbette*, quem in laconica hac disputatione fidelissimi discipuli instar imitabor: dum nihil utilius nec dignius me praestare potuisse mihi persuasum habeam, quam gravissimi hujus affectus cerebri incolis infensissimi indolem brevibus proponere. Siquidem hac ex doctrina non solum aliorum morborum curationes deduci possunt, verum etiam inde patescit, quodnam animae sit in corpus dominium, & quomodo vicissim hoc agat in mentem; quaenam etiam sit vis, & energia spirituum sive partium impetum facientium, si extra ordinem in tot cieantur motus.

§. II. Vocatur vero Epilepsia, Graecis ἐπιλαμβάνομαι id est prehendo, invado seu corripio; homines enim, in quos suam exercet violentiam, subito ac confestim prehendit, corripit, prosternit, ac omni motu, & sensu privat.

§. III. Huic morbo variae imponuntur denominationes: appellatur enim primo morbus infantum, qui frequenter ob particulas incongruas, partim in utero partim vero extra uterum collectas, ab hoc hoste immane quantum patiuntur. 2. Puerilis: pueri enim ob nimiam voracitatem, & non servatam diaetam saepissime huic effectui patulas praebent januas. 3. Caducus, a casu: nam hoc morbo laborantes in terram quasi fulmine tacti concidunt. 4. Sacer, ob sacram animae sedem (cerebrum) graviter affectam: siquidem hujus parti glandula pinealis dictae mens intime juncta microcosmum, ut princeps suum territorium, dirigit atque gubernat. 5. Lunaticus, quia juxta lunae incrementum ac decrementum, variasque ejus phases nonnullos invadit. 6. Comitialis, eo quod in comitiis, & hominum frequentia plerumque hoc malo corripiantur aegri. 7. Divinus, quoniam interdum quibusdam divinitus in poenam mittitur, quamvis alii etiam credant divinum vocari, quia hoc morbo afflicti futura praedicere, & vaticinari possint. Hinc cl. Bartholinus de morbis biblicis statuit, in epilepsia fortem esse quandam oppilationem, qua omnes sensus exteriores ita ligentur, ut ab omnibus operationibus cessent, & ferien-

rientur, & quum mens aliunde non sit impedita, sed maneat quasi in simplici esse, fieri, ut Epilepticis in paroxysmis futurorum quaedam imago obversetur; quod in moribundis etiam observare licet; in quibus non raro anima, corpore pene destructo, liberius agere videtur; appellatur denique. 8. Herculeus, vel quod Hercules hoc morbo fuerit vexatus, vel quod ejus saevitia fere sit in expugnabilis, & Herculeum poscat laborem.

§. IV. Sumitur ratione homonymiae epilepsia in latiori significatione pro quavis convulsione, sed improprie: strictius vero, & proprie tantum pro motibus convulsivis.

§. V. Exhibita nominali definitione, jure suo succedit realis: epilepsia est motus plerarumque partium corporis convulsivus, cum sensuum tum internorum tum externorum laesione, a lympha acri suum habens ortum; *vel si illa tibi solum placeant, quae antiqua sunt, sisto tibi descriptionem ipsius Galeni, l. 3. de loc. quod sit convulsio omnium corporis partium, non perpetua sed quae ex temporum intervallis accidit, cum mentis ac sensuum oblaesione.*

§. VI. Quilibet in morbis definiendis suo abundet sensu. Nos solis contenti descriptionibus naturam morborum accurate explicamus, quae descriptiones potius nosologiae, & aetiologiae, quam definitiones logicae dicendae; nunquam enim asseri poterit, nisi forte ab illis, qui ἀλόγως curari volunt, morbos logice definiri posse, tum quod impossibile sit, tum etiam quod sit maxime periculosum, quum morborum curationes juxta illorum descriptiones instituantur.

§. VII. Hujus affectus subjectum primarium sunt spiritus animales, qui nihil aliud sunt, quam subtilissimae sanguinis arteriosi particulae, non secus ac spiritus vini in cucurbita in vaporem resolutus, & in alembicum elevatus, elaboratae, ut inquit cl. Tilingius in sua de fermatione disquisitione medica. Uti enim spongia cucurbitae imposita solum subtiliores transmitti vini spiritus, crassiores vero remoratur, & a transitu prohibet; eodem fere modo sanguis arteriosus e cordis foco cum effervescentia rarefactus ad caput defertur, in quo spirituosae, volatiles, & subtiles ejus particulae a calvaria ejusque meningibus velut ab alembico intus coërcitae a spongiosa cerebri substantia imbibuntur, ibidemque ad majorem activitatem evectae, in nervos, veluti totidem rostra huic appensa, derivantur; dum interea crassiores sanguinis particulae ab omnimodo transitu prohibitae, partim in cerebri nutrimentum abeunt, partim vero a venis absorptae revehuntur. Spiritus hi summe agiles (οὐ γὰρ οἷόν τε τὸ πνεῦμα στῆναι: *non enim possibile est spiritum stare: juxta Hippocratem*) etiam minimos cerebri porulos inoffenso pede permeant eosque perreptant, unde motus, & sensus. Sin vero justo impetuosius exiliant, & tanquam equi effreni stimulis agitati copulam suam explodant, tum partes continentes veluti currum appensum perverso efferoque motu convellunt, & lancinant, unde motus convulsivi, ut loquitur cl. Willis, cujus inopinatum obitum mecum luget universa respublica medica.

§. IIX. Alii cl. viri a nobis dissentientes cerebri ventriculos pro primario ponunt subjecto. Alii ejus meatus. Alii propriam ejus substantiam. Ejus corticem alii. Nonnulli membranas cerebrum investientes. Sunt qui musculos, tendines, membranas ac fibras pro subjecto agnoscunt. Sed nullum horum rem acu tetigisse sequentes confirmant rationes: primo enim hae recensitae partes non primario uti spiritus animales afficiuntur, sed consequenter ac secundario. 2. Nulli harum partium caussa proxima inhaeret. Nec denique ulla harum est instrumentum primarium motus, & sensus naturalis: ergo nec sunt, nec esse possunt subjectum primarium motus, & sensus praeternaturalis.

§. IX. Hujus hostis caussa immediata est lympha acris, quae particulis suis nitrosulphureis spiritibus animalibus sese agglomerantibus pungendo, corrodendo,

vellicando, irritando, concutiendo, atque lancinando eos nolentes volentes dissilire, & maximo cum impetu instar pulveris pyrii accensi in nervos irruere facit, tot horrendorum symptomatum auctores. Siquidem hae particulae incongruae spiritibus animalibus mistae effervescentiam quandam excitant, unde spiritus animales vehementer dilatati, & inordinate moti talem nanciscuntur determinationem, porosque cerebri ita aperiunt, ut quaqua versum in nervos explodantur, quae omnia citra sensum, & appetitum fieri posse a machinis etiam hydraulicis, & pneumaticis facile probatur.

§. X. Chymici sulphur aut Mercurium accusantes, ut etiam illi, qui caussam proximam in sanguinis rarefactione nervorumque irritatione quaerunt, nobis non contradicunt, sed facile conciliari possunt. Nequaquam vero illi, qui ad occultam quandam, & specificam qualitatem ignorantiae asylum confugiunt, & umbram pro Junone arripiunt, qualem ipse rejicit *Hippocrates lib. de morbo sacro.* Ridiculum sane, quod hoc imprudentiae argumento laudem apud cordatiores mereri studeant, & quum incautis multorum juvenum animis seduci malint, quam in rei veritatem excusso praejudicio profundius inquirere, & particulis nostris ad sensum etiam manifestis benevolas aures, & amicos largiri oculos. Nos sane ex nostra medicina proscribimus qualitates occultas, & omnia circa caussas morbificas, & medicamentorum vires occurrentia per manifestas explicamus, neque illis auscultamus, qui erroneis Praeceptorum suorum imbuti opinionibus aliis etiam persuadere conantur, quod occultas qualitates non tanquam commune asylum arripiant, sed quod ipsa rei natura ferat, ut sacro tegatur involucro. Dum contrarium, & ipsa dictet ratio, & experientia illud ὀφθαλμοφανερῶς etiam demonstrent.

§. XI. Acredo lymphae fit immediate ab humore quodam, vel acido, vel austero; vel ab acido, & austero simul. Humor acidus analytice resolutus exibet particulas tetrahedricas, quae quovis etiam modo nervoso generi applicatae, vim suam acidam exerunt. Austerus vero constat ex particulis hamatis, quae semel fibris infixae non tam facile tolli possunt. Tales vero humores in epilepsia praedominari patet ab effectu, & curatione, siquidem effectus humoris acidi sunt tormina ventris, dolores abdominis lancinantes, singultus, vomitus & ructus acidi, praecordiorum anxietas, lipothymia, syncope, & convulsiones. Austeri vero suffocationes, & constrictiones hypochondriorum, & organorum respirationi dicatorum, quae omnia in Epilepticis observantur, & per solam particularum figuram &c. explicari possunt.

§. XII. Ut enim in automatico horologio forma essentiali integra, & perfecta existente omnia accurate fiunt, adeo ut doctissimi etiam hominis industria illa imitari nequeat. E contra vero aliqua saltem mutatione accidente, perversi cientur in orologio motus: eodem modo innumeri in corpore humano deprehenduntur motus, qui omnem excludentes perceptionem a sola partium dispositione dependent; qua vitiose mutata corpus statim diversimode perturbatur, & varii iique tumultuosi partium motus observantur.

§. XIII. Ad id vero quod excipitur; omne simile claudicare, nec naturalia artificialibus comparari posse, modos etiam materiae inefficaces esse; respondeo *ex ipso hypotheseos Auctore*; verum quidem esse, quod comparationes, quibus in scholis uti solent, dum intellectualia explicant per corporea, substantias per accidentia, aut saltem qualitatem aliquam per aliam alterius speciei, haud multum edoceant. At vero, quia in iis quibus utimur, non comparamus nisi motus quosdam cum aliis motibus, aut figuras cum aliis figuris, hoc est res, quae propter tenuitatem suam sub sensus cadere nequeunt, cum aliis quae sub illos cadunt, quaeque alioquin non magis ab illis discrepant, quam major circulus a parvo, contendimus ratio-

 nem

nem aliam nullam ab humano ingenio excogitari posse, qua motuum horum veritas melius declaretur. Caeterum modos materiae satis efficaces esse prolixius demonstrat *Tattinghoff*; hac vice monemus saltem, ut cultrum in re domestica, antimonium in re medica, a nobis dissentientes aspicere velint, videbunt omnem operationem, a sola dispositione, convenienti & debito accedente motu dependere. In ipsa etiam hominis formatione, si saltum facere vellemus, quid haec praestent accidentia, ut vulgo vocantur, ad oculum demonstrare possemus: siquidem cl. Bartholinus, cujus auctoritas allegatur, nescire se simulat, quod hujus opinionis Auctores fundamenti loco praesupponant, essentialia illa accidentia non agere fortuito, sed juxta leges naturae a summo Opifice inditas.

§. XIV. Tandem etiam a curatione particulae istae acidae, & austerae probantur. Curatur enim hic affectus per medicamenta acidum imbibentia, & austerum corrigentia, qualia sunt rasura eboris, oculi cancror. limatura Martis, margaritae praeparat. corallia praeparat: olea succini; caryophylli: spirit. salis armoniaci, spiritus salis dulcis &c. Plura qui cupit adeat *collegium practicum cedro sane dignum praeterito anno a Praeceptore meo fidelissimo disputationis Praeside dictatum.*

§. XV. A caussa proxima ac immediata ad remotas progressum facimus, quae sunt vel naturales, nonnaturales, vel praeternaturales. Naturales dicimus esse temperamentum sanguineum, melancholicum, & pituitosum, aetatem infantum, & puerorum. Dispositionem haereditariam, & characterem a parentibus contractum.

§. XVI. Non naturales sunt sex res, quae evitari nequeunt, vulgo nonnaturales dictae. Inter has agmen, & choreas ducit aër, qui corpus nostrum quam facile inquinare potest, praeprimis si suum addant calculum cibus, & potus, motus & quies, somnus & vigilia, excreta & retenta, ac denique animi pathemata, quae excessu vel defectu peccantia infaustae hujus sobolis fiunt parentes.

§. XVII. Caussae vero praeternaturales sunt morbi praegressi eorumque caussae, & symptomata, ver. gr. cephalalgia, vertigo, moeror; tristitia, colica, vermes, succus pancreaticus, lymphaticus, biliosus, non rite sese habentes, lienis & venarum lactearum obstructio, lochiorum, secundinarum ac sanguinis menstrui retentio, vel nimia eorum excretio; item vapores ex hac vel illa parte elevati, quos quidam praeter omnem rationem admittere nolunt.

§. XIIX. Ut methodice procedamus, observandum affectum hunc non uno eodemque invadere vultu, sed Proteo mutabiliorem esse: hinc perlustrata caussa remota, progredimur ad differentiam, quae desumitur a tempore, caussa, subjecto & insionis modo.

§. XIX. A tempore desumta differentia alia erit, vel haereditaria, & congenita; alia adventitia, recens, vel inveterata. Haereditaria a parentibus epilepticis mediante semine in foetum derivatur, ac transplantatur. Congenita ab inordinata gravidae diaeta suam ducit originem, vel si gravida epilepticum hoc morbo correptum viderit. Adventitia ab externis injuriis, scilicet naturalibus, nonnaturalibus ac praeternaturalibus, de quibus antea dictum, edito jam in lucem foetu, oritur. Recens est quae nondum altas in corpore egit radices. Inveterata vero contra, quae aegrum saepius invasit.

XX. Subjecti ratione alia est infantum, qui saepissime tempore dentitionis solent fieri epileptici, ob tertiae, & septimae conjugationis nervorum vellicationem, & gingivarum inflammationem. Alia puerorum ac adolescentum, quae tamen ob virium robur, sanguinis laudabilis copiam ac alterationes quas subeunt, diu durare nequit. Alia mulierum, quae ex mensium obstructione suum trahit ortum, dum sanguis restagnas putrescit, acescit, & non infimum acquirit malignitatis gradum. Alia virginum ac viduarum juvencularum, quae vel ob fervorem quendam

venereum, qui satiari nequit, vel ex copia seminis fervidioris in hunc incurrun affectum; & quum praecedunt, vel comitantur hoc malum symptomata quaedam uterina, in quibus etiam ipsum uterum dislocari, & ad gulam ascendere credunt cum credulis mulierculis quamplurimi; hoc autem impossibile esse ex anatomicis edocemur principiis, ut hactenus in collegio nostro anatomico a *celeberrimo meo Praeceptore Dn. D. Majo, Archiatro, & Professore publico*, dexterrime administrato videre licuit: interim tamen non negamus uteri testes posse inflari, & extendi, imo etiam convelli, ut ipsum etiam uterum suum mutasse situm, appareat.

§.XXI. Pro caussarum diversitate alia est idiopathica, alia sympathica. Idiopathica seu per essentiam est quando cerebrum proprio in sinu, & generat, & fovet anguem, lympham nempe acrem, ob suam intemperiem, hoc est ob particularum, quoad motum, figuram ac situm mutationem; & tum adest continua capitis gravitas cum oculorum obtenebratione, ac limphae, quae antea per os, nares oculosque fluere solebat, suppressione. Sympathica est in qua materia peccans in inferioribus partibus sub capite positis colligitur, & ad cerebrum data occasione defertur, & tunc cujuslibet partis affectae propria adsunt signa. Exemp. gr. Si ab intestinis hoc oritur malum, adsunt ventris murmura, alvi obstructio, dolores colici & alia. Si a ventriculo, cognoscitur id ex appetitu prostrato, nausea, vomitu, singultu, cibi fastidio, cardialgia, cholera tam humida, quam sicca. *vide Zacutum Lusitanum de P.m.lib.1.observ.21. Forestum lib.10.obs.64. Fernel.cons.7. Galenum 5. de loc. cap.5.* Si a liene, tumores ac dolores in sinistro hypochondrio, interdum etiam circa lienis regionem sensus ardoris ac inflammatio a cibo in sinistra faciei parte observantur; saepius alii conjunguntur morbi splenetici, uti scorbutus, cachexia, scabies, melancholia &c. *de quo Platerus, Horstius & alii*. Si ab utero haec proveniat progenies, id demonstrabunt mensium ac lochiorum suppressio, seminis ac foetus mortui retentio, fluor albus & alia. *Si enim menstrua non fluant ab utero morbi contingunt, si large superveniant, morbi fiunt 5.aph.57.* Et *lib.coacar.praenot. Salutare est muliebria non cohiberi, nam inde eveniunt epilepsiae*. Si denique ab aliis partibus, vesica ver. gr. pancreate, hepate, renibus, vel etiam ab externa aliqua parte, vel a vulneribus & ulceribus generetur, ex propriis iterum constabit signis, per consensum cerebrum affici. *vide observationes nobilissimi Tulpii.*

XXII. Ab invasionis modo alia dicitur primaria, quae nullo existente, vel praecedente morbo incipit: alia secundaria, quae alium subsequitur morbum, vertiginem, cephalalgiam &c. Alia periodica, quae per intervalla certis temporibus recurrit, & aegrum periodice affligit. Alia inordinata, quae nullas observat periodos, sed nunc citius, nunc tardius recurrit. Alia fortis, in qua praeter motus, & sensus depravationem stupiditas, simplicitas, fatuitas aliaque graviora deprehenduntur symptomata: laevis vero e contra, quae mitiora habet symptomata.

XXIII. Quum vero cognitio morbi sit curationis fundamentum, signis opus habemus, quibus praesentem cognoscere queamus affectum, haecque sunt triplicia: distinctiva, diagnostica ac prognostica.

XXIV. Distinctiva sunt, quae epilepsiam ab aliis affectibus, cum quibus aliquid affinitatis habet, distinguunt: sic differt quam maxime ab apoplexia, in qua motus non est depravatus, sed potius abolitus; apoplectici enim jacent prostrati cum stertore, sine motu & sensu, sola respiratione manente. Differt etiam a convulsione in specie sic dicta, in qua est involuntaria contractio musculorum versus suum principium permanens ac dololosa, ita ut membrum evadat rigidum, & inflexibile; in epilepsia vero motus convulsivi sunt continui.

XXV. Signa diagnostica partim imminentem, partim vero praesentem indicant paroxysmum: imminentem paroxysmum indicantia sunt nervorum motus tremulus, odoris foedi sensus, venarum sub lingua flavedo, linguae motus inordi-

natus,

natus, pallor faciei, aurium tinnitus, vertigo, extremorum frigus, ingenii tarditas, sensuum imminutio, coma vigil ac somnolentum, lassitudo spontanea, moeror, tristitia, dolor capitis, gravativus aeque ac pungitivus, oculorum corruscationes, scintillae, muscae, ac denique telae iis observantes.

§.XXVI. Praesentem vero paroxysmum indicantia sunt, vel pathognomonica, propria, vel communia. Signum pathognomonicum in hoc malo est motus convulsivus; posito enim hoc ponitur & epilepsia. Propria quae epilepsiae tantum inhaerent ac eam semper comitantur, sunt spuma oris, stricta digitorum contractio, ac subitus in terram prolapsus. Communia, quae etiam in aliis affectibus observantur, sunt dentium stridor, ac acta eorum collisio, mugitus, clamores, stertor, urinae, seminis ac aliorum retentorum involuntaria excretio.

§.XXVII. Prognostica, futurum statum, & eventum indicantia, ex certis hauriuntur fontibus; petuntur enim a morbi idea ac natura, virium robore, parte affecta, actionibus laesis, symptomatibus, ac denique a juvantibus, & nocentibus.

§.XXIIX. Dicimus itaque quod omnis epilepsia sit periculosa & curatu non adeo facilis, 1. propter nobilem affectam partem, ad quam medicamenta non aeque uti ad alias partes, quia est valde remota, integris viribus penetrare possunt: deinde ob concomitantium symptomatum vehementiam. Quum enim una ab alia pro subjecti & caussæ diversitate, nec non pro vario invasionis modo ac tempore, uti superius docuimus, sit diversa, hinc etiam una prae alia erit periculosior, & curatu vel facilior vel difficilior. Epilepsia itaque idiopathica periculosior est & curatu difficilior sympathici, quippe quae aegrum continuo affligit, & suos sine intermissione reperit paroxysmos, quibus ita cerebri relaxantur & vitiantur poruli, ut particulas heterogeneas facillime admittant, hinc lethalis esse solet. *Quum enim aetatem adeptus fuerit morbus, non amplius curabilis est, cerebrum enim eroditur a pituita, ac colliquatur. Hippocr.* Sympathetica vero curatu est facilior, quoniam haec oritur a partibus in abdomine contentis: vide sis parag. XXI. quibus curatis, curatur & ipsa epilepsia.

§.XXIX. Haereditaria ob cerebri dispositionem a natura vitiatam, nullis cedentem medicamentis, tolli nequit, estque incurabilis, ut & congenita, quamvis haec interdum aliquam admittat curationem. Adventitia vero si recens fuerit; quaeque altas nondum egit radices; tum intermittens, quae per intervalla affligit; aut denique levis, quae gravioribus non stipata est symptomatibus, curari potest: nec non infantum, puerorum ac adolescentum: in illis enim virium adest robur & spirituum vitalium integritas, ex quibus spiritus animales regenerari, ac ita pristinae restitui queunt crasi; in his vero tempore pubertatis fermentum exoticum, ac particulae heterogeneae epilepsiam caussantes ex cerebro cum sanguine ad partes genitales deponuntur; & simul una cum semine & menstruo profluvio excernuntur. Ad hanc classem quoque pertinet epilepsia virginum ac viduarum juvencularum, quae omnium curatu est facilior; dum unico specifico adhibito, uterum simul respiciente, felicissime profligatur, quod omnes fere Medici experientia edocti testantur. Econtra adventitia, inveterata, continua ac fortis difficile curantur, & sunt satis periculosae; nam ut plurimum vel in alium graviorem mutantur affectum, vel per se lethales fiunt. In senibus, ob calidi innati inopiam ac virium debilitatem, spiritus animales semel exhausti ac explosi, quum restaurari nequeant, nullam curationem admittit. In juvenibus vero post annum vigesimum quintum exorta aegrum ad vitae finem comitari solet, uti hoc testatur Medicorum Princeps hisce verbis *sect. V. aph. 7. Quibuscunque morbi comitiales ante pubertatem fiunt, transmutationem habent. Quibuscunque vero viginti quinque annos natis fiunt, his plerumque commoriuntur.*

§.XXX. Hactenus de iis, quae ad epilepsiae cognitionem facere videbantur, egi-

egimus; hunc ejus proponenda erit succincta curatio, quae est duplex; alia in paroxysmo; alia extra paroxysmum.

§.XXXI. In paroxysmo omnis impendenda erit opera, ut abbrevietur, vel saltem mitior reddatur, quod salibus volatilibus & lixivialibus acido contrariis fieri potest. Conveniunt itaque illinitiones temporum, narium, carporum, nuchae, ac cranii circa suturas; materiam praebent balsamus vitae, succini, rutae; aqua hirundinum, picarum, liliorum convallium. Tinct. castorei, ol. castorei, Philosophorum, rutae. Ex spiritibus, qui meo judicio ob particulas subtiles ac penetrantiores, quibus sunt praediti, aliis palmam praeripiunt, sunt spiritus salis armoniaci, fuliginis, urinae, cornu cervi, convulsivus *Dn. Praesidis*, quo in & extra paroxysmum vix datur medicamentum praestantius, ita ut a *Dn. Praeside* inter alia pro arcano habeatur. Conveniunt etiam suffitus & odoramenta ex graveolentibus, quibus spiritus animales reprimantur, ver. gr. ruta, asa foetida, castoreo, galbano, pennis pavonum, ac perdicum, &c. Exempli loco sequentes sint formulae.

℞. *Spir. sal. armoniac. sals. corn. cerv.* āā. scrup. j. sum.

Vel ℞. *Castor. succulent.* drach. sem. *rut. recenter contus.* p. 1. includantur syndon. & irrotent. *acet. bezoardic.*

Vel ℞. *Bals. vit. rut.* āā. scrup. j. *ol. succin.* scrup. sem. mis. det. ad pyxid. sum. balsam.

Interea dum haec aguntur, partium externarum in rectum fiat extensio & quidem pedetentim, non vero vi; nam ossa inde luxata, imo aliquando fracta fuisse practici observarunt. Os aegri clausum aperiatur, aperto baculus, vel cochlear ex ligno hedere, vel sacculus ex ruta vino irrotatus, inseratur, ne dentes linguae damnum inferant, illamque commordeant, tum etiam, ut spuma effluere, ac medicamenta instillari, vel saltem fauces illiniri queant. Instituantur quoque validae ac fortiores membrorum frictiones, ligaturae ac vellicationes. Reliqua ver. gr. cucurbitulae, suppositoria, atque clysteres, quamvis in paroxysmo indicentur, commode tamen adhiberi nequeunt.

§.XXXII. Curatio extra paroxysmum suis innititur indicationibus. Lympha qualitate peccans temperanda: quantitate vero excedens evacuanda. Pars affecta una cum parte mandante corroboranda ac confortanda: hisce indicationibus ut satisfiat medicamenta ex triplici fonte, chirurgico, pharmaceutico, ac diaetetico, erunt desumenda.

§.XXXIII. E fonte chirurgico generosa nonnulla depromuntur remedia, circa quorum electionem Auctores non conveniunt. Nos venaesectionem, a multis improbatam, ad conciliandum liquori tam vitali, quam animali motum ordinarium in & extra paroxysmum concedimus. Sic Medici Reginae Hispaniarum intra sex a partu horas ter miserunt sanguinem; quam praxin licet non usitatam suasit ratio, exegit necessitas, approbavit eventus, ut loquitur *Bravo Archiater Aulae Regiae.* Arteriotomiam vero, quum sit rarioris usus, suspendimus: interim setacea, fonticulos, vesicatoria, cucurbitulas, ac hirundines omnibus commendamus. Quod si hae & alia auxilia parum ad hujus tyranni expugnationem conferrent, ad medicinam efficacem, ustionem ac trepanationem, ut duro nodo durus quaeratur cuneus, confugiendum erit. De quo vide *Severinum & observationes a Welschio collectas.*

§.XXXIV. Ex altero fonte, qui pharmaceuticus est, vi indicationum medicamenta lympham acrem temperantia ac praeparantia sunt haurienda, quae in ordinem digesta sequentes constituunt formulas.

℞. *Sal. armoniac. chalybeat. corn. cerv. volat. s. foetor.* āā. drach. sem. *faecul. paeon.* drach. ij. mis. f. pulvis. dividatur in vj. partes aequales. Sumatur in sequenti vehiculo.

℞. *Aq.cerasor.nigr.flor.til.paeon.* ãã.unc.ij. misc.

Vel ℞. *Rad.paeon.maris.filic.primul.ver.* ãã. unc.sem. *sarsaparill.*unc.j. & sem. *visc.quercin.*drach.iij, *lign.sassafr.*drach.j.& sem. *herb.betonic. primul.ver.epatic.nobil.meliss.* ãã.m.j.*flor.anthos,tiliae,betonic.* ãã. m.sem. *rasur.cran. human. ungul. alc.* ãã.drach.j.& sem.*semin.paeon.foenic.*ãã. drach.ij.incis.incidend.infund.in s.q. *aq. chalybeat.* per noctem, mane post ebullitionem.

℞. *Colatur.*lib.iv.*add.sirup.betonic.* unc.iij. *aqu. epilept.Lang.* unc.iv.*spirit.sal. armoniac.* scrup. j. misc.f.apozem.cujus singulis diebus horis matutinis unc. v. sumantur.

§.XXXV. Assumtis his praeparantibus, ac temperantibus, in usum vocanda erunt purgantia: quum autem humorum vitiosorum saburra, una vice vix evacuari possit, enemata primas vias eluentia praemitti debent. ver. gr.

℞. *Rad.bryon.paeon.* ãã. drach. iij. *herb. malv.parietar.rut.sylvestr.verben;* ãã. m.j.*flor.melilot.* m.sem. *lilior convall.* p.j.*semin.anis.rut.* ãã.drach.j.& sem.*stercor. pavon*, drach.iij. coq.in s.q. *aq. colat.*

℞. lib.1. add.*electuar. diacathol. benedict. laxativ.* ãã. drach. vi. *castor.* scrup. j. *ol.rut,coct. amygdalar.dulc.* ãã. unc.j. *vitell.ov.* num.j. *sal.gemm.* drach.sem. misc. f.enema.

Quod si aeger enemata admittere nolit, eorum loco sint sequentia lenitiva.

℞. *Pulv.solutiv. Zwoelfer.* drach. sem. *resin. jalap. amygdalis subact.* gr. iv. misc.f.pulvis.

Vel ℞. *Mann.elect.* unc.j.& sem. solv.in *aq.flor.til.*add.*cremon.tartar.* scrup.ij. *aq.picar.*drach.vj. *sirup.de cichorio cum rhabarb.* unc.j.& sem. misc.

§.XXXVI. Evacuatis primis viis danda erit opera, ut lympha ac humores peccantes per purgantia validiora e toto corpore eliminentur. Exempli loco sint iterum sequentes formulas.

℞. *Extract.hellebor.nigr.* scrup. sem. *resin.jalap.* gr. viij. *acid. tartar. castor.* ãã. gr.vj. *ol.rorismarin.*gutt.ij.misc.f.pilul.xiij.

Vel ℞. *pil.de galban. compos.* n.vij.

Vel ℞. *pulv. mechoacan.jalap.* ãã. scrup.j. *diagrydi sulph.* gr.vj. *castor. pulveris.* gr.iv. *ol.anis* gutt.ij misc.& sum.

Vomitoria quoque hic non sunt contemnenda.

℞. *Sulph.antimon.* gr.iv. *cremor. tartar.* gr.vij. misc.f.pulvis sum.

Vel ℞. *Infus.pulv.emet.correct.* unc.ij. adde *julep.rosar.* drach.ij.misc.

§.XXXVII. Hisce universalibus particularia sunt subjungenda evacuantia: uti errina, sternutatoria, masticatoria, ac gargarismata, in aliorum etiam affectuum curatione occurrentia.

§.XXXIIX. Praemissis praeparantibus, ut & universaliter ac particulariter purgantibus, caput confortantia propinanda sunt, ut tertiae etiam indicationi satisfaciamus: talia sunt sequentia specifica antepileptica. Radices artemis. antiquae, paeon.maris mens. Julii collectae, valerianae, acori veri. Herb betonica, paeonia, majorana, salvia, ruta, verbena. Flores hyperici, tiliae, liliorum convallium. Semina majoranae, foeniculi, seseleos, anisi. Cardamomum, cinnamomum, ac omnia aromatica, praeprimis autem caryophilli, quorum sal volatile oleosum spiritus explosos non solum repellit, verum etiam particulas incongruas corrigit. Viscus quercinus. Cor hominis violenter mortui, cranium humanum, cornu cervi. Pulli hirundinum, cirvorum, qui nondum attigerunt terram. Excrementa pavonis, ciconiae, quae vigent spiritus efferos. Succinum, castoreum quod omnibus medicamentis admisceri potest, ungula alcis, unicornu, corallia, oculi cancrorum, margaritae praeparatae, quae alterant acidum. Ambra, moschus, zibethum, ut & aqu. epileptica *Langii, Anhaltina*, cerasorum nigrorum, liliorum convallium,

florum

florum tiliae, hirundinum, picarum. Spiritus cornu cervi, cranii humani, salis dulcis, nitri dulcis, salis armon. acidi & salsi. Elixir vitae *Matthioli*. Elixir epilepticum *Crollii*, in quo oleum anisi succinique, aqueis quoque vecta & spirituosis, mediante alkali salis paeoniae, & vitrioli fortiter calcinati cum sale couniuntur. Et felix ille, qui cum *Helmontio*, & *Sylvio* quodvis oleum aromaticum in sal vertere didicit. Tinctura corallorum, succini, castorei, lunae. Oleum vitae, succini, rorismarini, majoranae, castorei. Conserva liliorum convallium, paeoniae, florum tiliae, hyperi. Omnia salia tam fixa, quam volatilia. Magisterium perlarum, cranii humani, corallorum, lapidis lazuli, hyacinthi, smaragdi, succini, ungulae alcis. Pulvis bezoardicus, epilepticus *D. Arnoldi Marchionis*, cum unicornu. Species contra apoplexiam cum & sine moscho, cephalicae, diacubebarum, diambrae cum & sine ambra. Tabulae ex oleo succini, diaxyloaloës, ac denique cinnaberis, ex qua *cl. Crato* talem praeparat pulverem, qui vocatur Magnes epilepsiae.

℞. *Cinnabar. nativ. pellucid. limat. in tenuiss. pulverem tritae* unc. sem. *corall. rub. margarit. praeparat.* ā̄ā. scrup. ij. *croc. Oriental.* scrup. j. *fol. aur.* num. xv. terantur omnia subtilissime super lapidem. dos. gr. vj. ad scrup. j.

Arcanum epilepticum *Dn. Praesidis* hoc in affectu omnibus antecellit medicamentis, & satis laudari nequit: praescribitur autem vel per se, vel cum aliis, ver. gr.

℞. *Arcan. epilept. pulv. Mantuan.* ā̄ā. scrup. sem. mis.

℞. *Aq. cephalic. Lang.* unc. j. sum. cum pulv.

In hujus arcani defectu sequens exhiberi potest medicamentum.

℞. *Cinnaber. antimon.* drach. ij. *cran. human. sine igne praeparat. magist. ejusdem* ā̄ā. drach. j. *faecul. paeon. magister. corallor. perlar. matr. perlar.* ā̄ā. gr. xv. *fol. aur.* num. xj. mis. f. pulvis, sum.

Specificum antepilepticum dos. a gr. ij. ad drach. sem.

Vel ℞. *Tinctur. succin.* drach. ij. *essent. ambr.* drach. j. mis.

Vel ℞. *Spir. secundin. ungul. alc. fuligin.* ā̄ā. drach. sem. sum.

℞. *Tinct. corallor.* drach. j. sum. gutt. vj.

§. XXXIX. Plures adhuc paginae variis impleri possent formulis tam externis, quam internis: verum quum quilibet fundamentis medicis imbutus ex simplicibus superius traditis pro sua intentione, & subjecti diversitate generosa, ac pretiosa varia praescribere possit medicamenta, nolo hic diutius remorari; confero itaque me ad fontem diaeteticum.

§. XL. Diaeta est vel naturalis, vel vitalis, vel animalis. In diaeta naturali cibi sint moderate calidi ac sicci, facilis concoctionis, & digestionis, boni succi, ventriculo grati, ac nullis referti humoribus excrementitiis. Tales sunt gallinae, & earum pulli, lepores juniores, columbae, agni, vituli, perdices atque capones. Condiantur cinnamomo, caryophyllis, nuce moschata, ac aliis aromatibus, & cephalicis. E contrario vitentur cibi frigidi ac humidi, coctu difficiles, flatulenti, crassi, vaporosi, ac facile putrescentes. Tales sunt caepae, allia, sinapi, lactuca, raphanus, portulaca, apium, nuces juglandes, poma, pyra, ac omnes fructus horarii, legumina, lacticinia, nec non caro porcina, anserina, passerum, ac anatum. In potu concedenda cerevisia clara, ac bene defaecata: quamvis consultius esset a cerevisia, & vino penitus abstinere, & eorum loco decoctum ex cephalicis, & antepilepticis ingredientibus substituere.

§. XLI. Vitalis diaeta aëris rationem habet, qui sit temperatus, purus, vividus, si non natura talis, arte parandus. Proscribimus aërem impurum, inaequalem, nebulosum, malignum, ut & nimis frigidum, vel calidum; hic enim spiritus tam vitales, quam animales dissipat, humores acido austeros, ac viscidos colliquat, & justo reddit fluidiores; is vero lympham acrem auget, coagulat, incrassat, atque conglu-

conglutinat, & hoc modo novis, & periculosis ansam praebet obstructionibus.

§. XLII. In animali diaeta somnus sit nocturnus, ac moderatus, ne vitiosis humoribus & vaporibus caput impleatur ac gravetur. Vigiliae, atque lucubrationes in longam protractae noctem sunt fugiendae; omnes enim humores reddunt acriores, viresque prosternunt. Alvus sit aperta, si cunctetur, emollienda pilulis laxativis, aloëticis, marycostinis, tartareis & aliis. Gaudium quantum possibile excitandum, ira removenda, & Venus pestis instar fugienda, quae effraena non male parva epilepsia, vel apoplexia vocatur. Tantum! Deo interim ter maximo sit laus & gloria sempiterna.

DISPUTATIO XVII.

J. N. J.

CONSILIUM DIAETETICON RATIONALE

Pro

HAEMOPTOICO,

RESPONDENTE

PETRO BERNARD, Arnetensi Gallo Burgundo.

B. C. D.

§. I. *Haemoptoici* leve subinde adhibita ope convalescunt, praesertim ubi larga est ἀναγωγὴ: extra enim vertitur sanguis, nec subit intus in ipsum parenchyma, a quo introitu puris sputum metuendum. Vidimus tamen unum vel alterum non sine operoso remediorum apparatu pristinam recuperasse valetudinem; alios vero caput & promontorium bonae spei jam videntes ex insidiis circumventos suffocatos fatis cessisse. Quamvis enim sanguinis sputationes (*verba sunt Hippocraris*) juvenibus sint familiares, adeoque huic aetati minus periculosae, tamen *eodem teste* sanguinem superne efferri qualescunque sit malum est. Itaque in gratiam *haemoptoici* viri peregrini, & in flore aetatis constituti *consilium diaeteticon rationale* impraesentiarum scribam, quum ut plurimum in his affectibus plus valeat diaeta, quam pharmacia, ipsique *haemoptoici* quandoque securiores sint notis ineptisque remediis, quam in Medicorum (rectius Medicastrorum) fide, iniquissimam mercedem ex supervacua curationis mora interdum captantium.

§. II. Inter res autem, ad vitae, valetudinisque conservationem non solum, sed & morborum curationem necessarias, primum locum sibi vindicat *aër*. Hunc fugiat *noster*, si frigidus, crassus, humidus, aut peregrino aethere contaminatus, vel salibus acidis, acribus, vi corrodendi, vel coagulandi praeditis, impraegnatus fuerit.

§. III. Nocent venti boreales ex angusto in angustum erumpentes spatium. Vespertini omnes pectori sunt infensi. Studiosus pius & doctus obiit ex phthisi, mihique vel centies toto morbi tempore conquestus est de vento, cum locum angustum horis vespertinis transiret, olim admisso & ore hausto, ex eo enim tempore coeperat sanguinem spuere, deinde pus. Quippe vasa majora pulmonum magis exposita sunt injuriae aëris, quam aliarum partium vasa sanguifera, unde vel citius rumpuntur a fervore, vel saltem sanguis ibidem facilius labem contrahit.

§. III. Itaque emendandus & corrigendus est *aër*, quoties ejusmodi intemperies & periculi plena tempestas occurrit. Instructo eum in finem luculento camini igni, ligno juniperino, quercino, fagino, vel pini, fraxini, betulae, sustentato.

Huc

Huc suffimigea spectant, usque adeo efficacia, ut *Helmontius* non sine ratione immensum doleat, suffituum remedia altiora pene supprimi: excitantur autem vel siccis odoriferis ex styrace, laudano, succino, benzoin, thure, mastiche, gummi animae, & quod instar omnium est ligno juniperino, in plenilunio collecto, carbonibus injectis: vel humidis ex aquis fragrantibus & balsamicis ignito lapidi aspersis, aut in aeolipila rarefactis, ver. gr. ℞. *aq. rosar. opt. lavendul.* āā. q. v. misceantur exactissime pro suffitu.

§. V. Inquinatur aër effluviis e sordibus, & quisquiliis in angulis oppidorum, & urbium collectis, vel e locis paludosis, & uliginosis exsurgentibus. Non raro inficitur humano miasmate, ubi videlicet plures homines in uno degunt cubiculo, hinc suademus nostro, ut seorsim in conclavi habitet, vel in rus abeat, praesertim tempore vernali (*vere sanguinis profluvia*) & autumnali, ad imitationem *Ausonii*, scribentis:

Me quoties mutare locum fastidia cogunt
Transeo & alternis rure vel urbe fruor.

§. VI. *Cibum* commendamus laudabilem, boni succi, facilis concoctionis, & digestionis: ver. gr. panem siligineum probe coctum, sed non omne carentem surfure, quia sic & abstergit, & consolidat: juscula carnis bubulae, vel gallinaceae, avenacea, hordeacea, oryzata, amygdalata, aliaque cum chaerefolio, urtica, & numularia alterata: rapa, cydonia, poma dulcia, carnem bubulam, vitulinam, leporinam, vervecis junioris, ferinam, gallinas, capones, gallum Indicum, alaudas, turdos, aviculas nemorales & montanas omnes, vitatis aquatilibus. Pedes porcorum, vitulorum, & cervorum cum gelatina ex passulis, amygdalis, nucibus pineae, & pistaciis praeparatos: pulmenta ex manna Polonica, nec non butyrum cum melle, comedat saepius. Horum ferculorum comites perpetuae sint perdices, quae omnibus in affectibus pectoris praeferendae, praesertim si cum Medico amice dividantur. Pisces rarioris sint usus. Ubivis exulent piper, zingiber, acetum: cibi vero condiantur croco, nuce moschata, & melle.

§. VII. Circa sumendi modum monemus, ut cibos molliores, liquidos, & intense calidos (quantum ferre potest) aliis praemittat. Comedat bis de die; coena prandio sit brevior, & magis frugalis, a qua semel, vel bis in septimana abstineat, eaque vespera, & sequenti mane potum thee largius bibat, ut & mucus stomachalis attenuetur, & totius corporis obstructiones tubulorum reserentur.

§. VIII. Inter *potulenta* ea saltem concedimus, quae in ventriculo non facile acescunt; aut acido tum occulto, tum manifesto noxam minantur. Utroque vitio vinum laborat, solo excepto Gallico, vel Hispanico generoso, cujus aliquot cochlearia immediate a prandio vel coena concedimus lubentissime. Eandem merentur virgulam liquores vinosi omnes acido volatili contaminati, quo spiritus vini refertur, vulneratis, & consequenter *haemoptoicis* infensissimus. Omnium difficillime & rarissime acescit aqua, quae propterea non poterit non Nostro esse proficua, praesertim si cum pane, radice liquiritiae, vel chinae, vel salsaparilla, sassafras, cornu cervi, foeniculo, floribus violarum, vel bellidis coquatur. Majorem pro nostro scopo acquiret virtutem, si cum farina avenacea cocta calide bibatur, quo pacto & sitim sedabit, & pectus solabitur. Sed quum tenuis ille potus non omnium arrideat palato, eligat Noster cerevisiam, quae nec recens sit, nec annosa; commendamus autem inter tot cerevisiarum genera Marburgensem, Lignicensem, Bregensem, Hanoveranam, Bernaviensem, Torgaviensem, Anglicam; & quae nunc inter has tardius acescit, prae aliis corollam meretur, qua jure superbit *Brunschwvicensis* duplex, nam quum Nautae lineam, sive aequatorem nuperrime transirent, omnia potulenta, quibus naves instructae erant, acorem contraxerunt, sola *Brunschwvicensis* excepta, quae & saporem, & odorem servavit.

§. IX. Prolixiori encomio dignum quoque censemus *hydromel Pollionis Romuli* auctoritate condecoratum. Hunc centesimum annum excedentem divus Augustus hospes interrogavit, quanam maxime ratione vigorem illum animi, corporisque conservasset; ille respondit: *intus mulso, foris oleo.*

§. X. Bibat Noster ter in mensa; post coenam rarius: nunquam noctu. Quod si vigiliae molestae sint, licebit potum vespertinum degustare. Potus sit calidus, vel ad minimum refractus & temperatus; omnia enim frigida pectori sunt inimica.

§. XI. *Somnus* omnes compescit excretiones praeter sudoris halituosa effluvia, huic ergo indulgendum. Tempore somni omnes fermentationes sunt fortiores, quamvis noctu ordinario sint debiliores: concurrunt calor lecti, & spirituum animalium excursus sufflaminatus. *Vigiliae* non protrahantur ab altera parte in multam noctem: dormire noctu oportet, vigilare interdiu, contrarium malo fit aegri.

§. XII. *Alvus* suo quotidie bis vel semel respondeat officio, omnes enim repletiones, ubicumque sint, sunt *haemoptoicis* noxiae. Sin alvus segnior fuerit, enemate domestico, passulis laxativis, prunis vel butyro adigatur ad obsequium: aloëtica omnibus male audiunt, utrum jure an ex praejudiciis, decernendum erit in cathedra. Porro si forte Noster fluxum haemorrhoidum antehac expertus est, idem beneficium grato praestolabitur in posterum animo; nam fluxus haemorrhoidum haemoptoicorum est anchora salutis & refugium.

§. XIII. Tempore vernali ventilatoriam commendamus *venaesectionem*, quamvis enim non tanti faciamus phlebotomiam, tamen hoc in casu multam nobis ratione praeservationis facit spem. Nam sanguine imminuto, vasa pulmonem minus premuntur, & sanguinem intra terminos cohibent. Admittat ter vel quater in anno *scarificationem* in brachio: sinistro autem *fonticulum* gerat.

§. XIV. *Sudores* quoque singulis septimanis mane in lecto provocare juvabit, quo ipso & urinae profluvium, & flatuum resolutio egregie promovebitur, quippe sudores abdomini, vel imo ventri prae aliis vaporoso, egregie conveniunt. Eundem in finem *potum thee* cum essentia balsami Indici commendamus, quo vix datur in quamplurimis morbis praestantius remedium.

§. XV. De *Passionibus* animi notum est, quod nunquam sine sanguinis insolita commotione existant, hinc iis mature frenum erit injiciendum. Modum compescendi felicius ex aureo *Renati des Cartes tractatu de passionibus animi* addisces, quam ex Medico practico.

§. XVI. Sicuti autem omnia vi exagitatoria praedita haemoptoicis nocent, ita ipse *motus* concitatior, & quo motus fluidorum intestinus augetur, progressivus autem imminuitur, omni modo fugiendus: vitabit sedulo celerem scalarum ascensum, cursitationes, vociferationes, sternutationem fortiorem, sermones longiores: submisse & parum loquendum,

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.

Haec autem in Nostro prosint, faxit, quod omnia potest, supremum Numen.

DISPU-

DISPUTATIO XIIX.
MONITA MEDICA CIRCA OPII ET OPIATORUM USUM,

RESPONDENTE

PHILIPPO HENRICO CHUNONE, Cassellano Hasso.

J. N. J.

MUlta medicamenta, a quibus miseri aegrotantes salutem expectant, esse instar lupi domestici, ferinam suam nacta occasione exercentis in sanguinem humanum lanienam, cum *Helmontio* nostro per ignem Philosopho, agnosco lubens: quot enim hic a purgantibus, praepostere & intempestive propinatis, factas vidit clades, tot opiata infelici exhibita manu edidisse strages, ocularis sui testis, similium tragoediarum non raro spectator, nunquam (Deo sit laus) actor. Hinc forte non sine fructu monita quaedam circa opiatorum usum proponentur, ex quibus tandem cautius mercari discent illi, quibus hactenus infesta generi humano insedit opinio, morborum violentiam citius refraenari non posse, quam ab opiatis frequenter propinatis; tantum enim abest, ut illi rectam servent medendi methodum, ut potius se Deo, & hominibus reddant inexcusabiles, nihilque aliud gloriari possint, quam se morbos quidem curasse, aegros vero obiisse. Nec est quod de artis medicae contemtu toties conqueramur, quam non sine luctu hodierno seculo pessundari cernimus, & quae juxta effatum *Hippocratis* propter ignorantiam eorum, qui eam exercent, omnium artium infima censetur: ratio enim stat praeforibus. Soli namque medicinae nulla poena in rebus publicis statuta est, praeterquam ignominiae. Verum haec non laedit eos, qui ex ea conflati sunt.

Itaque in praesentiarum nobis sermo erit de opiatis, quae sunt medicamenta spiritibus animalibus obicem ponentia, unde cerebrum subsidet, & omnes statuae humanae cessant actiones, sola excepta respiratione, & pulsu. Ab aliis definiuntur, quod frigiditate sua (non subjective semper, sed affective tali) calorem, & spiritus animales in torporem, ac stuporem quasi conjiciant, ne id, quod quovis modo dolorificum est, percipiant.

Vocantur alias etiam stupefacientia, somnifera, & narcotica, non narr-cotica, ut olim nonnemo jocari solebat? ad quae certis in morbis caeteris nihil proficientibus confugere licuit: verum haec lex, a veteribus sancita, nunc adeo vilescit, ut Empyrici, Medici temerarii, & quivis sanguisugae armata manu in genus humanum saeviant, opiata sine discrimine in quibusvis etiam morbis exhibentes. Nempe tam sanctum nihil est, quod non corrumpat diuturnitas temporis, multaque probe a majoribus instituta, uno senectutis vitio deflectunt in turpissimos ritus (liceat sic loqui cum *Barclajo*) & senescentibus legibus juvenescunt delicta, quasi odierno tempore liberius occidere liceat.

Gaudent equidem opiata suis privilegiis, nec ego illa de possessione, quam a multis habuere annis, deturbare fatago: sed hoc saltem intendo, ut ipsorum abusum perstringam, & vim deleteriam cuivis a praejudiciis libero ob oculos ponam. Certum enim est, vim illam somniferam, quam ab effectu multi colligunt, imposuisse quamplurimis; quum opiata proprie loquendo non habeant vim somniferam, testantibus historiis medicis, plurimos ab assumtis opiatis statim fuisse factos languidos, pulsu & respiratione ad sensum laesis, foedoque facie colorata colore sine ullo etiam soporis vestigio, & elapsis tribus, vel quatuor horis vigilan-

tes

tes ex hac vita emigrasse, non viso mortis fratre somno. Et observavi, hoc ut plurimum lethale, & funestum esse signum, si paulo post exhibitum opium pulsus debilior, & respiratio difficilior, nullo subsequente somno, reddantur; quod in sequentibus luculentibus demonstrabitur.

Antequam autem ostendamus, quibus in casibus opiata aegro funesta, Medico vero infamia fieri soleant, prius inquirendum erit in ipsorum qualitates, & operandi modum. Circa quod negocium aliquot Medicorum sectas deprehendo, quas in tres redigo ordines.

Qui corticem lambunt, & saltem in veterum acquiescunt placitis, ut aliis corporibus naturalibus, sic & opiatis suas peculiares tribuunt occultas virtutes formae specificae proles, a quibus omnes actiones deduci posse autumant. Qui rerum naturalium phaenomena inquirendi modus facilis quidem est, & cujusvis captui accommodatus, verum adeo ficulneis, & infirmis incedit gressibus, ut istiusmodi principia etiam in lusus abierint, & in theatris publice spectatorum cachinnis exponanturi, quod videre est ex tractatu *le Malade Imaginaire comedie representee sur le theatre du Palais Royal* inscripto. Ubi novus doctorandus in consessu viginti quinque Doctorum, sex seplasiariorum, & decem Chirurgorum rigoroso subjicitur examini, quem inter alia primus Doctor his verbis alloquitur.

Si mihi licentiam dat Dominus Praeses.
Et tanti docti Doctores,
Et assistantes illustres.
Tres scavanti Bachliero,
Quem estimo & honoro,
Domandabo caussam, & rationem
Quare
Opium facit dormire?
Huic respondet Baccalaureus.
Mihi a docto Doctore
Domandatur caussam, & rationem
Quare
Opium facit dormire?
A quoy respondeo,
Quia est in eo
Virtus dormitiva,
Cujus est natura
Sensus assoupire.

Data hac responsione acclamat Chorus.
Bene, bene, bene, bene respondere
Dignus, dignus est entrare
in nostro docto corpore.

Alii qui qualitates vulgo primas dictas nimium venerantur diu inter se certarunt de opiatorum natura, utrum calida instructa sint qualitate, an vero frigida? Et quum in opio quod basis est, reperissent vim stupefaciendi, & effectum frigidum, statuerunt opium esse somniferum, quia sit frigidum. Falsa haec assertio non parum auxit Medicorum audaciam in exhibendis opiatis, siquidem vix credibile erat, tantum frigus in aliquot saltem granis latere, quod sanitati nostrae exitiosum esse posset. Hos *Helmontius* prolixius refutat in tractatu *potestas medicaminum*, inquiens; stupidum sane commentum est, quod somnus a frigore fieret, nec intelligibile, quomodo unicum opii granum sat frigoris in stomacho causetur. Cur amaricat opium? & amaror in scholis praedominans calidus censetur? Itaque alterum eligant scholae est necessum. Nempe vel quod frigus opii non sit excedens,

& per

& per consequens opium somnum non faciat per frigus: vel quod amaror sit fal lax caloris indicium in scholis. Cur enim frigida portulaca pro suo tertio gradu non est somnifera? Cur manipulus portolacae non aequivalet binis opii granis: quum opulentius frigus sit, ac potentius refrigeret, in tanta particula, quam in tantillo opii.

Tandem alii, iique non infimi ordinis, videntes opium inflammabile esse, ardorem etiam, & sitim ejus usum subsequi, illud calidum esse, non sine ratione statuere; & quia per calorem vim narcoticam explicare nequeunt, Neotericorum adjuti principiis ratione, & experientia vestitis sal quoddam acre opio inesse demonstrant, quod spiritus animales ligando totam oeconomiam animalem ita turbare possit, ut subtilis spirituum animalium textura morbose mutetur, & succi nutricii decens distributio, & valde necessaria *assimilatio in momento inhibeatur*, quo cessante languescant omnia, corpusque trunci instar jaceat, & homo sepulchro magis, quam societati idoneus evadat. Ubi iterum ὁμόψηφον habemus magnum per ignem Philosophum. Ego, *dicit*, in opio salem acrem soporiferum, & amarum oleum invenio, longe ab opii odore recedens, attamen soporiferum: *vide locum supra citatum*. Quod alii per sulphur foetidum fieri explicant, nec sic quidem male, quum videamus, quam per longinqua spatia spargi possint exhalationes foetidae, & quam infensae sint (tum sensibiliter per nares, tum insensibiliter per meatus minutissimos admissae) liquori animali, ut non raro animi deliquium aliosque graviores cerebri affectus excitent.

Ut haec melius intelligantur, notandum: vitam nostram in perpetuo esse fluxu, ejusque conservationem in perenni succi nutricii distributione consistere, quae ab anima sensitiva, & vegetativa, hoc est liquore vitali, & animali, dependet: & ut singulis pulsibus liquor vitalis protruditur, sic singulis etiam momentis totius corporis partibus praesertim vero fluidis nonnullae particulae decedunt, & vel in auras abeunt, vel iterum versus cor refluunt: hinc necesse est, ut aliae particulae in tubulis fluctuantes in deperditarum substituantur locum, sicque partium textura actionibus edendis conveniens conservetur, ubi duos prae aliis deprehendimus motores, spiritum vitalem, & animalem, quorum ille alimentum suppeditat, alter vero per nervos una cum succo quodam influens assimilationem expedit, & in nutritionis negocium non superficiariam navat operam. Duobus hisce motoribus rite constitutis omnia pro voto peraguntur, quod si in unius, vel alterius systasi quid mutetur, nutritio vel plane tollitur, cum partis nutriendae mortificatione, vel saltem vitiose peragitur.

Tale quid ab intempestivo opiatorum usu in oeconomia animali fieri, paucis ibimus probatum. Deprehenditur paulo post opium temere exhibitum frigus cadaverosum in universo corpore, quoniam liquor animalis ab acribus opii exhalationibus, & lethali afflata aura in acorem degenerat, & ita figitur, ut vel plane non influat ad partes nutriendas, vel quamvis nutritioni adstet, tamen ob mutatam crasin illam dirigere nequeat. Dum interea vitalis destitutus consueta irradiatione, & nova, quam semper ab altero adveniente socio acceperat, effervescentia deficiente iners redditus in vi sua expansiva sanguinis partes ad se accedere, & vel in partibus haerere, vel segnius versus cor fluere permittit. Et quum cordis motus maximam partem a spiritibus animalibus dependeat, non potest non ibidem etiam opiati funestus effectus sanguinis rarefactionem impedire, ipsumque cordis fontem perturbare, unde frigus toto in corpore.

Quum vero pori, alias a spiritibus inflati, & tubuli, a particulis expansis dilatati, tunc coëant; aquosiores sanguinis particulae tardius motae, antea sub halitus forma exeuntes, nunc larva mutata sub specie madoris frigidi prodeunt, & frigidos constituunt sudores: praesertim quum degener liquor animalis acidus sanguinem

nem fundat, & in partes serotiores praecipitet.

Ob hujus succi nervei influxum frustratum omnes languent partes, oculi torvent, excrementa foetent, & totum corpus ab immani illo hoste immane quantum afflictum cadaverosum spirat odorem: qui foetor ab opii acido in sulphureas agente partes provenit, siquidem omne sulphur in lixivio solutum, ab acido affuso foetorem acquirit, antea inodorum, quod observatur in praecipitatione sulphuris antimonii ex scoriis reguli ejusdem cum aceto facta.

Soporem non a cerebri pororum obstructione, sed tanquam productum a spirituum animalium, vel depauperatione, vel fixatione oriri, qualis in jejunio consumtis, vel immodicis laboribus delassatis contingere solet, observatur, quem somnum appellare nefas esset, cum aegro potius laboriosus, quam fructuosus.

Sane nisi nutritionem ab aura illa narcotica, quam in glutine volatili valde acri consistere conjicimus, primario frustrari supponamus, non video quomodo per solam somnolentiam gravissima illa symptomata, quae opiata excitare solent, explicari possint. Quapropter omnes monentur, ut non tam liberales sint in propinando hoc toxico, nutritionem remorante, sed ubivis prudenter agant, quia juxta *Hippocratem in tract. de natura hominis*. Medicinae cognitio sapientiae soror est ac contubernalis: & quis nescit, irreparabile damnum ab opiatis oeconomiae animali affricari, ut vel penitus destruatur, vel postmodum nunquam ad pristinum vigorem reduci possit: testantibus id innumeris exemplis medicis.

Quo vero ad specialiora perveniamus, omnes affectus in specie recensebimus, in quibus opiata raro tuto exhibentur. Jubemus autem exulare opium tum in praeservandis tum in curandis affectibus soporosis, quales sunt apoplexia, epilepsia, lethargus, paralysis, memoriae imminutio, vertigo, &c. quum enim in his alacritas spirituum animalium quam maxime desideretur, videndum ne ab opiatorum usu exoticum induant schematismum, & pensum suum non absolventes systema nervosum omni destituant irradiatione.

Valde quoque in mania suspecta sunt opiata *Helmontio*, quamvis enim somnus Maniacis conveniat, talis tamen esse debet, a quo requies expectanda non labor, quia somnus laborem adferens malus, *juxta Hippocratem*. Narcotica vero dant somnum molestum, hinc recte *Helmontius de Lithiasi*: errant igitur insigniter, qui maniam opiatis compescere satagunt. Quum omne opiatum sit in se amens, quia amentia nihil praeter somnium vigilans.

In visus imminutione, & auditus difficultate nocent opiata. Et vidi mulierem cui haemorrhagia uteri extremum minabatur periculum, opiatorum usu in caecitatem incidisse, nullis cedentem remediis, ratio enim evincit, spirituum lumen non parum ab opiatis obtenebrari, ut sic inepti ad munia sua obeunda reddantur.

In Phthisi quid narcoticis deterius? pus incrassant, respirationem imminuunt, vires prosternunt, & nihil eorum omittunt, quae mortem accelerare, & vitam abbreviare possint: *clarissimus Timaeus a Guldenksee* in pleuritide conjugis opium naribus obtulit successo non contemnendo: sed cave ne exemplo tali audacior factus simile quid vel graviora tentare velis. Dum quum faciunt idem; non est idem: nec cuivis contingit adire Corinthum: siquidem opium RHOMPHAEAE typum habet, aut ensis bifidi, quem si incauta, furiosa, aut delirantis manus tractaverit, jugulum petit, herumque confodit: viceversa qui dextre eum versare noverit, huic animum subsidium, certa defensio ac patrocinium futurus, sic improvide propinatum, vitae & necis solet esse libamen.

In asthmate pituitoso res est periculi plena opium, cujus usu aegri in suffocationis metum praecipitantur.

Anginae, omnesque febres malignae, variolae, & morbilli nuspiam tuto curantur opiatis, & rogo te per amorem Dei, ut in morbo Ungarico, febre petechiali, & simi-

similibus morbis illis abstineas: quomodo quaeso figentibus spiritus vitales, & principia activa ligantibus addimus robur naturae? Nonne manibus ligatis induciae dantur morbo, ut eo profundius sanguini innidulari possit. Et vel solus ille motus contrarius, qui ab opiatis conciliatur, maximam infert vim naturae, siquidem omnia fluida nobis dormientibus magis versus centrum, quam versus peripheriam, vergunt. Quapropter potius in excubiis standum, & spirituum cohortes ad pugnam incitandi, non ad soporem componendi essent: neque vigiliae tantum damnum inferent corpori, quantum tu opiatis tuis imprudenter exhibitis. Et vide ne tibi accidat, quod in actis medicis refert *illustr. Barthol.* ubi dolore a narcoticis sedato, aegra ab eo tempore correpta fuit vertigine, stupore & imbecillitate capitis, ut hic plus mali, quam illic boni fuerit. Semper ergo cogitandum: si non potes prodesse, non debes obesse. Et quamvis unus vel alter suam jactet felicitatem, & opiata in his morbis summo cum successu exhibita esse contendere velit, tamen nusquam tuta fides, & una hirundo non facit ver. *Helmont.* durius loquitur *tract.* RETENTA; inquiens: quaevis avis juxta rostri sui modulamen vocem edit, loquiturque quisque de nundinis, juxta atque in iis profecerit. Si enim eventus parum secundos, & infaustos cum prosperis successibus conferre vellemus, hos illi plurimum excedent. Sed terra illos tegit, quam sicco terimus pede: dum interea felices successus sublimia petunt, & famam aucupantur.

Ipsi ventriculo infestum esse opium, a nausea, & vomitu fidelissimis ejus pedissequis colligitur. Confirmantur illa symptomata historia oppido rara, quam *Thomas a Willis* enarrat de viro robusto, & mediocriter sano, qui ab usu opii illico circa ventriculum de gravamine intolerabili, ac stupore conquestus intra quatuor horas interiit. Observarunt etiam mecum alii, plurimis opium vomitum excitasse, non sine praecedente anxietate, nausea & perturbatione, quam brevi post stomachi contractio, & ascensus insecutus, unde vomitus. Ut enim spirituosa cordialia, quamprimum in ventriculum pervenerint, auram suam vitalem ita explicant; ut omnes totius corporis partes exinde largam, vel in momento etiam percipiant refectionem. Modo haud absimili spiritus animales, & humores ventriculi in villa illa lanuginosa narcoticorum tincturam virulentam, & irritativam imbibunt, a quibus fibrae nerveae, tunicam interiorem contexentes, & hanc crustam sustinentes, illam hauriunt, & ad satietatem impletae corrugari incipiunt, & fibras carneas superstratas in spasmos ciere. Quum vero spiritus sibi sint contigui, aura talis maligna ad Palladis arcem delata, primo incolas cerebri concutit, post mutata systasi ita figit, ut nisi novi advenientes pulsui edendo, & respirationi perficiendae adhuc sufficientes essent impossibile foret, hominem vel ad momentum etiam supervivere posse.

Ut enim saepius stomachus insons capitis luit poenas, & perturbatis in cerebro spiritibus animalibus, alii in ventriculi nerveis fibris similem ἀταξίαν concipiunt, quod in vulneribus capitis, vel cerebri, nec non vomitionibus in curru, vel navigio vectis manifesto videmus: sic etiam spiritus animales in ventriculo lacessiti, vel halitu venenoso contaminati, cerebri incolumis malum communicare possunt.

Illi quibus alvus contigit segnior, cane pejus fugiant opium. Imprudens quidam sed temerarius chirurgus clysterem opiatum injecerat viro consistentis aetatis; a quo alvus adeo muneris sui fuit oblita, ut quamvis tam lenitivis, quam fortioribus purgantibus saepissime etiam moneretur, raro tamen expectationi satisfecerit: sic incidit in scyllam charybdin vitaturus.

In dysenteria quid praestet opium, ostendimus in peculiari *disputatione de dysenteria maligna*. Quapropter crambem bis coctam nauseantes transitum facimus ad litteratorum morbos, quos uno nomine affectu hypochondriaco indigitemus.

Certe si in aliis prudentia, & circumspectione opus est, in his quam maxime requiritur, in quibus spiritus animales continuo fluxu, & refluxu, innumerisque super glandulam pinealem ductibus, jam dum delassati variisque anomaliis obnoxii sunt. Siquidem nemo erit, qui nesciat, quot quantisque eruditorum hominum corpora exposita sint periculis atque aegritudinibus. Dum non unus, non duo, non decem morbi, sed plures doctis insidiantur: multi eorum assidue meditando, legendo, scribendo totumque vitae tempus studiis ac lucubrationibus terendo, robur suum ita exhauriunt, ut non pallescant solum, verum misere tandem contabescant, nec tam labefactando corpus, quam plane absumendo funditusque destruendo liquorem animalem pessundent; unde forte non multum aberravit eleganti sua allusione ille, qui MINERUAM dictam, quod MINUAT NERVOS, vel spiritus animales seu liquorem nerveum existimavit. Alius non minus ingeniose enuntiavit, litteratos, chartas sive libros assidua versantes manu, in viros tandem chartaceos, hoc est infirmos atque valetudinarios evadere, & tamdiu litterarum invigilare studiis, donec tandem corpus cacochymicum cachecticumque istius diligentiae merces existat: de quo vide *Spigelii dissertationem praeliminarem de prima infelicitatis litterariae origine. Et celeberrimi professoris Heidelbergensis Domini Doctoris Franci dissertationem de studiorum noxa*. Quae mala quum a spirituum animalium attritione proveniant, litterati potius restaurantibus, & spiritus animales regenerantibus, refocillari deberent, quam vel perniciosis opiatis, vel purgantibus etiam illis colliquativis in majus malum praecipitari.

Hydropico, viro opulento, cujus cura mihi erat demandata, Judaeus nequam, Doctor asininus, clam exhibebat *requiem Nicolai*, & sic non Medici, sed venefici praestitit officium. Nam aeger expiravit in sopore, & ad veram deductus requiem docuit sapere adstantes, ne illis adulatoribus, quo mitiori vocabulo notantur *a Septalio*, imposterum tam faciles largiantur aures.

In haemorrhoidum, & catameniorum fluxu, imo quibus vis haemorrhagiis opiata nigro notanda sunt carbone. Si enim in principio fluxus exhibeantur, illum supprimendo fiunt lerna malorum: sin vero expectetur, donec vires sint confractae, & languidae, tunc eas penitus convellunt, & oeconomiam animalem ita labefactant, ut si non subitanea, tamen lenta subsequatur mors, quam cachexiae lethales in his casibus satis confirmant.

Infantibus, in quibus spirituum gressus infirmi adhuc, & instabiles: tum etiam senibus, in quibus valde debiles, nocent opiata. Et mallem ut in infantium tenellulorum morbis curandis omnimodo ab opiatis abstineretur, quum alia innumera sint, quae hos morbos debellare possint, de quibus consuli debent *cl. Sylv. & Doct. Ettmullerus*; ille in suo de morbis infantium tractatu: hic vero in valetudinario infantili methodo accurata descripto.

Quamvis vero multi e Turcis impune excessus in opiatorum usu ferant, id tamen non de omnibus dici potest, siquidem notante *Freitagio* opii devoratores, etsi ejus usu recte valere, & minime laedi videantur, tamen frigidiores redduntur, eorumque functiones sunt deteriores; Ebrii & torpidi fere perpetuo apparent, fiunt comatosi, stupidi & inconstantes, modo affirmantes modo negantes: adeo ut caveant tractare commercia, & conversationes fugiant, ut etiam in dicterium, convitio non absimile, quod sibi mutuo objiciunt, abierit: *tu edisti opium*. Non aliter quam cum nostrates alicui temulentiam, & ebrietatem exprobrant. Et videtur in regionibus nonnullis humidis, & mari confinibus tutius exhiberi opium, quam in his ditionibus. Hinc saepius miror, Sylvium, Barbette, Deckerum, aliosque Batavis tam crebro, & in insueta dosi exhibuisse, quorum vestigia si quis his in locis terere vellet, brevi suae audaciae lueret poenam, bonae famae dispendium. Quapropter omnes adhortor novellos practicos, ne nimium auctoritatibus in praxi tribuant: intelligenti satis.

Quod

Quod enim opiata in iisdem etiam affectibus non semper eosdem, sed diversos edant effectus, & quare a nonnullis sine noxa fuerint assumta, partim a liquoris animalis, & vitalis diversa dependet constitutione, partim a consuetudine. Illud confirmat *Helmont. in tractat. contrariorum nescia*; dum scribit, sopores tam morbosos, quam artificiales sive opiatorum optime debellari per lixivia; hinc si salia lixivialia praedominentur in sanguine, acidum illud opii volatile sive sal acre non tam facile virulentiam suam exercere poterit, siquidem *vis salina* potenter *infrigit acida*. Et haec forte ratio est, quare incolis loci maritimi, de quibus supra dictum opiata largius, & tutius possint nonnunquam propinari. Quum enim hi cibis salitis, & fumo exsiccatis frequenter utantur, non dubitandum erit liquores vitales lixivialem inde nancisci dispositionem, de quo tamen suum cuique judicium liberum relinquimus. Hoc vero Patroni tabaci proprio exemplo docent evidentius; videmus enim, quam gravia excitet nicotianae fumus in non assuetis symptomata, quae paulatim mitescunt, & tandem plane cessant, quamprimum quis assueverit foco assidere & ignem, Vulcani delicias, devorare. Regionum diversitates lubens silentio praetereo.

Antequam autem dissertationi huic finem imponam, monendus est Lector, quod opiata non penitus e republica medica eliminanda velim, utpote qui non diffiteor, in plurimis admiranda praestitisse opium; in quibus colligendis laudandum suscepit laborem *C. L. Tilingius in celebri suo de laudano opiato tractatu.* Et cujus naturam graviori stylo non minus docte, quam accurate descripsit *celeberr. Jenensium professor D. D. Wedelius in sua opiologia.* Novi etiam, quod in justa quantitate cumque aliis circumstantiis apte congruis exhibitum, nonnunquam sit salutis anchora, quatenus spiritus quosdam efferos debellat, oliosque prorsus extinguit, & animae sensitivae nimiam impetuositatem compescit, ut contractior facta velut se intro subducens quieta jaceat: pari fere ritu, ac cum flammae vehementius erumpentis aquarum inspersio ambitum coërcet, & intra limites continet. Verum haec omnia praestant opiata, quatenus deposuerunt connexum suum virus: illud vero segregare, hoc opus hic labor est.

Opium certe est instar numismatis, cujus una phasis angelicam prae se fert faciem, altera vero diabolicam, & monstrosam exhibet. Hinc teste *Helmontio* felix ille aeger, cujus auxiliator Medicus novit lethalia e papavere separare, retento auxilio excitatore potestatis in duumviratu: alioquin sane nocuum cum proficuo simul assumuntur, unumque impedit alterius profectum. Opiata enim non debent inducere somnum, sed saltem cohibere recessum spermatici, & alimentarii liquoris in degenerem, & cadaverosum humorem.

Totum autem negocium consistit in hoc, ut scias sal illud acre refraenarae, & acidum hostile demere; ergo chymia salutanda, quae te docebit utile ab inutili segregare, & facile voti tui fies compos, si modo debito, & convenienti instructus accedas menstruo. De quo alibi sincere tecum agit illustris Langelot. Tu Lector benevole, si meliora habes communica; sin minus his utere mecum. Deo ter Opt. ter. Max. sit laus, & gloria in aeternum.

DISPUTATIO XIX.
THESES MEDICAE
SANITATIS STUDIOSORUM METHODUM EXHIBENTES.
RESPONDENTE

JOHANNE WASSERHAUSEN, Fris. Orient.

J. N. D. N. J. C.

PRAELOQUIUM.

Fragilis profecto res est corporis nostri machina, miserrima ejus est conditio, quamdiu in aequore hujus mundi ancipiti velo navigare tenetur. Revocemus saltem ad animum horrendos illos, & indignantes morborum fluctus, quibus immergitur, imo saepe submergitur, nulla hic est aetas, nullum anni tempus, nulla regio, nullum vitae genus, quod ipsorum saevitiae, & indignationi se subducere audeat. Miseret me sane tenerrimorum atque delicatulorum infantum, quos tam misere vexari morbis, quamprimum saltem materni uteri claustro perrupere auramque vitalem hauriunt, videmus: quid? quod vix nati saepius iterum esse desinant. Usque adeo morborum tempestates omnium aetatum ad canam usque senectutem sunt satellites. Non erit anni tempus, quod non largam secum trahat morborum segetem: nullum numerabis diem, qui non multorum morborum sit fertilis: vix reperies mundi angulum, ubi non adsit numerosus morborum proventus, quorum prolixus catalogus a Sene *nostro* sectione tertia *suorum* aphorism. *describitur. Concomitantur morbi longa itinera facientes, & ad extremos Indos navigantes, ingrediuntur munitissima Martis, imo & ipsa proh dolor! artis castra, ibidemque devotissimos Musarum cultores adoriuntur, & multoties crudeliter jugulant; quapropter quum gravissime isti morborum insultus, praeprimis quando cerebri moenia perfringunt, ac mentis arcem devastant,* STUDIOSOS, *afficere soleant, operam me non lusurum confido, si pro tenui ingenioli facultate exercitii gratia sanitatis* STUDIOSORUM *regimen paucis demonstravero: cui proposito supremum Numen faveat, supplex rogo.*

THESES.

I. Integra statua humana fruitur *sanitate* suisque actionibus edendis dicitur idonea, quando sanguis legitimam atque convenientem prae se fert crasin, & mistelam, adeo ut nec in vasis abundet, neque etiam, quamvis ex sexcentis juxta *Hippocr.* constet particulis, vitiosa quadam qualitate ex praedominio quodam hujus, vel istius generis particularum sit contaminata, quin potius omnes, quaecunque etiam sint, amicabiliter & harmoniace ita conspirent, ut nullae harum prae aliis in sanguine effectent imperium, & praedominium.

II. Quod autem de sanguinis mistura jam dictum, hoc de ipsis etiam succis, & liquoribus fermentativis ex illo generatis, nec non ipsis visceribus intelligi debet, quum nemo inficiari possit ipsa etiam viscera bene constituta, & propriis suis fermentis nobilitata fortes sanitatis esse custodes: testis omni exceptione major est ventriculus, ex quo radicitus quasi sanitas derivatur, & plurimorum affectuum rudimenta in ipso male disposito ponuntur, nam *qualis cibus, talis chylus; qualis chylus, talis sanguis; qualis sanguis, talis viscerum* totiusque corporis est constitutio, qualis corporis dispositio, talis sanitas.

III. Quo ipsa etiam partium solidarum structura, & fabrica referri debet ad sangui-

sanguinis, & humorum misturam, & crasin tuendam non minus necessaria, quando nempe fibrae suum habens convenientem tonum, ut nec nimis laxae, nec nimis durae, & rigidae sint, pori quoque non nimis patuli vel angusti, quae latius extendi possent, nisi ad alia praeparare animus jam esset.

IV. Quoniam autem non una eademque omnibus concessa est sanguinis crasis, & mistura partiumque solidarum fabrica, sed nunc salinae, nunc acidae, nunc fluidae, nunc faeculentae, nunc pituitosae, & aquosae partes in illo eminent, & caput extollunt, hinc maxima *sanitatis* est latitudo ratione aetatum, sexuum, temperamentorum, &c. adeo ut nullum certum punctum, aut terminum, cujus intuitu *sanitatem* metiri velimus, praefigere quis possit, *abhorret* enim *natura ab extremo*; hinc omnis ille sanguis sanus est dicendus, qui, qualicunque modo etiam sit dispositus, modo actionibus certae aetati, temperamento, & sexui convenienter edendis sit aptus: quum itaque totum fere negocium in sanguinis convenientis motus, & misturae conservatione consistat, conabor circa regimen *sanitatis* STUDIOSORUM regulas quasdam proponere, quae non minus utiles erunt aliis etiam aetatibus, juxta quas aliorum etiam ordo facile moderari poterit.

V. I. *Multum, & derepente evacuare, aut replere, aut calefacere, aut frigefacere, aut aliter quocunque modo corpus movere, periculosum est. Nam etiam omne multum* (id est nimium) *naturae est inimicum. Quod vero paulatim fit, tutum est, tum alias tum si quis ex altero ad alterum transeat*: dicit HIPPOCR. *sect.* 2. *aporism.* 51. Nam profecto pessime *sanitati* consuleret quis, qui ab uno extremo statim vellet delabi in aliud; quemadmodum enim in omnibus aliis fermentationibus, quando per contraria augeri, vel imminui debent, gradatim procedendum est, ne fermentum vel nimis exaltetur, vel plane suffocetur, & extinguatur, cujus rei cerevisia regnante Sirio tempore fermentationis a materia subtili nimium exagitata, acescens & putrescens evidens est testis, ita quoque sanguis, cujus mistioni laudabili primas in tuenda *sanitate* tribuimus, si in fermentatione forte peccet, nequaquam vel corrigi vel alterari debet per extremum aliquod, alias enim plus damni, quam emolumenti inde sperandum, cujus subitaneae mutationis, & exinde sequentium malorum plurima exempla admodum funesta hic adducere possem, sufficiat jam unum, vel alterum.

VI. Multi qui subito aërem calidum cum frigido commutant, catarrhis & defluxionibus corripiuntur, quatenus partes activae sanguinem antea valde exagitantes a frigore externo concentrantur, adeo ut pori propter mutationem illam subitaneam sic constringantur, & humores hinc inde restagnantes glandulas serositate adimpleant; vel, qui ex frigido aëre calidum subito intrant, facile febrem ardentem accelerare possunt, nam propter repentinam exagitationem sanguinis motus facillime turbari potest. Phthisis citius radices agere non potest, quam si post vehemens exercitium, & nimiam corporis incalescentiam plenis buccis potus frigidus ingurgitetur; sanguis enim celerrimo passu pulmones peragrans a potus frigiditate propter gulae vicinitatem in momento quasi in suo motu retardatur, ut restagnet, qui tunc acris, & acidus redditus teneram pulmonum substantiam irritatione, & vellicatione continua facile corrodit, & exulcerat.

VII. Idcirco nigro lapillo notari etiam debet illorum consuetudo, qui tempore aestatis sanguine fervente, & corpore calido existente in flumina descendunt, & vehementi conatu corpus frigida perlavant; sic enim in uno momento iliadi morborum fores aperiuntur, potissimum autem obstructionibus, febribus, atrophiae, cachexiae scabiei, languori ventriculi, colicae, dolori capitis, memoriae tarditati, vertigini, incubo, & sexcentis aliis affectibus a suppressis spiritibus, & partibus activis in sanguine indeque enatis obstructionibus oriri solitis.

VIII. II. *A multo tempore consueta, etiamsi fuerint deteriora, insuetis minus tur-*

bare solent, inquit Hippocr. *sect. 2. aphorism. 50.* propterea *semper aliquid concedendum est consuetudini in sanitatis* conservatione, ut ille iterum dicit *sect. 1. aphor. 17.* ex. gr. si quis cibis durioribus concoctuque difficilioribus longis annis fuerit usus, & jam se statim victui tenuiori, & diaetae strictiori vellet accommodare, sanitati suae bene praeesse non videtur, quod westphali, & illis finitimi suo exemplo comprobant, dum victu tenuiori utentes scabiei aliarumque impuritatum fiunt mancipia, quia revera nulla est convenientia fermenti ventriculi, & mistionis sanguinis cum cibis mollioribus: quo etiam respicit illud HIPPOCR. quando alibi dicit: *Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maxime vero pueris, & aliis tali victu uti consuetis.*

IX. III. *Qui bene valent corpore Medicationes aegre molesteque ferunt*, admonet jam saepius laudatus HIPPOC. *sect. 2. aphor. 37.* Idcirco corpus non ita temere purgantibus tentari, & exagitari debet, facile enim turbam in massa sanguinea excitant, adeo ut via expedita sternatur ad febres: ipsa etiam cardiaca, & corroborantia haud ita promiscue usurpanda, sunt enim maximam partem valde spirituosa, & sanguinem facile in flammas erumpere faciunt. De stomachicis autem, alterantibus, & balsamicis aliter sentiendum, quum tantum absit, ut noxa aliqua sanguinem afficiant, quin potius per intervalla adhibita strenui evadant milites contra tot hostiles morborum impetus; qualia sunt: *elixirium proprietatis Paracelsi, elixir antiscorbut. succolada Indica, essent. ambrae, confect. alkermes, blandiora acida, & alkalica urinosa* parcius tamen sumta.

X. Accedo nunc propius ad methodum conservandi sanitatem STUDIOSORUM, quae convenienti sex rerum non naturalium usu maximam partem absolvitur; ergo eo, potissimum dirigenda erit, ut primario ventriculi tonus quantum possibile sartus tectusque servetur, & acidum illud vitale, quod ibi manifestum, in sanguine autem occultum est, religiosius habeatur, ita ne forte a sua dispositione degeneret in ventriculo, neque in sanguine sui juris evadat, *omne* enim *acidum* secundum HELMONTIUM *extra ventriculum hostile* est, quo scopo superato omnis res in vado erit, & laudabilis crasis massae sanguineae inde proveniet, nec non spiritus animales tanquam organum mentis principale, & ingenii ac memoriae promus condus, puri satis volatiles & nitidi generabuntur.

XI. Aër idcirco contemplandus, quo pacto nempe STUDIOSIS in usum sit vocandus, hunc autem occultum quendam vitae nostrae praebere cibum nemo inficias ibit, qui eo saltem respicere velit, quod ne ad momentum quidem sine aura hac vitali superesse possimus, hinc BORELLUS *cent. 3. observ. 38.* refert, quandam in India Medicorum sectam reperiri, quae solo afflatu morbos curandos aggrediatur, ubi exemplum etiam habet hominis per inspiratum aërem in nares, & fauces ad vitam redeuntis, id quod & ipse privatim anatomiae incumbens sum expertus, dum canem omni jam motu vitaque carentem aëre in pulmones inflato in vitam, quasi revocavi; ex quo videre est, quantum juris AER nos ambiens, & singulis momentis per manifestas, & occultas vias inspiratus in sanguinem obtineat, qui maximam partem ab aëre tingitur, ejusque motui facile auscultat.

XII. Est enim AER secundum CARTESIUM corpus valde fluidum, & rarum ex particularum tertii elementi tenuium admodum, & motui materiae aethereae facile obsequentium congerie conflatum; hinc Protheo mutabilior esse solet propter diversi generis atomos a polo, solo & salo ipsi communicatas, mediantibus quibus nunc calidus, frigidus, humidus, siccus nunc turbidus, salsus, venenatus &c. evadit.

XIII. Auram modo dictis qualitatibus affectam Parnassum ambientem, & ab ipsius incolis immoderate haustam multorum morborum fieri seminium, facile perspiciet is, qui *disputationem quintam colleg. publ. Dn.* PRAESIDIS intueri non

gra-

gravatur, quare quantum possibile, vel vitanda, vel si hoc fieri non possit, corrigenda erit. Eligendus econtra aër nitidus, purus, nullisque atomis peregrinis inebriatus, qui sanguinis constitutionem viscerumque tonum conservando laudabili spirituum tum vitalium tum animalium generationi ansam praebeat, idcirco vel inde ruricolae prae aliis sanitate firmiori gaudent, quippe qui in aurora surgentes post claram, & fragrantem hauriunt auram: quo etiam respicit SCHOLA SALERNITANA, quando dicit:

Lucidus ac mundus sit rite habitabilis aër,
Infectus neque sit, neque olens foetore cloacae.

XIV. Porro quum ventriculum nihil magis debilitet ac enervet, hoc est chyli in illo praeparationem ejusque in tenuibus intestinis depurationem magis impediat, & retardet, quam si in cibi ac potus administratione error committatur, & chylus variis vitiis scatens ad primariam animalis oeconomiae culinam cor deferatur sanguinemque in ejus thalamis vitiose effervescere faciat, adeo ut hoc modo variae intemperies tanquam numerosarum maxime tamen degenerum prolium foecundae matres in sanguine parturiant, mature quoque hic prudentia medica adhibenda: *nam vitium commissum in prima coctione non facile corrigitur in secunda, multo minus in tertia*, ut communis Medicorum fert regula.

XV. Hoc autem potissimum provenire solet a copiosiori ciborum ingestione, quo mediante fermentum ventriculi in ciborum coctione, & fermantatione primas tenens, ita obruitur, ut impar reddatur praestando suo muneri; hinc chylificatio superficialiter saltem absolvitur, multaeque cruditates in chylo male confecto remanent, quae sub facie hac deformi sanguini commissae, multarum obstructionum, & subsequentium febrium auctores existunt. Qui hostis a STUDIOSIS propter vitam sedentariam, & continuas meditationes facilius admittitur, unde spiritibus hoc pacto a ventriculo avocatis chylificatio segnius peragitur. Nam:

Ex magna coena stomacho fit maxima poena,
Ut sis nocte levis, sit tibi coena brevis.

XVI, Qualitatem ciborum quod attinet Musarum alumnis maxime nocivi sunt cibi crassi, viscidi, acidi, & fumo indurati, praeprimis illis, qui melancholici, ut vulgo loquuntur, audiunt, & affectibus spleneticis, & speciatim scabie saepe tentantur, quo nomine male audiunt carnes vetulae, caro suilla, ova dura, animalium extremitates, pisces crassiori & densiori corporis habitu praediti, caseus veteranus, quem haud immerito non nemo jocose *nequam* dixit, id quod SCHOLA SALERNITANA etiam vult inquiens:

Caseus, anguillae nimis obsunt si comedantur.

Et alibi:

Caseus est gelidus, stipans, crassus quoque durus.

Videmus profecto quam male infantum ventriculum lac coagulatum, & in caseosam substantiam conversum afficere soleat, ut etiam per totam vitam multi caseum abhorrere cogantur; his enim & similibus cibis sanguinis crassities augetur, ejusque spirituescentia imminuitur.

XVII. Potius conveniunt STUDIOSIS cibi boni, succi, & facilioris digestionis, sale volatili, vel acido blando gaudentes, panis videlicet bene fermentatus & coctus, juscula ex oryza, hordeo & avena parata, raphanus, lactuca ex endivia, rapunculo, cochlearia, & nasturtio confecta. Poma Borsdorffiana, cydonia, citrus, ribes, berberes, amygdalae. Carnes juniores in specie bubulae, agninae & vitulinae. Ventriculi animalium. Anseres juniores, alaudae, aliaeque aves; truttae, lucius, perca; olera non facile in liquamen tetridum abeuntia, &c. Sic enim sanguis & succus nutricius ab impuritate & cacochymia praeservatur, quae alias STUDIOSIS familiarissima solet esse, quod scabies, scorbutus, affectio hypochondriaca, alia-

que incommoda satis ostendunt, nec non viscerum, & praesertim ventriculi totus, & laudabilis constitutio salvatur.

XIIX. Quoniam ciborum praeparatio in ventriculo, quam chylosin appellamus non absolvitur coctione & elixatione, ut Medici veteres voluerunt, sed fermentatione quadam suborta a liquore quodam acido in ventriculo hospitante: tanta curiositas & religio in ciborum assumtione, num scil. liquida sive solida sint praeferenda, observanda non videtur, unam enim omnia in ventriculo subeunt fermentationem, & in eandem massam convertuntur.

XIX. Unanimis diaetae praeceptorum vox est, ut prandium largius lautiusve capiatur, quam coena: ergo quum sanitas angustissimis illis limitibus circumscribi non possit, nihil interesse credo, num coenae vel prandio magis indulgere velis. Si tamen certi quid hac in parte asserere mihi liceat, ut curiosis satisfiat, pleniori coena, quam prandio genium tractandum esse facilius dixero, quia calor & spiritus tempore somni copiosius ad viscerum coctiones excurrunt, quam vigiliarum tempore, praeprimis apud STUDIOSOS, in quibus spiritus tempore diurno, vel exercitiis vehementioribus, vel studiis, & meditationibus continuis valde consumuntur tempore somni per quietem restaurandi.

XX. Meditanti nunc mihi potus administrationem apud STUDIOSOS obviam statim procedit consuetudo illa Medicis maxime culpabilis, quando statim a prandio, vel coena ad seram usque noctem poculis inter se certare solent STUDIOSI maximo cum corporis & sanitatis detrimento; nam ventriculus copioso illo liquore obrutus, nequaquam debite suo muneri circa chylosin vacare potest, quum fermentum ipsius nimis dilutum, sua activitate privetur, non aliter, quam aq. fortis ex affusione aquae vires suas deperdit, unde hoc modo chylus semicoctus & putredinem concipiens cito pede ad sanguinis officinam tendit, ibique meditantibus indigestis illis crassis, atque incongruis particulis magnas in massa sanguinea concitat turbas, atque febrium variarum fomenta constituit: & quum sanguis cacochymia hoc modo affectus insolitam subeat fermentationem; hinc ex lege circulationis multae crassae & faeculentae particulae quaquaversum rapiuntur, & ipsum etiam cerebrum petunt, ubi dolores capitis excitant, spiritus animales multis impuritatibus inficiunt, eorumque motum laedunt, ut ingenii hebetudo, & memoriae debilitas subsequatur, quae ἀταξία non solum ad actiones animales, verum etiam ad ipsas vitales sese extendit, variaque dramata in oeconomia animali ludere solet, adeo ut si omnia vel plurima saltem mala recensere velim, longe ultra propositum meum excresceret disputatio.

XXI. Quamvis hic praeterire nolim, qui fiat, quod plurimorum fere STUDIOSORUM externa cutis urentis, & immundae scabiei fiat seminarium, ubi sat equidem caussarum prostare scio, in nullam tamen majorem culpam devolvi posse credo, quam in ebrietatem & copiosum illum a coena statim assumtum potum, siquidem sanguis hoc modo efferis multis particulis inebriatus, & cacochymia repletus simili quoque labe ipsum succum nutricium singulis pulsibus per arteriarum poros transudantem inquinat, unde cutis & subjacentis carnis pori pervertuntur, itaut acria illa corpuscula pedem figere cogantur, & scabiem producant.

XXII. Symbolum in praedictis ex ebrietate malis confert nicotiana sive tabacus, quem sine discrimine compotationibus interponunt, angue pejus, nisi sanitatem evertere quis velit fugiendum Musarum filiis: pollet enim ingenti vi narcotica spiritus animales figente, & intemperantius adhibitus ipsum plexum choroidei obstruit, & spirituum animalium ordinem pervertit, unde densas satis microcosmi Luna eclipses pati potest irreparabilia fere damna oeconomiae animali inferentes.

XXIII. Nolim tamen ut ex eo, quod jam de nimiis, & excedentibus compotationi-

tionibus dixi, omni conversationi & hilaritati STUDIOSI vale dicat, qui nec laetitiae calicem hisce perstringo, nec animi laxandi gratia institutos consessus improbo, quibus sanguis spiritibus per praegressam vitam sedentariam, & continua studia depauperatus, & melancholia, sive crassitie correptus, pristino nitori redditur, cavendum saltem, *ne quid nimis.*

XXIV. Quoniam vero viscera apud STUDIOSOS, & inter haec ventriculus valde languent, serio vitandus etiam erit potus frigidus, qui fermentum ventriculi activitate sua privat, & calorem suffocat, ita ut cibus & potus convenienti modo non fermententur, & volatilisentur, sed in massam quandam tenacem, viscidam, & mucosam convertantur, plurimis affectibus materiam praebere aptam natam.

XXV. Magnopere etiam sanguinis motum & mistionem laedit potus in sinu fovens multas particulas crassas, tartareas, acidas, salia corrosiva, &c. quo nomine STUDIOSIS male audiant aquae palustres, turbidae, mustum, cerevisia recens, crassa, viscida, & acescens, bruhanius recens turbidus, & inveteratus, vinum copioso acido & tartaro praegnans; his enim via aperitur ad scabiem, tabem, phthisin, asthma, diarrhaeam, febres, &c.

XXVI. Potus itaque ordinarius in mensa erit cerevisia tenuis (quam in superlativo gradu hospites non raro substituunt valde flatulentam, & chylificationi infensam) optime fermentata, lupuloque bene condita, &c.

De qua potetur, stomachus non inde gravetur.

quia haec cibos ad ventriculum deferendo, & bene miscendo chylificationem optime adjuvat, nec non una cum cibis in laudabilem chylum conversus sanguini aeque gratus amicus est: potest tamen interponi haustus vini generosi magnam habentis cum sanguine analogiam, modo antea ennarratis vitiis careat. In conversationibus tamen quotidianis amicorum praeferrem bruhanium, probe defaecatum propter acidi defectum, quod in cerevisia & vino abundare magis videtur.

XXII. Verum enim vero quum non in cujuslibet positum sit potestate & conditione, diaetae leges naturae suae convenientes vel proponere, vel observare, quae ab aliis non raro obtruduntur, ur cervicem submittere cogantur STUDIOSI, mirum non est, si frequentior legum istarum observetur praevaricatio, quibus solatio esse potest, quod testante autopsia, accuratissimi diaetae cultores prae aliis evadant valetudinarii, adeo ut verum sit hac in parte, *medice vivere, est pessime vivere*: quare si forte per necessitatem diaetam violare cogantur STUDIOSI, hoc saltem observari velim, *sanis omnia esse sana*, & nutrire sapiunt, modo in quantitate non peccetur.

XXII. Decentem quoque motum egregium sanitatis esse custodem nemo inficiabatur, qui vitam nostram in placido sanguinis motu & tranquillo in circulum circuitu consistere persuasum habet, adeo ut beneficio blandioris hujus fermentationis sanguinis corpus nostrum fiat transpirabile, quod maxime sanum censuit noster HIPPOCR. Quid idcirco hominibus vitam sedentariam agentibus, studiisque continuo incumbentibus salubrius esse poterit, quam per vices motui & quieti vacare, Musaea & collegia palaestra commutare, pro calamo tenere gladium & reticulum, pro libro ludere pila, loco sellae insidere equo, saltare, vel rheda vehi, aliaque studiis interponere exercitia?

XXIX. Sedulo tamen danda est opera, ut motus suo tempore & moderate instituatur: hinc magnas sanitati insidias struunt illi, qui brevi ante prandium & brevi ab illo palaestram frequentare, aliisque exercitiis vehementioribus vacare solent, siquidem calor hoc modo dissipatur, & spirituosae partes consumuntur, quo minus viscera, & inprimis ventriculus munera sua debito modo obire possint.

XXX. Quamobrem hac etiam in parte *medio itur tutissime*: patitur enim nimia quies sua mala pleno agmine sese manifestantia illis, qui continuo libris affixi sunt, & spretis omnibus exercitiis, & aëre libe riori in latibulis suis delitescunt, vitamque protrahunt sedentariam: his quid magis familiare est, quam languor & debilitas ventriculi, miserere mei, colica, alvi obstructio, malum hypochondriacum, scorbutus, scabies, ingenii torpor, delirium melancholicum, aliaque incommoda, quae ex prohibita sanguinis volatilisatione, spirituum generatione, & prohibita insensibili transpiratione solent procreari: dum e contra clamosi stertores, & alia voce boantes nimio illo conatu vim faciant pulmonibus, vasis sanguiferis, ipsisque spiritibus, quod funesto eventu tandem experiuntur plurimi.

XXXI. *Somnus, vigilia utraque modum excedentia morbus, dicit* HIPPOCR. *sect. 7. aphor. 71.* Nam profecto somnus limites transgrediens multa etiam impedimenta studiis inferre solet, dum cerebrum copiosis humoribus adimplet, qui spirituum animalium motum refraenando ingenii acumen hebetant, dolores capitis excitant, & viam ad cachexiam & catarrhos sternunt: quare longiorem somnum & pigritiam merito fugiunt STUDIOSI, nam

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus.
Ut vitium capiant ni moveatur aquae,

potius inhaerendum monito longis ab hinc annis a veneranda antiquitate inculcato;

Septem horis dormiisse sat est juvenique senique.

XXXII. Interim tamen vigiliis nimiis non indulgeant, nisi febribus, catarrhis, variisque viscerum obstructionibus, phthisi, atrophiae, & scabiei obnoxii fieri velint, nam

Quod caret alterna requie durabile non est.

Somnus enim moderatus mire corpus reficit, & dulcedine demulcet, hinc Poëta canit:

Somne quies rerum placidissime somne Deorum;
Pax animi, quem cura fugit tu pectora duris
Fessa ministeriis mulces reparasque labori.

Ex quo apparet quam male sanitati consulant, qui ad seram noctem usque studia sua, & meditationes protrahunt, quia spiritus avocati a viscerum coctionibus eas varie impingere faciunt; hinc optimo jure *aurora Musis amicissima* dicitur. Inter studendum autem pestis est fumus candelarum empyreumaticus, in primis extinctarum, quarum sal volatile acre valde infestum est toti systemati nervoso, quod mulieres abortum saepius ab acri illo fumo patientes quotidiana experientia comprobant. Animi pathematum moderamen suadebunt illa, quae apud CARTESIUM nostrum leguntur, unde lubens illa jam praetereo.

XXXIII. Tandem STUDIOSIS non leve levamen etiam dabunt balnea rite instituta, eo tempore videlicet, quando jam cibus omnis e ventriculo est egressus; si enim a cibo statim adhibeantur, particulae istae humidae & aquosae varias cruditates in chylum introducent. Lotiones capitis tantopere non commendo, quia cerebrum humiditate nimia adimplent. Non abs re erit, si tempore veris venaesectio praeservationis gratia instituatur, quae forte magis praeservare potest STUDIOSOS a morbis, quam purgantia vehementiora assumta ob vim fermentativam sanguinis motum & mistionem facile turbantia.

XXXIV. Haec sunt lector benevole quae loco exercitii publici de sanitatis STUDIOSORUM regimine, proponere volui: novi equidem plurima hic superaddi potuisse, multa tamen consulto brevitatis studio praeterii; quod si haec parum arrideat, aut minus digne pro materiae gravitate elaborata videantur, scias, quod qui nunquam male, nunquam bene. DEO interim sit laus, honor & gloria.

DISPUTATIO XX.
DE VENTRICULI, ET INTESTINORUM MORBIS.

RESPONDENTE

MARTINO HARMES, Brema-Saxone.

J. N. J.

PRAELOQUIUM.

DUo inter alia sunt, quae abstrusissimis morborum caussis lucem foenerantur, & tum futuro, tum multorum annorum practico scitu perquam sunt necessaria: quorum unum est accurata curandi febres methodus: alterum doctrina de morbis ventriculi. Utrumque si negligatur; vel alterutrum saltem oscitantius tractetur: dici vix potest, quam foecunda errorum fiat genetrix ambulatoria, & intra sphaeram se continere nescia, atque elastica sua, qua pollet vi, ipsum intellectum, in non satis cognita abripiens, hominis voluntas. Inde crassissimae, & plusquam Cimmeriae arti medicae offunduntur tenebrae, fluctuat medendi methodus inter mille difficultates, & trepidationis motu e centro Orbis sui excussa ipsum deserit artificem, qui in ambitu haerens nullum amplius emergendi videt remedium. Si enim febres, earundemque asseclas in scenam introducere velim, non inficiaberis, tot earum esse symptomata, quae solitarie spectata omnem fere morborum absolvunt numerum, ut etiam sub unius febris cognitione tota videatur contineri medendi prudentia. Sin ad ventriculi affectus obtutum dirigas, perspicies, quod in morbis chronicis juxta ac acutis omne hic ferat punctum, tum quod chronici ad unum fere omnes radicaliter pullulent in ventriculo, acuti autem vix tuto curari possint, nisi ipsius ventriculi potior habeatur ratio; nam stomachus est Paterfamilias, & cujus robur ad reliquas concoctiones est fundamentale, juxta *Verulamium in histor. vitae & mortis p. m.* 543. Quare cum alibi succinctam curandi febres proposuerim methodum, cui haud exiguum ex famigeratissimo illo & multorum experimentorum satellitio stipato remedio, nuper jussu & mandato *Regis*, etiam in hoc *Christianissimi*, quem solum *Auctor, Medicus Anglus*, in arcana admisit, & interprete regia liberalitate, & famam & fortunam sibi fecit vectigalem, expirante cum vita *Auctoris* conditione, quam *Rex* condixerat, publici juris facto, in praesens accessit munimentum: nunc de ventriculi, & intestinorum affectibus solita brevitate acturus sum; faxit Deus, ut omnia ex voto eorum, qui in vitae sanitatis, & eruditionis versantur discrimine, cedant.

CAPUT PRIMUM,

Continens

MORBOS VENTRICULI.

ARTICULUS PRIMUS,

De Cruditatibus.

1. DUae famosae hic in limine occurrunt cruditates, e quibus ceu Pandorae pyxide quotidie morborum prodeunt myriades: quarum una acida, altera nidorosa vocatur.

2. Cruditas acida est frigida ventriculi intemperies cum materia, ut loqui amant, qui in verba *Galeni* jurarunt. Rectius: est muci acidi & viscidi in ventriculi plicis nunc culpa sanguinis arteriosi, nunc ingestorum vitio producti collectio.

3. Caussam dico esse, vel nimiam assumtorum aciditatem eamque fixam: vel eorundem visciditatem: vel denique nimiam illorum quantitatem; haec enim omnia obstare possunt, & remoram injicere, quo minus liquor gastricus totam ingestorum massam permeare, eamque ad debitam leptomeriam deducere possit, ad obtinendam eo facilius in intestinis scoriarum, & recrementitiarum partium a chylo, sive lacte separationem. Hinc fit, ut reliquiae acore pariter & visciditate contaminatae glandularum stomachalium poros obstruant, & humoris fermentativi ingressum ex parte impediant; vel saltem illum ita corrumpant, ut subsequens novorum ingestorum fermentatio eadem, non sine magno rei oeconomicae discrimine, oberret chorda.

4. Symbolum suum confert sanguis a nativa indole degener factus, quatenus improportionatum, & sale acido, eoque fixo abundans, chylificationi peragendae impar & ineptum deponit fermentum, quod in ventriculi glandulis, a *Willisio*, & *Peyero* accuratissime descriptis, restagnans, futurae coctionis cruditatum & errorum incoërcibilis existit Auctor: id quod tum scorbutici, tum uterum ferentes magno cum sanitatis dispendio experiuntur saepius. Vidimus non semel ipsa, tum potulenta, tum esculenta liquida in ventriculo brevi temporis spatio in acetum degenerasse, & vomitus acidos, cardialgiam, & incompescibilem introduxisse stranguriam. Sicuti enim mustum, cado, aceti fermento, vel acore impraegnato, infusum, omnem fere abscondit vinositatem, atque in acetosum abiit liquorem: ita ipsa assumta, in liquorem vinosum quidem mutanda, in scorbutici ventriculo non raro ita acescunt, ut particulae sulphureae ob acidum, vel sal in fluorem evectum supprimantur, acidae vero fixae & terrestees, praedominium nactae, fasces imperii oeconomici teneant.

5. Cruditatis hujus acidae signa diagnostica sunt: ventriculi post pastum inflatio, a vaporibus crassioribus, & per angustos tunicarum poros amplius transire nescientibus ortum trahens: annosa, & ob bilis inertiam contumax alvi obstructio: quandoque vomitus acidi: phlogoses & subitaneae vagabunda cum reciprocatione effervescentiae; tinnitus aurium: appetitus nunc auctus nunc languidus, quandoque inter comedendum reviviscens, & novas recuperans vires, juxta veterum axioma: *frigidus ventriculus ad appetitum valet plurimum, ad coquendum minime.*

6. Malum hoc inter morbos chronicos haud postremum sibi vindicat locum, & sexcenta solet spargere mala, ipsa matre pejora, qualia sunt: quartana, melancholia, mensium suppressio, hypochondriaca, scorbutus, scabies, calculus renum, &c.

7. Curatio sequentibus inniti debet indicationibus. 1. Mucus acidus, qua acidus specificis remediis est corrigendus, qua viscidus autem aromaticis & salinis attenuandus & resolvendus. 2. Correctus & praeparatus blandioribus catharticis, citra magnam turbationem alvum solventibus, evacuandus. 3. Et quum nonnunquam hic nodus duriori excutiendus sit cuneo, emeticum in manu prudentis *Alexandri Magni* supplebit gladium. 4. Ipsa tandem chylificatio pro viribus intra sphaerae suae limites continenda, & ventriculus appropriatis remediis corroborandus.

8. Quibus satisfaciunt 1. tartar. vitriolat. sal absinth. cum cortic. aurant. sal. armoniac. cum lap. cancr. terra foliata, essentia nostra pro acidulis, omnia ex mentha: 2. pilulae gummosae, & aloëticae, horis vespertinis subinde deglutitae;

tae; abstinendum enim est a purgantibus, donec humor acidus in serum fuerit conversus: 3. tartar. emetic. sapa vomit: 4. Spir. sal. armon. vinosus simplex, & compositus: sal. volat. oleosum *Sylvii*, spir. carminat. de tribus, specificum stomachicum *Poterii*. Plura ex artic. de anorexia huc referri possunt.

9. Cruditas nidorosa est intemperies ventriculi calida cum materia, hoc est biliosa: quando nempe omnia assumta abeunt in bilem corruptam, sive liquamen rancidum ovo putrido non absimile, unde ructus putridi, & sapor in ore tetridus, praesertim jejuno ventriculo, vel aliquot post pastum horis, exoriuntur.

10. Caussa est sal quoddam acre, putrilaginosam inducens non tam fermentationem, quam colliquationem, id quod vel ab assumtis subitaneae corruptioni obnoxiis, ver. gr. fructibus horariis, vel ab humoribus transmissis, scil. biliosis & sanguine, sale acri & rancido contaminato, suppeditatur.

11. Gravissimos haec quoque parere solet morbos, diarrhoeam, choleram, colicam & febres malignas. Imo funestas non raro citat tragoedias.

12. Tollitur 1. humorem putrilaginosum blande educentibus, qualia sunt tamarindinata cum rheo, & fol. Orient. 2. sal acre obtundentibus, qualia sunt testacea & salina, ver. gr. sal. tartar. arcan. duplicat. nec non blandiora acida, praesertim si exoptato connubio ligentur cum sulphureis, ver. gr. spir. nitr. dulc. 3. deobstruentibus & sal acre evehentibus, qualia sunt spir. theriac. camphorat. tinct. bezoard. cum camphora, serum lactis, julepi acidulati, praesertim ubi praecipitantibus superbibuntur: observavit enim *cl. Rivinus*, illos eum, quem e stomacho eluunt, humorem, etiamsi alvus antea summe adstricta fuerit, promte eduxisse.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Anorexia.

1. PRaemissis famosis illis cruditatibus via per quam expedita patet ad anorexiae aliarumque ventriculi affectuum cognitionem, & curationem. Est autem anorexia prostratus appetitus: vel est inappetentia cum insolito ciborum fastidio, fermenti vitio introducta.

2. Caussa immediata est defectus vellicationis fibrillarum nervearum in superiori ventriculi orificio. Mediata proxima est fermentum digestivum, quatenus vel plane deficit, quod in febribus malignis contingere solet: vel fatuum est, & ob spirituum animalium inopiam iners quale quid senibus quandoque familiare est: vel quatenus muco viscido est involutum, ita ut suam activitatem exerere nequeat, quum varii generis humores teneros stomachi oppleant villos. Quandoque tamen ipsi nervi caussae proximae induunt naturam, quod paralyticis contingit, in quibus ob exquisitioris sensus defectum non raro torpet appetentia.

3. Caussae remotiores sunt assumta quaevis, & quantitate, & qualitate peccantia: febres continuae, & malignae: haemorrhagiae largiores: humoris salivalis defectus, vel glutinosa ejusdem intemperies: perversus, & intempestivus testaceorum usus: aetas senilis: quies, & sexcenta alia.

4. Est prodromus instantis gravioris alicujus in oeconomia animali tempestatis. Si in acutorum declinatione vel non abeat, vel de novo accedat, novam calamitatem portendit, & recidivam, priori morbo pejorem, minatur. Curatarum febrium intermittentium, & dysenteriae infaustus est comes, aegrum a tergo, & ex insidiis, invadens.

5. In tanta remediorum, quae passim a practicis commendantur, farragine, ea saltem placent, quae & caussam morbi propius tangunt, & crebriori hactenus usu nobis magis sunt perspecta. De purgantibus notari velim, hoc in affectu plus

saepius

ſaepius prodeſſe corrigentia, & volatiliſantia, quam cathartica: quod ſi tamen evacuatio inſtituenda ſit, id fiat citra majorem ſpirituum depauperationem, & inſolitam totius maſſae ſanguineae exagitationem. Caeterum grata ſemper erunt ventriculo languido, 1. Acida, plus minus temperata, cotis inſtar fermentum acuentia: qualia ſunt ſpir. confort. citratus, vel ambratus; ſpir. vitriol. Martis, ſpir. nitr. plurium dierum digeſtione probe dulcificatus: arcanum ſalificatum: elixir. vitriol. *Mynſichti*, conſerv. roſar. vitriol. tartar. vitriol. 2. Amara: vinum abſinthii ſimplex, & compoſitum: eſſentia amara, cum, vel ſine, abſinthio, quum hoc non omnes ferant, eſſent. menth. per fermentat. parat. eſſent. centaur. minor. eſſent. cortic. aurant. eſſent. calam. aromat. elixir menth. 3. Salina: crem. tart. tartar. vitriol. ſal. abſinth. arcan. duplicat. ſpir. ſalis armon. 4. Balſamica, & aromatica ſpir. vin. ſimpl. & compoſ. ad paucas guttulas ſaepius ſumtus: tinctur. cinnam. elixir. panis. elixir. balſamicum. elixir. Romanum ſive cum alkali paratum: elixir. album *Helmontii*, quod raro ad Auctoris, qui clavem reticuit, nutum, paratur, hinc famam ſuſtinere neſcit, quod non ita pridem *celeberrimus Bohn monuit cap. de digeſtione*. Totum autem artificium conſiſtit, meo quidem judicio in legitima myrrhae ſolutione, qua obtenta totum forte habebis arcanum. Praeterea, laudantur omnia olea deſtillata aromatica: ſic ol. zingib. ad unam, vel alteram guttulam exhibitum mira ſaepius praeſtitit. Pari ſucceſſu datur tinct. propr. *Mynſichti*, eſſent. lign. ſaſſaf. eſſent. cort. aurant. elixir. citr. ambrat. (praeſertim in ſenum anorexia) balſam. nervin. *Schaefferi, Medici Francofurtenſis celeberrimi*, ex ſale cor. cer. armoniac. ol. mac. & ſpir. vini tartariſat. paratus, quem alii ſub nomine arcani, vel ſpecific. ſtomachici vendunt. 5. Spirituoſa, ſyſtemati nervino dicata: ver. gr. liq. cor. cer. ſuccinat. ſpir. roſar. ambrat. eſſent. ambr. elixir. vitae, aqua Anhaltina.

6. Et quum multa danda ſint conſuetudini hominum, & aegotantium praejudiciis, externa etiam in uſum vocanda ſunt, & ventriculi regioni applicanda, ver. gr. empl. Regium *Zvvoelfferi*: empl. ſtomachal. uſitatum, balſam. ſtomach. liquor ſtomachicus.

7. Ex fonte diaetetico depromimus cydoniata, juſcula cum acetoſa, ſucco citri vel aceto praeparata; carnem ferinam cum baccis juniperi; carnem bubulam cum raphano ſylveſtri, naſturtio hortenſi, ſinapi, piperitide, olivis & capparibus. Commendamus vinum generoſum, cochleatim ſubinde hauriendum, acidulas prudenter delibandas, equitationem & vectionem, ſed ad recreandum, non ad defatigandum; nam moderata durant.

ARTICULUS TERTIUS.

De Fame Canina.

1. FAmes canina ſeu nimia appetentia oritur a continua vellicatione extremitatum nervorum ſuperioris orificii ventriculi, a fermento admodum eſurino, inſatiabili, & valde fluido excitata, quod inſtar aquae ſtygiae omnia abſorbet, & quaſi in rabiem efferatum aſſumta depopulatur; ipſa enim ingeſta non tantum brevi temporis ſpatio diſſolvuntur, ſed ipſum etiam orificium continua, nullis conceſſis indiciis, raſione exagitatur, ut fermentata quandoque per vomitum rejiciantur.

2. Parum ab hoc affectu differt bulimia, niſi quod nec vomitum habeat comitem, nec ita continuo affligat. Interim ſi ciborum ingeſtio aliquandiu differatur, moleſta haec roſio aegrum in maximas redigit anguſtias, ut etiam animi deliquium incidat.

3. In cauſſarum ordine primas tenet liquor gaſtricus, exceſſiva praeditus aciditate

tate

tate cum fluiditate juncta, ut eum *Cartesius* non male aquae forti comparaverit. Caussae mediatae sunt omnia acida, largius & frequentius sumta: frigus intensum: sanguinis menstui inveterata suppressio: vermes, chylosam seu lacteam assumtorum partem absorbentes, qui dum nectar istud infructifere depopulantur, non habet ventriculus, quo sanguinis & humorum circulantium acrimoniam temperare possit.

4. Curationi inserviunt medicamenta, aciditatem infringentia, & absorbentia. Ubi inter alia laudari meretur pulvis absorbens *celeberrimi nostri Wedelii*, aucta, sicubi necesse videatur, opii quantitate, theriac. recens, limatura Martis. Quo facto debent saturati humores hydragogo, vel melanagogo, evacuari; interim vires vino, essentia melissae, vel anthos, sunt refocillandae. Vinum enim non nutriendo, vel frigus extinguendo, aut mucosa incidendo, quicquam proficit: spirituositas ejus est, quae spiritum mordicantem, & acorem corrigit, temperat, & ferociam cicurat. Praeterea laudantur vitelli ovorum indurati, & pulticulae cum lacte coctae. Quod si insatiabile hoc comestionis desiderium a lumbricis, alimenta suffurantibus, oriatur, curatio eo dirigenda; sed haec ex proprio hauriri potest capite.

ARTICULUS QUARTUS.

De Pica, & Malacia.

1. Pica & malacia, affectus, si qui alii, explicatu difficillimi, Medicos abstrusissimis suis caussis ad opprobrium usque torquentes, aliquam priori cum morbo habent cognationem. Dicitur autem quis pica laborare, quando appetitus magno cum desiderio in res insuetas, inediles, & alimenti nomine indignas, fertur: qualia sunt corium, arena, creta, charta: quae omnia a picantibus, ut plurimum citra ullum sanitatis dispendium devorantur: testantur tamen historiae medicae, hanc ingestorum absurditatem quandoque etiam damnum intulisse. In malacia autem fertur appetitus in res naturae nostrae magis amicas, & in alimentorum stantes ordine. Quo affectu non raro gravidae torquentur, &, si rei desideratae compotes fieri nequeant, praecordiorum incurrunt anxietates, tristantur, & foetui naevos imprimunt, quos maternos vocant, id quod infanti maximum saepius parit discrimen.

2. Quamvis autem causae horum morborum ignorantiae tenebris sint obvolutae, conabimur tamen has discutere nebulas, & caussam hactenus ignotam in apricum producere; quod ut eo facilius fieri possit, observari velim 1. appetitus varietatem in tot bestiis, & hominibus dependere partim a varietate fermenti esurini sive stomachalis, partim a fibrillarum nervearum superioris orificii alia atque alia dispositione: illa in majori vel minori activitate, volatilitate, aciditate & salsedine: haec in teneritudine, crassitie, majori vel minori tensione, & mobilitate, consistit. 2. Quod certos harum fibrillarum motus certae sequantur spirituum animalium determinationes, ut & alia atque alia cerebri dispositio: in homine autem pro horum motunm varietate variae quoque fiunt cogitationes mentis; hinc enim est, quare ciconia vescatur ranis, felis muribus: quare hic appetat acida, alter salsa. Et haec omnia eodem fere fiunt modo, quo alios hunc potius ferre odorem, quam alium, quotidie videmus. 3. Advertendum, quod gravidae, & quibus catamenia longo tempore fuere suppressa, malo hoc prae aliis fiant obnoxiae; dum in his humores ob sanguinis restagnationem plus solito acescunt, & acriores fiunt: in illis vero, praeter hoc incommodum, hoc adhuc accedit, quod videlicet tota sanguinis massa ab aura seminali suscepta in nativa sui crasi, mirum quantum, immutetur; unde non potest non fermenti stomachalis agendi modus variari, ut

postmo-

postmodum insolita, eaque magis distincta vellicatione occasionem praebeat menti, haec potius eligendi atque appetendi, quam alia. Denique 4. & hoc meretur attentionem, quod non ita promiscue omnes Mulieres, vel Virgines hoc corripiantur morbo, sed quod huic malo illae potissimum sint expositae, quae caeteroquin impotentis sunt animi, quaeque delicatiores, & ocio deditae impraegnatae persuasum habent, se totius rei oeconomicae, & ipsius etiam patrisfamilias caput esse, ita ut omnia ab ipsorum dependeant nutu atque imperio. Quarum insuper memoriae semper obversatur illud Tiranni: *quod libet, licet*. Quum itaque suas locent horas in eo ut ad uniuscujuslibet particulae, fermentum cum aliis componentis, impulsus & vellicationes attendant, earundemque motus distincte percipiant, hinc & a primo etiam earundem impetu ob animi imbecillitatem in absurda saepius abripiuntur.

3. Quibus datis, nihil amplius obstabit, quo minus fermentum stomachale, intemperie salsa, acida, vel alia degeneri & mucosa, contaminatum, accusemus. Praesertim cum ex historiis medicis abunde satis constet, picam ex scabie retropulsa, & a pure, ab anginoso deglutito, fuisse ortam, id quod pulchre demonstrat *B. Ettmullerus* ex *Henrico ab Heer: Fabr. Hildano, & ephemerid. German.*

4. Sed quaeritur, an similia, an dissimilia appetantur? dico deficientes in sanguine desiderari particulas. Si itaque acidae vel salsae desint, appetuntur similia: sin vero terrestres deficiant, lutosa, arenosa, aliaque, desiderabuntur. E quibus palam fit, ipsum fermentum esse diversae in picantibus indolis, quatenus nunc particulae acidae & salsae in ipso obtinent praedominium: nunc vero faeculentae, & terrestres, quae non tam rodendo, quam super fibrillas nerveas volutantes, premendo, & titillando superius ventriculi orificium, & consequenter cerebrum, jam dum nebulis refertum, in maximas redigunt angustias, caput inter alias extollunt.

5. Carent quidem hi effectus omni praesentaneo periculo, juxta illud: *quae sapiunt nutriunt: vel saltem non nocent*. Verum! quum malum hoc, si detenti menstrui fuerit soboles, abeat in cachexiam, & in gravidis non levem foetui comminetur noxam, si voti sui compotes fieri nequeant, ante omnia necesse erit, ut maturum accedat consilium, quo animus, moerore profligatus, erigatur, & mens blandiori sermone ad alias, aeque gratas cogitationes invitetur. Deinde ipsi fermento stomachali suppetiae erunt ferendae medicamentis vitiosam hanc qualitatem corrigentibus, & acidum vitale in ventriculo, aetherem autem in corde, restaurantibus; non possum enim non hic ipsorum notare errorem, qui aerumnas has quibusvis confortantibus, etiam promiscue exhibitis, compesci posse persuasum habent, quum tamen specificae vel individualis fermenti varietatis potior haberi debeat ratio: unde existimamus, quod nunc blandiora conveniant acida, nunc salina fixa: nunc vero volatilia & aromatica locum habeant, &, quod saepius sola prosint, testacea. Pro quibus scopis obtinendis spir. confortat. citratum, tartarum chalybeatum, faeculam aronis, corallia praeparata, essent. meliss. menth. liquor. cor. cer. succinat. commendamus.

ARTICULUS QUINTUS.

De Nausea & Vomitu.

1. NAusea est inane vomendi desiderium, ob superioris orificii ventriculi stricturam & contractionem, ab irritante quodam humore productam, exortum. Hinc est, quare illa clausura statim solvatur, si fauces, immisso digito, fortius irritentur, quo facto contrarius fibrillarum ventriculi sequitur motus, vomitus.

2. Est

2. Est autem vomitus ipsius fundi ventriculi versus superius orificium, & januam contractio, variique generis humorum per gulam excretio.

3. Caussa vomitus proxima est subitanea fibrillarum irritatio, facta ab humore quodam acrri, & simul viscido, intra tubulos haerente: vel a liquamine quodam tetrico, in ipsa cavitate fluctuante. Facit huc perversus spirituum animalium motus, ut in vertigine videre est, nec non exulceratio tunicae interioris, quae citra vehementem fibrarum denudatarum corrugationem tangi nequit.

4. Caussae mediatae quaerendae sunt, vel in assumtis, vel in transmissis. Ipsa enim alimenta, quantitate vel qualitate peccantia, in putrilaginosos, biliosos, pituitosos, & acres non raro degenerant humores. Ejusdem indolis liquamina saepius etiam transmittuntur a sanguine, & reliquis visceribus abdominis, prout in scorbuticis, & gravidis crebrius fieri solet.

5. Dividitur in criticum, & symptomaticum: in humoralem, & cruentum, de quo infra; in idiopathicum, & sympathicum.

6. Huic malo mature occurrendum est, quia afficitur pars nobilis, cum liquore tam vitali, quam animali arcta amicitiae necessitudine conjuncta. Tres enim vel quatuor vomitiones plus debilitant, quam decem adsellationes.

7. Curatio perficitur acre humorale temperantibus, & fibrarum spasmum demulcentibus, quibus blandum praemitti potest vomitorium, praesertim si malum fuerit recens, & ab humorum vitiosorum suburra productum; dein revellentibus & corroborantibus negocium absolvendum. Eo collimant clysteres revellentes, blandiora acida, cydoniata, tinctur. rosar. tinct. Martis. bezoard. opiata, succini. elixir. vitriol. *Mynsicht.* panis, cortic. aurant. essent. absinth. opiata, menth. ambrata, spirit. vini simplex vel comp. Inter externa commendamus spir. theriac. succolad. ol. nuc. myristic. vin. malvat. diascord. balsam. embryon. empl. de crust. pan. scutum stomachale *Hartmann.* saccul. stomach. *Schroderi.*

8. Vomitus cruentus oritur a vasorum gastricorum reseratione, sanguinem, sub forma sanguinis, in cavitatem ventriculi effundentium.

9. Caussa est plethora, sanguinis acrimonia, vel consuetae evacuationis cruentae suppressio.

10. Malum hoc saepius plus infert terroris quam periculi, praesertim in sexu sequiori, hinc curatio non nisi in largioris, & sinceri sanguinis profusione accelleranda est.

11. Si cruentae vomitiones fiant ob plethoram, & magnam sanguinis rarefactionem, convenit venae sectio in brachio. Sin a catameniorum suppressione ortum duxerit, in pede. Hac peracta detur decoctum hordei sassafratum cum conserva rosarum, & tinctura florum bellidis composita. Adstringentium usus videtur in principio minus tutus, ne sc. sanguinem grumosum diutius in ventriculo retineamus, ipsique naturae sese exoneranti injuriam inferamus: hinc ante omnia, ad caussam antecedentem obtutus erit dirigendus, quo prudenter, & tempestive exhibere discas corallia, lap. cancr. haematit. sulph. vitrioli, tinct. santali, Martis catechu, & succum portulacae.

ARTICULUS SEXTUS.

De Singultu.

1. Singultus est motus quidam convulsivus: seu est magna superioris partis ventriculi cum annexo diaphragmate magno cum sonitu concussio, vel ab humore acri irritante, & poros obstruente, vel a flatu, ob frigus externum collecto, & ventriculum gravante, producta. Saepius fibrae orificii superioris inflam-

matae, vel etiam exulceratae, a quibusvis assumtis ad spasmodicos irritantur concussiones, quae in dysentericis funesti exitus solent esse indices.

2. Caussa immediata est irritatio ad profundiorem contractionem, & dilatationem: mediatae sunt humores acres, salini, viscidi, maligni & flatulenti.

3. Interne fidelem in curatione spondent operam anodyna, theriacalia, bezoardica, nervina & carminativa: ex gr. tinct. salutis *Langii*; tinctur. succini, spir. tartar. sassafrat. spir. angelic. tinctur. castor. essent. carminat. *Wedelii*, elixir. pretios. laudan. aromat. theriac. coelestis, &, quod juxta *Sydenham*, de caussa singultus adhuc dubitantem, caput rei est, diascordium. Externe sufficient nervina, & carminativa cum fermento subacta.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

De Soda & Cardialgia.

1. Soda est biliosi humoris in ventriculo ebullitio, unde rosio in orificio superiori, & ardoris sensus excitatur.

2. Caussa est humor acris. Omnes vinosi, & cholerici facile corripiuntur soda.

3. Assectus hic molestus potius est, quam periculosus.

4. Curatur praecipitantibus, & absorbentibus, qualia sunt creta, macis, lap. cancror. terra vitrioli dulcis, bolus Armena, acetum destillatum, elixir. praecipitans *Ettmulleri*.

5. Saepius transit in malum cardialgicum. Est autem cardialgia magna quaedam circa praecordia anxietas cum ventriculi distentione, diaphragmatis nimia compressione, & suffocationis periculo.

6. Caussa sunt vapores crassiores in cruditate acida producti, qui quum ob tunicarum ventriculi, & pororum intestinalium obstructionem libere hic inde commeare nequeant, sanguinis motum in circulum retardant; ipsiusque diaphragmatis liberam contractionem, & extensionem sufflaminant.

7. Curatio coincidit cum incubi, passionis hystericae, & asthmatis stomachalis curatione. Egregie prosunt clysteres carminantes, & revellenses. Essentia *Wedelii* carminativa cum opio, liquor cor. cer. succinat. sal. volatil. succini cum pulv. cordial. praetioso. & olea aromatica in aqua mirabili exhibita omne in ipso paroxysmo ferunt punctum.

ARTICVLVS OCTAVUS.

De Cholera.

1. Cholera est vomitus, & diarrhoea, cum cardialgia, aestu & ventris inflatione. Sive est inordinata, & vehemens irritatio fibrarum in ventriculo, & & intestinis, cum pravorum humorum ἄνω, & κάτω excretione, & praesentaneo virium, & vitae discrimine.

2. Caussa est liquamen quoddam tetridum, acre, putrilaginosum, & fermentescibile, quod duodeni succis commistum in aeruginosam, vel atram degenerat bilem.

3. Ventriculus suo nō bene defungitur officio, sed in spasmodicas, tum inferne, tum superne trahitur cōvulsiones, quoties vel ipse sanguis, vitale illud corporis flumen, ab aura aliqua venenata, sive foris ab aëre pestilentiali, sive a fermento aliquo, maligno; varioloso, petechiali, aut scorbutico afficitur, in mistione sua turbatus liqua-

liquamen illud degener in ventriculi eructat tunicas. Vel ipsa assumta, malignam & fermentescibilem in ipsa mistione induentia qualitatem, putrilaginem illam suppeditant, id quod tum venena, tum fructus, facile putrescibiles, pinguia & situ corrupta facere solent: quo suo merito referimus cruenta farcimina, lacticinia, & pharmaca vehementiora, quibus ipse ventriculus non raro cadaverosa inquinatur putredine, ita ut vel ipse a corruptis corrumpatur.

4. Solent Auctores choleram communiter in humidam, & siccam dividere: sed quum sicca rara sit avis, non quidem ratione suae existentiae, sed ratione denominationis, & quod rarius ceu peculiaris quidam morbus medicam efflagitet opem, quamvis in scorbuto, hypochondriaca, cruditate acida, melancholia, passione hysterica, & cardialgia multum facessat Medico juxta ac aegrotanti negocii, sicco hanc siccam choleram in praesens praeterimus pede, quibus annotasse saltem sufficiet, quod haec nihil humoris, sed flatuum plurimum & ἄνω, & κάτω eructare soleat.

5. Hoc malum brevi sua percurrit tempora, ut etiam spatio viginti quatuor horarum robustissimum hominem exanimare possit. Magis tamen infensum est aetati infantuli, & lactantes non raro inter amplexus maternos interimit.

6. Instituenda autem est curatio clysteribus, humores acres diluentibus, & abstergentibus, ex decoct. pullor. cum flor. chamom. sambuc. & anthos paratis, quos si forte immorigerus aeger admittere nolit, supplebunt juscula alterantia largius ad mentem *Sydenham* propinata.

7. Quo ipso exulare jubemus purgantia, qui enim his instructus hostem aggreditur oppugnandum, idem aget, atque is, qui ignem oleo extinguere satagit.

8. Fermentescibili humori, maxima ejus parte diluta, injiciendum est froenum paregoricum, horis vespertinis adhibendum, quod ex aqua paralys. unc. j. mirabil. & laudan. liquid. gut. xv. sit confectum. Eundem obtinebunt finem anodyna, bezoardica, absorbentia, & acrimoniam temperantia, qualia sunt emulsiones cum decocto cor. cer. sassafrato paratae, tum vulgares, tum perlatae: crystalli praeparati, pulvis Anglicus, Mantuanus, pretiosus solaris, diascordium, theriaca coelestis, Andromachi recens, quibus externa, superius in vomitus humoralis curatione laudatae superaddi possunt.

ARTICVLVS NONVS.

De Siti nimia.

1. CAussae sitis praeternaturalis proximae sunt obstructio pororum glandularum lymphaticarum in ore, & aquosarum particularum in sanguine defectus, quae tremulum fibrillarum in faucibus motum conservare debebant. Remotae autem sunt ea omnia, quae exsiccandi, dissipandi, & obstruendi vim habent, quo spectant vigiliae, labores, inedia, humores salsi, calor immodicus, & hypercatharsis.

2. Curatur medicamentis linguam, & fauces humectantibus, poros glandulosos deobstruentibus, lixiviosam sanguinis intemperiem corrigentibus, aestum biliosorum humorum temperantibus, & sanguini penuria humiditatis laboranti aquosas reddentibus particulas, quae prostabunt, aqua fontana, acidulae, nitrosa, camphorata, tamarindinata, acetum vini in ore detentum, decoctum hordei cum passulis, decoctum citri, clyssi minerales, aqua cancrorum recens expressa, emulsiones ex amygdalis, & semin. 4. frigid. major. largius haustae, Julapia, omnium sitientium anchora, & portus, spiritibus mineralibus acidulata.

CAPUT SECUNDUM

Continens

INTESTINORUM MORBOS.

ARTICULUS PRIMUS.

De Lienteria, & Coeliaca.

1. Lienteria, & assumtorum sub ea forma, qua ingesta sunt, per alvum excretio. In coeliaca autem passione, vel parum immutata, vel non digesta, excernuntur.

2. Subjectum morbi sunt intestina cum ventriculo qui illorum caput est.

3. In caussarum ordine primas tenent ipsa assumta visciditate, & duritie peccantia, fibrarum atonia, & fermenti tum gastrici tum duodenalis inertia.

4. Caussae remotiores sunt potus nimius, morbi tum chronici tum acuti, sanguinis compagem usque adeo turbantes, ut nec acidum nec amarum fermentum amplius generari possit.

5. In morbis acutis dubium praesagiunt eventum, plus tamen adultis portendunt periculi, quam infantibus: quod si diutius aegrum affligant, viam sternunt ad marasmum vel hydropem.

6. Ante omnia tonus fibrarum est restituendus, & fermenti activitas exaltanda; quod tentari potest elixirio vitriol. *Mynsichti* ad paucas guttulas saepius *in non lactantibus* exhibito, vino salviato, anthosato, absinthites, aqua ligni sassafras, succolada, nuce Indica, zingibere in India condito, & omnibus ex mentha praeparatis. Plura vide in curatione vomitus, & anorexiae.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Diarrhoea.

1. Diarrhoea est variorum humorum per alvum excretio.

2. Caussa est humor acris, vellicans & fermentescibilis, quem vel ipsa assumta in sinu gerunt: vel sanguis ad intestina transmittit. Saepius enim sanguis sero acri turgidus salia sylvestria in intestinorum tunicas, & glandulas deponit, quae vi sua irritativa quicquid humoris in illis continetur emulgent, & diluvium alvinum excitant. Huc quoque faciunt fructus horarii, & cibi facile putrescentes cerevisia recens, & non bene defaecata, mustum, insensibilis transpirationis sufflaminatio, lacticinia aliis cibis commista, motus nimius, animi passiones vehementiores, quae & fel commovent, & spiritus animales exagitant.

3. Dividiter in humoralem & chylosam, criticam & symptomaticam, benignam & malignam, quae omnia in curatione sedulo sunt attendenda; saepius enim pro valetudine est, si alvus per aliquot dies fluat. In diarrhoea benigna conveniunt leniter evacuantia, & adstringentia; in maligna autem plus damni inferunt, quia gliscentem jam in intestinorum substantia calorem inflammatorium plus augent, qui tamen modice refrigerantibus debebat temperari, nisi aegrum in gravius, & ineluctabile malum praecipitare velis.

4. Alvi fluxus gravidis, puerperis, phthisicis, & variolis distinctis laborantibus, funestum minatur periculum.

5. Quaeritur quare intestina in longa diarrhoea ab humoribus acribus non excorientur, qui sine ani excoriatione vix excerni possunt? Sed notandum est, ipsa

ipsa salia diluta magis esse in diarrhoea, quam in dysenteria, in qua plus bilis aeruginosae, & salis corrosivi deprehenditur; deinde humores in diarrhoea non adhaerere parietibus intestinorum, sed vel e glandulis expressos, vel e ventriculo descendentes, celeri pede ingentem intestinorum tractum permeare, donec foras eliminentur, & in ambitu sese diffundentes in parte exquisiti sensus cuticulam erodant.

6. In curatione humores acres sunt temperandi, abstergendi & leniter evacuandi, nisi malignitas, & inflammatio id prohibeant. Deinde pori sunt aperiendi, & ventriculus cum canali intestinali confortandus. Prius praestant clysteres, juscula ex hordeo, & avena cum endivia, lactuca, acetosa, acetosella, tinctura rhabarbari, & omnia absorbentia. Posterius exequuntur sudorifera, theriacalia, & blandiora acida, vinum cydoniorum, ribium, berberum, gelatina cor. cervi composita. Plura vide in dysenteriae curatione.

ARTICULUS TERTIUS.

De Dysenteria.

1. Dysenteria est variorum humorum pure & sanguine tinctorum, cum alvi torminibus, vigiliis, siti & cibi fastidio, excretio.

2. Caussa proxima est interioris tunicae intestinorum exulceratio, & vasorum sanguiferorum exesio, facta ab humore acri, & corrosivo, sanguinis mistionem turbante, eumque acriorem reddente.

3. Generantur autem tales humores ab esculentis, & potulentis fermentiscibilibus, aëre anomalo, contagio.

4. Magnam hic circa caussae explicationem foenerari possumus lucem ex doctrina de hypercatharsi; sicuti enim validiora purgantia sanguinem usque adeo turbant, & succos inde dependentes exasperant, ut acriores facti, & intra receptacula sua amplius contineri nescii claustra perrumpant, vasa perfodiant, sicque cruentum alvi fluxum cum totius corporis subitanea consumtione inducunt. Ita quoque humores fermentescibiles nacta, vel a contagio admisso, vel ab aëris anomalia, vel assumtorum vitio, occasione, turgescunt, chylum acrimonia inquinant, sanguinis compagem relaxant, ut partes secedant, & divortium a se invicem facientes vasa erodant, tunicas exulcerent, & sanguis cum pure aliisque humoribus pro salium copia, & qualitate aliter atque aliter coloratis crebrius excernatur.

5. Quaeritur unde copiosus iste mucus gelatinae non absimilis? Nihil hic profecto aliud, quam lac seu chylus e glandulis intestinalibus, & vasis lymphaticis redditus, & in gelatinam concretus, quem augent humores pituitosi, e sanguine, in mistione sua turbato, inter tormina praecipitati.

6. Diagnosis est facillima, si excreta inspiciantur, & aeger de alvi torminibus conqueratur. Quaenam autem intestina potissimum afficiantur, id non tam ex doloris situ quam ejus specie, excretionum frequentia, & mistura, nec non ex reliquorum symptomatum majori vel minori pravitate divinare licet.

7. Dividitur in benignam sive notham, & malignam sive veram, & exquisitam, dolentem, & indolentem, in aquosam, & cruentam. Mallem tamen aquosam ad diarrhoeam malignam referre.

8. Affectus hic sua natura est periculosus. Majori tamen versabitur in periculo aeger, si intestina tenuia sint sauciata: si magna adsit febris, & inflammatio. Si malum sit ab atra bile, & salibus admodum corrosivis. Exulceratio quo profundior eo periculosior: colligimus autem profunditatem a caruncularum, & filamentorum, ut & sanguinis copia. Stat Hippocratis effatum, funestis proh dolor! confirma-

firmatum historiis. *Si dysenteria laboranti veluti carunculae dejiciantur lethale est.* Malum quoque lethale est, si singultus superveniat; cum deglutiendi difficultate, & linguae nigritie, si frequentiores vomitus comitentur vigiliae, sitis, febres & cibi fastidium. Plurimis funesta fit dysenteria post intempestivum in cacochymicis acidularum usum exorta, tum quod tonus intestinorum a nimio quanto, in quo fere omnes peccant, jam sit labefactatus, tum quod sanguis caeterique humores, sero omni fere exhausto, acriores magisque fermentescibiles facti sint.

9. Primarii curationis scopi, quos ceu cynosuram, fallere nesciam, in medendi methodo sequimur, sunt sequentes; 1. acre illud vellicans sopiendum: 2. humores in intestinis sunt abstergendi, in sanguine autem corrigendi, & foras eliminandi: 3. ulcus detergendum, & consolidandum.

10. Auspicabimur autem curationem felicius, si injecto uno, vel altero enemate sedativum medicamentum singulis diebus circa vesperam exhibeatur: praesertim in dysenteria exquisita, quae purgantibus magis exasperatur. Nam inter eos dysentericos, quotquot ego hactenus tractavi, & quos non tam facile ob pluralitatem in digitos mittes, neminem profecto vidi, qui evacuantium usum deprehenderit salutarem; quum enim ipsa purgantia, & sanguinem, & intestina afficiant, quis afflictis novam addere audebit afflictionem, praesertim ubi intestina tenuia sunt exulcerata, & ventriculus admodum languet. Videtur autem intempestivum adstringentium, & stipticorum remediorum usum ipsis imposuisse Medicis, ut in eam devenerint sententiam, hoc malum non nisi evacuantibus saepius repetitis curari posse, quia viderunt, dysentericos ab adstringentium usu, ut plurimum in pejus ruere, ventrem intumescere, calorem intendi, & tenesmum augeri; fluxu autem restituto omnia mitius agere, unde periculi plenum subortum est praejudicium, quod dysenterici saepius purgari debeant; neque desunt mihi rationes, quibus inveteratam hanc sententiam de ponte dejicere possem, quas tamen cathedrae reservo. Longe aliter autem se res habet in dysenteria notha, & benigna, quae non tam ex sanguine, quam ab humoribus, in primis viis delitescentibus, ortum suum trahere videtur; quis enim nescit, his a sordibus blandiori aliquo cathartico liberatis, ipsum morbum facilius, & tutius curari posse? Qua benignitate interpretandum est infusum catharticum *celeberrimi Practici Sydenham*, ab Auctore tantopere in dysenteriae curatione commendatum. Verum enim vero! videtur emeticum hoc multis adhuc parasangis antecellere, statim in morbi principio, constantibus adhuc viribus, propinatum, quo ipso & materia peccans imminuitur, & inordinatae humorum fermentationi, & putrescentiae occasio praescinditur. Quod si jam profundioris exulcerationis appareant signa, vomitorium pari cum purgantibus ambulat passu.

11. Itaque vellicans acre temperandum opiatis, prudenter & respiratione adhuc existente libera cum pulsus magnitudine, & vehementia exhibitis, quorum encomia decantant, *Sydenham*, *Willisius*, *Wedelius*, *Ettmullerus* aliique Practici innumeri. Huc pertinent omnia theriacalia, diascordium, theriaca coelestis, theriaca recens. Deinde intestina detergenda, & mundificanda clysteribus ex lacte chalybeato, sero lactis, vel decocto vulnerario cum melle, terebinth. & saccharo Saturni paratis. Porro humorum affluxus ad intestina cohibendus decocto *Zwoelfferi* cum priapo cor. cervi vel ceti, & gelatin. cor. cer. parato, electuario ex conserva rosar. cum pane cydoniorum ol. nuc. moschat. expresso, & tinctura opii. Observandum tamen, quod humores evacuantia prioribus remediis saepius sint interponenda, inter quae sudorifira omnem absolvunt paginam, qualia sunt cor. cer. solare, lap. bezoar. Oriental. & Occidental. bolus Armena, terra sigillata, aqua cordial. frigid. *Saxon*, cum camphora, & omnia camphorata, aqua tormentill. theriacal. lign. sassafr. Tandem ulcera sunt consolidanda, & coctio juvanda, quo pertinent

deco-

decoctum chinae chinae, vinum cydoniorum, rob. sorbillor. terra vitriol. dulcis, crystall. praeparat. aqua pan. cum nuc. mosch. aqua menth. zedoar. anisat. tinct. rosar. corallior.

12. Venter inungatur balsam. sulphuris anisat. cum oleo nuc. moschat. express. & theriaca: toti abdomini imponatur emplastr. ex theriaca & bolo Armen. vel omentum vervecinum cum oleo hyperic. De clysteribus notandum etiam est, quod saepius plus irritent ad excretionem, si spincter admodum sit sensibilis, & quod frustra injiciantur, si malum in tenuibus haereat intestinis.

13. Diaeta sit lactea. Pro potu ordinario commendatur vinum rubellum. Exulet Venus, quam multi ventri prodesse dysenterico falso existimant; nunquam enim tempore morbi de ea cogitet aeger, ut remedio, sed potius de Abi in cellam, & Ora Pater noster in solatio.

14. Tenesmus est spincteris ani crispatura, quae fotu cum flor. chamom. sambuc. verbasc. rosar. & meliloti in lacte coct. vel emplastro ex sevo hircino, vel cervino cum oleo hyperici curatur.

ARTICULUS QUARTUS.

De Colica.

1. Est dolor abdominis cum magno intestinorum cruciatu & distensione, quem frequentissime alvi adstrictio & vomitus comitantur.

2. Caussa est vel humor austerus, mordax & acris in tunicae intestinalis haerens tubulis & fibras contorquens, culpa digestionis duodenalis productus: vel flatulentus quidam genius ob denegatum exitum oberrans, & fibras intestinales distendens.

3. Caussae remotiores sunt aër frigidior, cibi flatulenti, pinguia, praesertim si illis superbibatur, cerevisia faeculenta, ira, & omnia, quae vel succum pancreaticum acidiorem, vel bilem acriorem reddere possunt.

4. Dividitur in pituitosam, quae a pituita multo sale referta oritur; in biliosam, quae a bile acriori producitur; & in melancholicam, seu scorbuticam, quae ab humoribus austeris excitatur. Rursus alia dicitur uterina, alia nephritica, alia benigna, & alia maligna, & epidemica.

5. Dolor nunc est vagabundus, & totum intestini coli ambitum percurrit; nunc magis fixus circa umbilicum, qui ob spasmodicam corrugationem quoque versus interiora convellitur.

6. Quamvis autem hic affectus etiam a mulierculis curetur saepius, vel non raro tamen aegrum in vitae conjicit discrimen, praesertim si humor valde contumax sit, acris & inflammabilis, si inveterata adsit pororum intestinalium obstructio, tunc enim saepius fit lethalis, & in epilepsiam, passionem iliacam, vel paraesin degenerat.

7. Scopi primarii in curatione sunt, 1. ut alvus reddatur lubrica: 2. ut humores corrigantur, & evacuentur: 3. ut flatus discutiantur, & pori obstructi reserantur: 4. ut urgentius symptoma, dolor mitigetur. Quibus feliciter obtinendis conducunt clysteres nunc simplices, nunc compositi magis, terebinthinati, & antimoniati, injici autem debent per siphonem, quia altius progrediuntur, & fortiorem in intestinorum parietes faciunt impetum. 2. Infusum fol. senn. Orient. cum mãna, & aliquot granis pulveris radicis laxativae, quam magnus *Rolfincius* vocat medicamentum spei plenum: vel sola manna cum oleo amygdalarum in jusculo soluta. Debent autem purgantia in tali exhiberi dosi, ut citius & certius expectationi satisfaciant, quia unicum etiam catharticum mature exhibitum, plus saepius prae-

praestat, quam triginta clysteres. 3. Sudorifera ex decocto lignorum *Empyrici Viennensis*: vel ex rob. ebuli & juniperi cum sale volatili viperarum & cornu cervi. Carminativa ver.gr. aqua mirabil. aq. zedoar. anisat. aqu. e baccis sambuc. aq. aurantior. aqu. e stercore columbino destillata, spir. carminat. de tribus, spir. tartar. simplex, vel sassafratus, spir.nitr.dulcific. spir.sal.armon. anisat. vel succinat. tinctur.succin. castor.aurantior. liq.cor.cer. succinat. cortic. aurant. cum vino crocato exhibiti. 4. Tinctur.anodyna, theriaca recens, laudan.opiat.

8. Externe conveniunt sacculi carminantibus resolventibus & emollientibus impleti, & in lacte cocti, fasciculus filorum lineorum in aq. & cinere coct. cucurbitula cum multa flamma umbilico imposita, balneum artificiale ex emollientibus, & anodynis, emplast.carminat. *Sylvii*, inunctiones cum ung.anodyn.dialth. ol. carminat. zibethum, axung. cat. Sylv. Instar omnium est ol.succin. umbilico inunctum, quod quicquid nebulosum est, discutit.

9. In maligna saepius ab opiatis ordienda est tela, quae nervinis, & carminativa commista praemisso blandiori cathartico malum felicissime tollunt, & per plures dies exhibita recidivam, in hoc morbo fere semper timendam, impediunt. Alvus adigatur ad officium clysteribus, post quorum applicationem aeger in balneum deducendus, a balneo vero in lectum, & assumto succo lumbric.terrestr.componat se ad sudores. Vitari hic debent omnia calidiora & agitatoria vi praedita, neque enim hic juvant aliorum tela plumbea, & si apparatum, majoribus litteris ab Empyricis commendatum, excutias, nil nisi nugas & sordidis observationibus stipata mendacia habebis. Venaesectio aliquoties etiam non tam ad evacuandum, quam ad ventilandum sanguinem repetita, in subjectis remedio huic assueti, admodum est proficua.

10. Praeservatio consistit in obedientia diaetetica, hic enim locum habet: medice vivere, est misere vivere. Conducit iter aliquod, ut corpus per plures dies equitando, vel vectione concussum ab obstructionibus viscerum contumacissimis liberetur. Tandem pro solatio sunt acidulae, decantatum scorbuto aestuantium, refrigerium, sub prudentis Medici moderamine ab Idiotarum, & post fornacem cucumere citius natorum medicastrorum phantasmatis, & nugis vindicatae.

ARTICULUS QUINTUS.

De Iliaca Passione.

1. Est motus intestinorum peristaltici perversio: vel est fibrarum intestinalium ab ano ad gulam usque convulsio, a tumore, inflammatione, convulsione, vel nimia distensione nunc intestini ilei, nunc omnium, producta.

2. Caussae remotiores sunt frigus, intestinis inimicissimum, in hernia admissimum, ira, scybala diutius cum flatibus retenta, venenum. Vidi infantulo trimestri iliaca passione extincto, tenuia intestina intrasse crassa, & quidem intestinum rectum, ut tumorem palmae magnitudinem aequantem exhibuerint: erant autem usque adeo convoluta, ut non nisi vi quadam a Chirurgo in rectum explicari potuerint, quae hinc inde maculis nigris notabantur, & ipse ventriculus aliquot contraxerat carbunculos, in cujus fundo fluctuabat liquamen nigrum cum pulvere instar auripigmenti, vel vitri contusi splendescente.

3. Enemata in hoc affectu fiunt emetica, alvus est adstricta, & faecalis materia vi per superiorem gutturem excernitur, excrementa tamen non semper foetent: si enim e tenuibus intestinis venerint, odoris fere expertia sunt; sin autem ex crassis ascenderint, fermento stercoreo imbuta admodum foetent. Hinc *Sydenham* dividit iliacam in veram & notham. Vera ipsi dicitur, quando ventriculi cum inte-

integro intestinali ductu motus peristalticus invertitur. Notha quando non totius fistulae intestinalis adest convulsio, sed illorum saltem intestinorum, quae supra sedem obstructionis a faecibus, flatibus, vel herniosa constrictione, sita sunt, dolores admodum sunt vehementes, ut coelum terrae misceri videatur, adsunt vigiliae, inquietitudo, frigus extremorum, & cadaverosa facies.

4. Si ab hernia & stercorum detentione oriatur; spei plenum facimus prognosticum, quum eam aliquoties viderim curatam. Sin vero ab inflammatione totali, ab humoribus eo concitatis, fuerit introducta, non potest non eventus esse funestus.

5. Urgentius symptoma est vomitus, qui omnem ad se divertit medendi operam; frustra enim exhibentur alia medicamenta, nisi huic prius ponatur obex. Pro quo scopo obtinendo convenit potiuncula a *Riverio cap. de vomitu* descripta, & a *Sydenham* in hoc morbo commendata, ex sale absinth. & succ. limon. bis de die sumenda: interim singulis horis detur aqua menthae, quam ad plures etiam dies continuare jubet *Sydenham* ob recidivae metum. Vomitu sedato ducatur aeger in balneum tepidum ex lacte, vel aqua pluviali cum herbis emollientibus & laxantibus prius cocta, injecto ante ingressum clyctere sale tartari exaltato. Catulus vivus continuo accumbat ventri, quem fovere praestat spiritu vini camphorato, vel nitri, solutione cum sale armon. Si inflammatio valde urgeat, venaesectio quoque tentanda. Tandem ubi omnia conclamata jam apparent, concedatur haustus argenti vivi ad aliquot etiam uncias; quamvis enim juxta *Sydenhamnii* sententiam parum conducere, imo noxam haud condemnendam inferre videatur, tamen metum hunc inanem crediderim, quod persuasus sim, magnam argenti vivi copiam citra ullum aliquod incommodum assumi posse. Et docent nos *ephemerides*, quod operarii in fodinis Hungariae magnam hactenus insciis inspectoribus vesperi ante habitum deglutierint argenti vivi copiam, quam domi per alvum reddiderunt, & furtum clam vendiderunt. Quo detecto sancitum nunc est, ut omnes extra fodinam aliquandiu commorari teneantur, priusquam se domum recipiant, quo eo facilius furti convinci possint.

6. Si malum ab herniosa constrictione sit productum, tumor ante omnia emolliendus cataplasmate ex axungia porcina, rad. alth. & ol. hyperic. parato, dein ipsa intestina in pristinum redigenda sunt situm.

7. In diaeta commendamus jejunium: quo enim aeger diutius a ciborum ingestione abstinebit, eo plus in intestinis sentiet levaminis. Interim vires, in quibus vitae thesaurus reconditus est, cardiacis modice refrigerantibus sunt confortandae.

ARTICULUS SEXTUS.

De Lumbricis intestinalibus.

1. Lumbrici generantur ex ovis muscarum, quibus ingesta sunt conspurcata, quae superveniente proportionato calore in intestinis excluduntur. Ejusmodi alimenta sunt saccharata, lacticinia, mellita, & alia aëri diutius exposita, quibus muscarum agmina insidiantur. Vide excellentissimi *Harderi epistolam de insectorum generatione ex ovo*.

2. Pulchre *Helmontius in tract. sextupl. digest. aliment. human. vermes*, dicit, *generari, quando fellis fermentum nō attingit alimētum*: amara enim vermibus sunt inimica, hinc negat illos vel in duodeno, vel in vētriculo generari posse. Id quod quidem in statu naturali facile concesserim. Sed quid obstabit, quo minus etiam in pituitosa cruditate concurrente calore putredinali & his in locis vermes generentur?

3. Cognoſcuntur ex ventris dolore, febri erratica, pavoribus in ſomno, facie cachectica, phlogoſi, & narium pruritu.

4. Variae dantur vermium ſpecies, & figura, & hoſpitio a ſe diſtinctae. Exigui, aſcarides dicti, in recto inteſtino commorantur, reliqui integrum inteſtinorum ductum dimetiuntur, & fame vexati, ſine ulla honoris praefatione, nefario auſu ad ventriculum & gulam uſque ſaepius exſpatiantur.

5. Non raro funeſta ludunt dramata, dum ipſa inteſtina, quae tam grata ipſis exhibent hoſpitia, perfodiunt. Et balſamicam chyli partem abſorbentes putredini fores pandunt, matri ſexcentorum malorum. Si in morbis malignis per alvum excernantur, vel ſponte per gulam prorepant, magnum aegro portendunt periculum. Vix enim (inquit antea laudatus *Helmontius*) lumbrici extra vitalem nidum ereptant ſurſum, niſi ob ſibi horridum, ac malae contagionis obſtaculum. Hinc illos ceu nuncios magnae putredinis merito increpamus.

6. Itaque dentur 1. vermes enecantia, 2. evacuantia, 3. chylificationem promoventia. Quibus ſatisfit 1. per acida ſpir. vitriol. ſpir. vitriol. Martis, elixir. vitriol. ſucc. citr. vinum, vitriolum Martis, vitriolum calcinatum, 2. per amara eſſent. abſinth[illegible]um eſſent. tanacet. eſſent. aloët. contra vermes, elixir. propriet. ſem. ſanton. corallin. 3. per oleoſa, ol. amygd. olivar. 4. per ſcabra teſtacea, & ponderoſa, cor. cervi, corall. Mercurii dulcific. Aqua communis cum argento vivo bullita, quod remedium *Helmontius* vocat paucum & innoxium potum, omnes interimentem vermes tam in inteſtinis, quam extra illa hoſpitantes. Secundae indicationi ſatisfaciunt rhabarbarum, & ex eo parata remedia, pilulae Francofurtenſes, Glaſſianae, aliaeque aloëticae familiares, clyſteres ex lacte & ſaccharo, vel melle. Amara externe umbilico impoſita, epithema pro abdomine, quod & alvum movet, & vermes enecat, cujus non nemo in ephemerid. ceu megni arcani facit mentionem. Pro 3. pertinent huc omnia ſtomachica, fermentationi & digeſtioni dicata.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Haemorrhoidum affectibus.

1. FLuxus cruentus, vulgo hepaticus dictus, eſt ſanguinis ſeroſi per haemorrhoides excretio, culpa ſanguinis, non hepatis producta.

2. Nam vaſa ſedalia ſaepius per anaſtomoſin, vel etiam diabroſin aperiuntur, & ſanguinem nunc craſſum, & faeculentum, nunc rutilum, ſaepius aquoſum fundunt. Praeceſſit annoſa quaedam ſanguinis intemperies, & cacochymia diſpoſitio e primarum viarum vitiis introducta. Hinc eſt, quod omnes tales non bene ferant adſtringentia, & remedia ſtyptica, ſufflaminato enim hoc profluvio accedit dolor, tumor, & inflammatio circa anum. Sin vero connivere, & ſanguini liberum exitum concedere velimus, metuendum eſt, ne aeger in cachexiam praecipitetur. Itaque ſedulo attendendum eſt, utrum fluxus hic ſit periodicus, & certis circumſeptus limitibus; utrum vero oeconomiae, & praeſertim ſanguini ruinam comminetur. In priori enim caſu ſoli naturae negocium erit relinquendum, hunc penſum in valetudinis commodum lunatice ſolventi. Sin vero magna inſequatur virium proſtratio, in tantum quidem locus affectus etiam relinquendus eſt, neceſſe tamen eſt, ut oculos & mentem ad primas vias, & ipſum ſanguinem convertamus, quo, praemiſſa venaeſectione humores vitioſi juſculis alterantibus & laxantibus, per epicraſin primas vias a ſordibus liberantibus, evacuentur, & obſtructiones per martialia reſerentur, ipſe vero ventriculus per amara ſtomachica confortetur, qualia ſunt ſpirit. vitriol. tinct. Martis, tinct. terr. foliat. eſſent. amar. elixir. fermentativum.

3. Sac-

3. Saepius restagnat in his vasis sanguis pituitosus & faeculentus, ob spirituum inopiam regredi nescius, unde ob distensionem & compressionem primo pruritus, mox dolor exquisitus cum inflammatione, tumore, & abscessu oritur.

4. Medentur huic malo sacculi herbis anodynis impleti, & cum lacte cocti, liquor cinnaberinus calide saepius impositus, cataplasma anodynum ex mica panis, vitello ovi, ol.lin. recenti sulphurato, & flor.chamomill. sambuc. verbasc. & herb. malv. paratum, unguentum de linaria cum butyro cancrin. & ol. ovor. pulvis de verbasc. & quum totum negocium in vasorum tumentium apertione consistat, hirundines illis applicatae subitaneum spondent levamen, caeterisque remediis omnibus palmam reddunt dubiam. Huc pertinet aloë sanguinis pituitosi & melancholici potētissimum correctivum, hinc si vis vivere annos Noë, utere frequentius aloë, sua resinosa parte prius castrata; pari quoque felicitate medentur elixir. propriet. arcanum duplicat. essent. terrae foliat. & spir. sal. armon. aromaticus, DEO autem optimo maximo sit laus & gloria in sempiternum.

DISPUTATIO XXI.

DE EBRIETATE ET INSOLENTIBUS ALIQUOT IPSIUS AFFECTIBUS.

RESPONDENTE

ARNOLDO CURTIO, Cassellano-Hasso.

J. N. D. N. J. C.

Nunquam tam vehementi admiratione solem naturali sua luce coruscantem inspiciunt mortales, quam si ecclipsatus nitidum caput obscura ferrugine texit: nunquam tanta attentione respicimus hominem decoris moribus utentem, & bene compositis gestibus incedentem, quam qui vino probe madefactus per compita grassando dat motus incompositos, & carmina dicit. Quapropter quum admiratio ad caussarum inquisitionem plerumq; exstimulare nos soleat, genuinam EBRIETATIS *naturam cum praecipuis ejus phaenomenis, & symptomatibus per principia naturalia in apricum ducere mecum constitui, ut unicuique, qui ethicas exinde consequentias elicere delectabitur, dubitandum sane sit, num brutum an homo dicendus sit EBRIUS.*

THESES.

I. Libuit sapientissimo rerum Architecto in primaeva Mundi creatione substantias non tantum intelligentes, & corporeas seorsim, verum etiam creaturam quandam non simplicem, sed ex utroque rerum genere compositam fabricari: dum enim ex terra nobilem quandam machinam artificiose formarat divinus hic Plastes, aliam quandam substantiam intelligentem & cogitantem, quam mentem, seu animam rationalem vocamus, ei insufflavit, & simul junxit, sicque surrexit, & ex manu Dei prodiit HOMO, audax illud naturae miraculum.

II. Et certe etiamsi duae hae substantiae mens & corpus naturae a se invicem valde discrepantis sint, tam arcta tamen inter illas intercedit unio, ut plurimi corporis motus a mentis cogitationibus, multaeque vicissim mentis cogitationes a corporis dependeant motibus: ita ut si anima brachii motum voluntate sua imperet, ecce promtissime se extendit, & ad animae nutum iterum se contrahit; & e contra quoties corpus quoad partes suas notabiliter movetur, statim hoc percipit mens, certamque pro motus diversitate habet cogitationem, & sensum, nimirum si labra nostra pluma quadam leniter perstringuntur, mens laetatur; si vero

fortiter moveantur quaedam partes, ut continui sequatur solutio, dolet, & molesta cogitatione, seu ingrato sensu cruciatur, & sic de caeteris.

III. Mutuum hoc commercium peragitur mediantibus corpusculis quibusdam summe agilibus & mobilibus, quorum genesin & naturam paucis tibi exhibebo. Scilicet sanguis in corde rarefactus ipsius pulsu subito in arteriam magnam producitur, quoniam vero sanguinis particulae unae alias magnitudine superant, illae solum quae minores, agiliores, & leviores sunt per arteriae aortae ramum, qui recta linea a corde versus cerebrum protensus est, sursum vertuntur, ibique crassioribus ob viae angustiam transitu praecluso solae penetrant & auram quandam subtilissimam & valde mobilem, quam spiritum animalem vocamus, componunt, qui pro diverso suo motu in cerebro, animae functiones suas ibidem specialius exercenti varias ingerit cogitationes, ac rursus pro diversis animae cogitationibus varium quoque nanciscitur motum, quippe ipsi imaginando, sentiendo, & ad crassiorem sui corporis molem diversimode movendam inservit.

IV. Prout igitur spiritus animales in legitima copia, debitaque agilitate menti in exequendis suis muniis inserviunt, sic etiam, dum iidem abundantia peccant, vel nimis agiles, vel torpidi sunt & immobiles, anima frustra dominatur, ejusque cogitationes ab immorigeris sibi spiritibus non uno modo perturbantur; hinc tot tamque mirabiles in humano corpore tragoediae tanquam in publico theatro conspiciendae exhibentur, ut modo adstantium excitent commiserationem, modo ipsi etiam Heraclito alios extorqueant cachinnos.

V. Inter illas autem agmen plerumque ducit vertigo, qua correpti, progredi vix valent, nihilque stabile, ac consistens in debito suo situ ac positione conspiciunt, sed omnia circumstantia adjecta illis simul cum semetipsis in motum spiralem circumrotari videntur: quod sequenti modo convenienter explicari posse confido, si cogitemus, sanguinem lautiori vino, aliove quovis generoso liquore irritatum, solito magis in corde accendi ac dilatari, & in arterias propulsum eas etiam tumidiores efficere: unde fit, ut arteriolae etiam, quae spiritus animales cerebro instillant, a suppeditata sibi majori sanguinis copia valde dilatentur, earumque orificia pro spirituum animalium excursionibus nimis ample sint patula, sicque subtilioribus non tantum, sed & crassioribus quibusdam sanguinis partibus transitum concedant, quae crassiores dum in reliquarum minutissimarum pernicissimum motum consentire nequeunt, eliminantur & cerebro adhaerent, ejusque ut & nervorum poros obstruendo spirituum animalium influxum impediunt: eadem ratione ac sol crassiusculas quasvis sibi immistas particulas in aliarum motum conspirare laborantes versus superficiem expellit, ex quibus densi aliquando macularum cortices conflati, macrocosmi illuminationem non parum obtundunt: aut potius quemadmodum videmus aquam, vel alios quoscunque liquores, dum igni admoti ebulliunt, partes quaslibet crassiores, & ad motum minus aptas emittere, ex quarum concretione spuma componi, & ipsorum superficiei, ubi minor est agitatio, supernatare solet: pariter opinari vas sit, faeculentas quasdam sanguinis partes spiritibus immistas, ob molem suam & irregulares figuras tantam cum reliquis spirituum minutiis agitationem refugientes, ab iis separari, & cerebri particulis adhaerere. Progressurus itaque ebrius spiritus animales determinat versus illam cerebri partem, ex qua nervi in musculos imperato ab anima motui inservientes descendunt, dum vero cerebri meatus, nervorumque orificia hisce infarcta sunt faeculentiis, spiritus animales transitum non invenientes respuuntur, & regulari suo motu praepediti in vortices, & gyros aguntur, atque ita non modo omnes microcosmi regiones sua irradiatione destituunt, sed etiam animae objecta visibilia modo tanquam in altum elevata, modo in imum depressa, modo circumgyrantia, & in motus tornatiles acta falso repraesentant.

sentant. Quae mea sententia per caussas demonstrata, similibus illustrata, per experientiam omnino indubitata redditur, dum vertigine laborantes non solum scotomia percutiuntur, & progredi nescientes, vel admodum vacillant, vel in terram corruunt, (inde spirituum animalium in nervos trajectio intercepta evincitur) verum etiam, etsi oculis clausis humi jaceant, vel lecto incumbant, verticosos spir. animalium motus, ceu molendini circumactiones in capite satis manifesto persentiscunt: & tamdiu durat paroxysmus, usque dum spiritus in cerebro rotari desinant, ac spuma, cerebri meatus obstruens, a continua eorum agitatione dissolvatur, iterumque, absorbeatur, prout etiam solis maculas in ipsius substantiam refundi observant coelestium ruspatores, aut sicut eandem spumam in ebullientium liquorum superficie cumulatam ab iisdem diutius effervescentibus plerumque rursus absumi videmus.

VI. Indecoris etiam gesticulationibus turpiter se prostituunt compotatores, absurdisque & incongruis sermonibus, choreis valde confusis, & incompositis, temerariisque luctationibus se aliis deridendos propinant: spiritus animales enim, quum alias ad mentis arbitrium benigna scaturitione per nervos in musculos deferri, blandumque & convenientem membrorum motum ciere deberent, ab aestuanti, & fere ad incendium usque efflagranti sanguine in cerebro liberati, & efferatiores fiunt, & indomiti, tumultuantur, & summo cum impetu ac pernicissima quasi fulguratione nervos trajiciendo, musculos & membra, quibus innexi sunt, modo extendunt, modo contrahunt; huc illuc agitant, variisque modis transferunt, non secus

Ac si carceribus sese effudere quadrigae
Addunt se in spatium, & frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Quibus adde, quod anima (praesertim si nullo cogitationum usu firmata, nulla validis rationum momentis innixa judicii constantia pollens affectibus reluctari consueverit) ob arctam cum suo corpore conjunctionem a spirit. tumultu perturbetur saepissime, ut non nisi confusis & obscuris passionibus obruta, cogitationum suarum non amplius sit domina, sed praecipitia malesuadis sensationibus inaedificata ferens judicia, non ex virtute agat, sed quod praesens ipsi passio suggerit, sine mora & sufficienti examine exequatur: quapropter & ipsa simili cum spirit. furoris oestro percita, ipsos ceu famulos in exequendis petulantiae muniis promtissimos, pro lubitu suo dirigit, ad vociferandum, dimicandum, tetras, impudicas & valde absonas locutiones proferendum, pedes, manus, & quaevis membra inconcinne jactitanda, & quae sunt alia incompti motus genera.

VII. Quibusdam etiam in mora est, ut dum Baccho nimium litarunt, non solum affectibus, sed & imaginationis vitio in transversum lati, in quandam delirii speciem incidant, & stultas insanientium actiones exactius referant; cujus caussam ut accuratius enucleemus, observandum venit, spirit. animales in impressionum antea in cerebro factarum vestigia influentes certam in mente certae cujusdam rei cogitationem, & ideam excitare, & animam ex lege unionis, quae ipsi cum corpore intercedit, obligare, ut hanc potius cogitationem, quam aliam ex se promat, ad eam attendat, & isti spirit. motui quasi alliget, ita ut posito hoc spirituum in certos cerebri poros influxu, non possit etiam certa cujusdam rei imaginatio non poni, non aliter ac objectum visibile nervum opticum satis fortiter feriens, necessario qualemcunque sui conceptum animo ingerere experimur. Quemadmodum igitur ab aequali & uniformi spirituum cursu convenientes in anima cogitationes, & ideae efformantur, sic ab iisdem in confusionem adactis, & mox haec mox, illa cerebri vestigia sine ordine irruentibus vagae etiam & dispares in mente imaginationes oboriuntur, & multiplicia rerum phantasmata.

Dum

Dum itaque divina haec substantia a corporis sui illusionibus incantata, aut incantamentis illusa cogitationes suas negligenter vagari sinit, nihilque nisi fictas, & tragicas quasdam notiones, & noëmata confusa effingit, non potest se in eo statu ab eorundem attentione expedire, aut cogitationes suas ab innumeris phantasiae machinationibus avertere, ut puri intellectus ideis, & distinctis conceptibus se applicare, & addicere possit, sed in miserum & deplorandum servitutis statum praecipitatur, dum cogitationibus suis, quibus antea ceu magistra praeerat, amplius dominari impotens, alligatissima corporis serva evadit: quapropter omnes in universum ipsius vitae actiones, & mores juxta cogitationum delineamenta compositi, absurdi plane sunt, & incongrui, quin sermones, cogitationum indices, non nisi ridiculi, & impertinentes esse possunt, quos quales in specie sint, ne risum moveam, lubens reticebo.

VIII. Non tamen sicco pede praetereundum puto, cur plerique extreme ebrii actionum, locutionumque suarum postridie ignari, & ne minimae quidem rerum a se gestarum circumstantiae sint memores, adeo ut si quicquid commiserint, postero die ab aliis referri audiant, ipsi vel credere recusent, vel si rem multorum testimonio comprobatam videant, summa admiratione attoniti percellantur: quocirca breviter dicendum censeo, quid requiratur ad id, ut alicujus rei recordemur, ad hoc autem tam corpus, quam anima suam contribuit operam. Ex parte corporis requiritur, ut arculae antea cerebro impressae, vel apertae maneant, ut facile iterum aperiantur, ut spiritus animales eo versus potius quam alio ferantur, ut eandem iterum cogitationem, & actionem, quae eundem spirit. motum prius comitata fuit, animae exhibeant. Verum non sufficit ad reminiscendum, eadem rursus in cerebro aperiri vestigia, spir. animales iterum in ista allici, prioremque in anima redire cogitationem; sed insuper ex parte ipsius mentis necessarium est, ut ipsa cognoscat, non esse prima vice, quod haec cogitatio nobis fuerit obversata, vel centies enim una eademque cogitatio in mente rursus oboriri potest, ita ut non advertamus, nos antea ipsam circa hanc vel illam actionem habuisse, adeoque solus istius cogitationis recursus ad constituendam reminiscentiae formam insufficiens est. Quae quum ita sint facile unumquemque propositae quaestionis caussam clare intellecturum arbitror, qui considerabit, spiritus animales in ebriis nimis vagos plurima in cerebro saltem leniter aperire vestigia, unique imprimendo non satis diu immorari, quod facile iterum obliteratur; quapropter spiritus animales in aequilibrio positi, versus omnes partes aequaliter inclinant, neque haec potius, quam alia repetunt vestigia, neque eadem in mente recurrit cogitatio, adeoque hactenus corporis vitio, non reminiscitur anima, quod etiam in nobismetipsis experimur quotidie dum nimis multa memoriae mandanda obiter legendo percurrimus; tunc enim spirit. animales a mente, citius pensum suum absolutura, magna celeritate hinc inde determinati, nulla vestigia satis fortiter producunt, quae aliquandiu remaneant, & spirit. influxum ad se alliciant, unde mens tentatura, quid memoriter teneat, ne paucula quidem verba debito ordine sine multiplici haesitatione, aliquando nec initium nec finem cum fiducia recitare potest. Verum enim vero etiamsi aliquando impressionum cellulae in cerebro satis apertae maneant, & praeterita in mente iterum excitetur idea, non tamen ad producendum reminiscentiae actum sufficere diximus: aliud enim est percipere quid secunda vice, quod sine reminiscentia fieri potest, & aliud iterum est, animadvertere, nos secunda vice illud percipere, quod demum est reminisci, ita ut praeter primae cogitationis recursum mens per actum reflexum intelligat, hanc cogitationem non esse novam, sed alia adhuc vice eam nos in quodam negocio habuisse: quaeri quidem potest, cur hoc non semper cognoscamus, an scilic. illa cogitatio prima an secunda vice nobis obveniat. Sed facilis est responsio, mentem

nostram non posse animadvertere, cogitationem quandam non novam esse, sed secunda vice recurrere, nisi antea etiam alio tempore, quo ipsa in animo fuit pura intellectus operatione cognoverit, & annotarit, ipsam prima ipsi vice obtingere, relata enim sunt simul cognitione: dico puri intellectus operatione, novitas enim, prout respicit id quod vetus, & nobis familiare est, & quaelibet aliae relationes rerum cum rebus comparationes, & ab aliis distinctiones, quum nihil materiale, & extensum in se contineant, neque inter imaginationis neque sensuum objecta unquam referri possunt. Quum igitur ad reminiscentiae constitutionem necessario requirantur puri ab imaginatione, & sensibus abstracti intellectus operationes, iisque temulenti, obscuris sensationum machinamentis, vanisque vagarum imaginationum ludibriis distracti, circa actiones suas vacare nequeant, mirum non est, quod iidem omnium suarum ebrietatis tempore commissarum actionum, & verborum plane sint immemores.

IX. Inter acerbos ebrietatis fructus, & hoc numerandum putet, quod aliquando adolescentes, qui eximia mentis acie ingeniique sagacitate pollebant, sensim ac sensim hebetiores, tandem insulsi plane ac bardi evadant, ita ut ex hominum albo deleti in brutorum classem translati esse videantur. Deplorandae hujus metamorphoseos caussas, ut perfecte cognoscamus, repetenda sunt, quae de vertiginis natura supra innuimus. Scilicet omnes arterias ab efflagranti sanguine nimis intumescere, unde arteriolarum ostia nimis aperta terrestres etiam, & crassiores sanguinis partes cerebro offundunt, quae quum pari, & aeque veloci cum spirituum commotione agitari recusent, ab ipsorum consortio separantur, & sibi invicem adhaerentes, tenues quasdam veluti maculas seu spumam componunt, quae cerebri meatus quodammodo obvelando, spir. animalibus impedimento sunt, quo minus libera sui expansione cerebrum trajicere queant, unde & ipsi ob praeclusas, aut saltem ex parte impeditas ituum, & redituum vias paulatim obtusi, inertes ac otio obtorpescentes animalium quarumvis functionum, & sensuum praecipue internorum menti in acquirenda rerum cognitione opitulantium, munia segnius obeunt, atque ita ex hominibus, qui alias ob spir. vigorem acutae erant indolis, ac vivido prae suis consortibus ingenio conspicui emicabant, μωρώσει quadam & ingenii plusquam Boeotici tarditate obfuscantur.

X. Bibulis etiam postquam meracius hauserunt, familiare est, ut somnus iis facile obrepat: antequam autem ad illud explicandum me accingam, breviter vigiliae, & somni naturam indigitare operae erit pretium. Hominem itaque vigilare dicimus, quamdiu spiritus animales satis copiosi simulque satis vegeti, & expediti cerebrum, & nervosum genus inflant tensumque servant, ut sensus & arbitrarii motus actiones debite exerceantur: econtra dormire dicimus, quando spiritus neque sufficienti quantitate adsunt, vel etiam non satis agiles sunt & mobiles, tunc enim cerebrum & nervosum systema spirituum inflatione destitutum ceu vela ventis sedatis flaccescunt, & tensione relaxantur, quo ipso sensuum, & arbitrariorum motuum actus necessario supprimi necesse est: dicimus somnum duas efficientes seu potius deficientes agnoscere caussas, modo spirituum defectum, modo ipsorum crassitiem, torporem, & immoblitatem. Utroque modo in ebriis contingit, priori modo, dum garrulitate, saltationibus, luctationibus aut alio aliquo immodico corporis exercitio, spiritus animales nimium incalescunt, & per sudorem a toto corpore dimanantem dissipantur, & in auras abeunt: posteriori vero ut plurimum accidere solet, dum sanguis a potulenta materia copiose ingesta saturatus, uti in alias excretionis vias serosam illuviem, sic etiam in cerebrum aquosos vapores largius exonerat, quibus irrigati spiritus animales ad motum minus habiles sunt, & eo magis evenire hoc solet, quando inebriati, ex calefacto hypocausto frigido aëri exponuntur, quod sequenti modo contingere, plane mihi persua-

deo:

deo: nimirum aquosi vapores ex sanguine separati per insensiles poros a calore magis adapertos transpirant, aut si forte quaedam particulae spiritibus immistae maneant, illae tamen, quamdiu a calore agitantur, a se invicem valde disjunctae sunt, ut spiritus licet quodammodo sufflaminati nihilominus animalibus functionibus, quamvis non tam expedite, praeesse possint, & homo licet non tam alacer adhuc tamen vigilat: quamprimum vero calidum aërem cum frigido commutat, tunc vapores poris ambienti undique frigore constrictis, non solum a transpiratione intus cohibentur, sed ipsorum etiam particulae ob caloris defectum minus agitatae se mutuo contingunt, sistuntur, & in aquae guttas mutantur, non aliter ac vapores a terra in aërem elevati frigore constipantur, & in guttas compacti in terram depluunt, aut potius ac venustissimi halitus in frigidum alembicum impingentes in liquorem condensari solent: quapropter aquosa colluvie inundati spiritus animales animalium facultatum organa sua irradiatione destituunt, homoque uti vino sic altissimo quoque somno sepultus jacet.

XI. Denique tragoediam hanc tristi aliquando spectaculo finire solet apoplexia, qua circumventi subito concidunt, & attoniti stipitum instar sine motu, & sensu, & mortuis, quam vivis similiores succumbunt ebrii. Cujus. αἰπολογίαν priusquam ex ebrietate deducere tentemus, e re erit, praemonuisse, triplicem caussam agnoscere hoc malum: 1. spirituum defectum ex arteriarum carotidum, & cervicalium ruptura oriundum: 2. spirituum crassitiem: 3. eorundem in cerebro ἀταξίαν, quas duas posteriores caussas simul viarum seu pororum cerebri, & nervorum obstructio concomitatur. Quod priorem attinet, vix fieri posse puto, aliquem ob spirituum defectum ex ebrietate contractum apoplexia obrui, nisi aliud quid accedat: quantum autem ad duas posteriores, saepae videmus illas a nimia crapula obortas apoplexiae effectrices esse, & quidem spiritus a crebrioribus poculis fuliginosos reddi & torpidos, hactenus satis fuse ostendimus; illos autem aliquando plane a motu suo inhiberi, ut apoplexiae auctores sint, demonstratu facillimum est, si cogitemus, sanguinem a nimia potulentae materiae ingestione maceratum, majorem serosae colluviei penum cum alia aliqua faeculenta, & pituitosa materia per nimis ampla, & distensa arteriarum orificia in cerebrum congerere, spiritibus non tantum, sed & cerebro labem aspergere: vel etiam si aquis ardentibus immoderate usi fuerint ebrii, facillime contingit, ut mollissimi sulphuris ramuli, quibus copiose scatent sanguini admisti, alias quasdam salinas, & faeculentas particulas adsciscant, quumque iis combinati, & in efferationem evecti glutinum quoddam componant, quod ab inflammato tunc temporis sanguine cerebro appulsum, spiritus animales viscidis suis particulis oblinendo iisque se agglutinando, velut compedibus irretitos tenet, in quo ναρκώσεως vim consistere omnino persuasus sum, & si forte non omnes suis vinculis constringere possit, insuper cerebri, & nervorum meatus infarctibus suis occludit, ut & illi quos vinctos non tenet, a solitis suis ambulacris interdicti, neque sensum, neque quasdam voluntarii motus species exercere possint, adeo ut homines, licet quassati, puncti, vel alio quovis modo laesi, excitari nequeant.

XII. Spirituum quoque animalium conturbationem levis cujusdam apoplexiae praeludia excitati posse satis probat vertigo, qua vexati non solum sensuum hebetudinem percipiunt, sed etiam aegre & sine titubatione pedumque vacillatione unum vix passum progredi possunt, quod insuper experientia comprobatum dedit: non ita pridem enim exemplum cujusdam, qui inter pocula apoplexia corripiebatur, mihi relatum est. Nimirum contigit, ut dum plures genio indulgent, duo rixari ac denique manus conserere incipiant; hoc inique ferens vir quidam robustus quadraginta circiter annorum, non adeo extreme ebrius, indignabundus ce-

leri

leri pede in locum, ubi colluctabantur, accurrit, ut ipsos tanquam arbiter a se invicem divelleret, verum antequam ipsos prehendit, subito in terram prosternitur: accurrentes ipsum insensilem plane, & immotum trunci instar jacentem prehendunt, nec ullis clamoribus, aut membrorum commotionibus excitari potuit: pulsus fuit debilis, & respiratio laboriosa, nec sine magno stertore, & ronchis cum spuma oris perfici potuit, aceto itaque naribus admoto & inuncto, tandem, postquam dimidiam horam duraverat paroxysmus, iterum ad se rediit. Cujus historiae caussas facillimo negocio intelligemus, quod videl. capite celeri cursu vehementer commoto spiritus non secus ac aqua agitato vase huc illuc oscillarint, & reciproco motu vacillarint, & tandem cum impetu oblique in nervorum, musculorum motui inservientium, poros impingendo, velut aqua ab angusti colli vitro quaquaversum regurgitati, inque enormes motuum anomalias fuerint contorti: quapropter mirum non est, quod ob denegatum, vel saltem improportionatum spirituum influxum corruerit, unde malum malo cumulum est, cerebrum enim, & nervi, praeprimis quia caput duro solo allisum fuerat, quoad figuram situm, & magnitudinem subito mutati, & quidem cerebri meatus, partim obliterati, partim compressi, partim etiã quum alias in statu naturali pro liberiori spirituum trajectione a lineis rectis non multum deflecterent, incurvati nec nisi per sinuosos flexus, & tortuosos anfractus pervii remanserunt, nervorum etiam fibrillae, quarum orificia excipiendis spiritibus recta erant obversae, jam vel sursum elevatae, vel deorsum depressae, vel ad latera inclinatae, spiritibus animalium functionum executoribus fores occluserunt: propterea non valde mirabimur, quod stipitis instar omni sensu, & arbitrario motu destitutus quasi exanimis recubarit hic noster. Quod vero pulsus adhuc quodammodo perficeretur, non omnem spirituum defectum neque totalem totius cerebri diathesin vitiatam arguebat: respirationis difficultas ortum facile trahebat, tum ab impedito spirituum in praecordiorum musculos influxu, tum etiam quia apoplecticus ille ante paroxysmum vehementi irae affectu commotus fuit, unde apertae cordis cataractae plus sanguinis admiserunt, qui deinceps ex spirituum animalium, cordis motui praefectorum, imminutione restagnabat, nec tam promte a pulmonibus ob languidum, & fere oppressum cordis motum, solita sua agitatione impeditis, exantlari poterat, sed in praecordiis stagnans laboranti suffocationem minabatur: cui accedit, quod pulmonibus inclusus aër cum saliva, & alia quavis humiditate pulmones inundante permistus, velut succussum ovi albumen in spumam attolli, & cum ipsa per asperam arteriam ad fauces usque reciprocatus talem strepitum, & stertorem ciere potuerit. Cur denique aeger hic noster pristino suo vigori restitutus fuerit, in caussa est, quod pulsus & respiratio non plane fuerit abolita, & quod cerebrum ejusque meatus, & fibrillae non omnino destructae, sed saltem inflexae, & incurvatae fuerint, adeoque perpetuo spirituum, priora sua ambulacra iterum affectantium, nisu & impulsibus reparari, & in legitimam suam conformationem redigi potuerunt, simili modo ac arborum rami, frugum & herbarum culmi, notabiliter licet inflexi, per succi nutricii solitos suos meatus repetentis transitu vegete iterum eriguntur.

XIII. Quemadmodum vero iidem, dum vires nostras experiundo ipsos confringimus, ut deorsum plane sint penduli, penitus emarcescunt, nec unquam ob poros suos non mutatos, sed omnino confractos, & dissolutos primae suae constitutionis participes fiunt, ita etiam saepissime contingit, ut cerebri meatus nervorumque surculi graviori capitis ictu discerpti, & conquassati priorem suam formam iterum induere pertinaciter recusent, aut etiam si totus spirituum chorus, eorum quoque qui cordis pulsuum, & respirationis sunt praesides, ob inflictam sibi νάρκωσιν obtorpescat, tunc suffocato igne cordis vitali, & ipsa cessat sanguinis circulatio, & aegri qui exanimes videbantur, revera tales fiunt, ac dum

de solvendo hospiti symposio debebant esse solliciti, cum Charonte de naulo pacisci coguntur.

DISPUTATIO XXII.
DE PHTHISI.
RESPONDENTE
ANDREA ERNI, Hanoviensi.

§. I. PHthisis dicitur a φθίνω consumo, quum totum corpus hoc in affectu contabescat, & omni suo succo nutricio defraudetur.

§. II. Sumitur in latiori significatione pro quavis corporis extenuatione; sed parum medice ut infra audiemus. Strictius vero, & rectius pro corporis extenuatione cum pulmonum exulceratione.

§. III. Definitur quod sit: pulmonum exulceratio a materia quadam acri cum totius corporis extenuatione, febri lenta, & tussi.

§. IV. Definitionem hanc vocamus medicam, non logicam, cujus auxiliatrices manus tam in morbis definiendis, quam curandis merito repudiamus, illis contenti definitionibus (vel si termino laedaris, descriptionibus) quae naturam, & essentiam affectus ita explicent, ut a Medico, aegro, & adstantibus intelligi possit. Quem definiendi modum alii logicae naturali tribuunt. De quo *cl. Raei Medicus, & Philosophus celeberrimus in suis disputationibus* videri potest.

§. V. Subjectum cui caussa proxima inhaereat sunt pulmones, illud ebullientis sanguinis ventilabrum, & fuliginum cribrum. Hos primario affici multa evidentissime probant. Et quamvis omnia viscera, omnesque corporis partes extenuentur, & pabulo suo defraudentur, hoc tamen fit consequenter. Quod si extenuationis caussa illis inhaereat sine pulmonum exulceratione, tantum abest, ut affectus ille phthisis vocetur, ut potius tabes, atrophia splenetica, hepatica, mesaraica &c. dicendus sit.

§. VI. Nec approbare possumus cl. *Barbette* opinionem, qui in describendis, & curandis morbis caeteroquin valde accuratus fuit, quod ventriculum, & glandulas mesenterii pro vero phthiseos subjecto in praxi sua ponat, quem errorem *ipse Deckerus in notis* reprehendit.

§. VII. Caussam proximam dicimus esse pus in pulmonibus generatum, vel eo transmissum, quod non solum ipsam pulmonum substantiam sensim corrodit, & exedit, verum etiam totam massam sanguineam inquinat, & hac mediante omnibus totius corporis partibus habitualem conciliat calorem, quem hecticum alias vocare solent.

§. VIII. *Helmontius* accusans fermentum peregrinum, cujus ratione erret Archeus, & impediatur, quo minus alimentum debite alteretur, sed sputa, & phlegmata generentur, nobis non contradicit, & facillime conciliari poterit.

§. IX. Pus vero fit vel ab humore corrupto, vel a sanguine extravasato; saepius ab aliis praegressis morbis suum trahit ortum.

§. X. Ab humore corrupto fit, dum observamus, saepius humores naturae limites excedentes peregrinum induere genium, & in saniem praevia corruptione abire: generantur tales, vel in pulmonibus, dum quacunque id fiat ex caussa pus imbibunt, quam transmittere possunt, unde pituita aliusve quivis ibidem restagnans humor temporis diuturnitate putrescit. Vel aliunde fluunt, & quidem a capite, idque iterum duplici modo. Vel enim latex aquosus multis acribus corpusculis impraegnatus irruit in pulmones, illosque accedente tussi molesta exulcerat;

& haec forsan est ratio, quare splenetici facile fiant phthisici, in quibus lympham abundare, sputationet, & sudores nocturni satis superque probant. Vel lympha quaedam crassa glandulis cerebri emulcta ipsis insinuatur pulmonibus, ibidemque longam trahens moram acredinem sibi acquirit; & in pus mutatur.

§. XI. A sanguine extravasato fit, dum vasa variis ex caussis etiam fortuitis rumpi possunt, quas omnes recensere fere impossibile est. Rupto jam vase, & sanguine extravasato, is qui mature non excernitur fit acris, putrescit, & in pus mutatur, postmodum vicinas sibi partes exedens.

§. XII. Saepius pus ortum suum trahit a praegressis morbis, febribus tam continuis, quam intermittentibus, benignis quam malignis, variolis, pleuritide, haemoptysi, mensium suppressione aliisque.

§. XIII. Febres sane non raro insequitur phthisis, remanente calore quodam hectico, in qua phthisi aegri nihil exspuunt, qualem in pluribus observavi. Quo etiam largior in aestu febrili aquae frigidae potus facit, a quo coctiones depravantur, lympha augetur, unde sanguis acrior factus qua data porta in pulmones ruit, in saniem degenerat, illisque exulcerationem inducit.

§. XIV. Multi etiam febri maligna diu fatigati tandem fiunt phthisici, & vitaturi charybdin incidunt in scillam: non quod venenum peculiari quodam modo eoque occulto pulmonibus magis sit infestum, quam aliis partibus. Talis enim ratiocinandi modus ridiculus est, nec ullum sapit ingenii acumen: sed potius quia pulmones vel a natura, vel adscititio quodam modo laxiores facti particulis acribus volatilibus, & incongruis ultra satietatem, & ad nauseam inebriantur.

§. XV. Neque commovemur, quod multi nobis nec velint nec possint assentiri, putantes: plura nos nobis de particulis polliceri, quam in effectu demonstrari possit. Tales enim vel nondum salutarunt medicinam experimentalem, vel illam ingressi, praejudicium suum ante limen non deposuerunt: de quibus tamen magnam concipimus spem, quod tandem praejudicia deposituri, & ad nostras partes transituri sint, quoniam observamus, illos quidem suo assensu nos non dignari, interim solidis rationibus plane destitui, quibus nostra principia refutare possint.

§. XVI. Nihil enim ab istiusmodi hominibus cum fervore excutiendum, ne particulae biliosae, acres & volatiles, agitatae crassiorem ipsorum cerebro inducant eclipsin, potius multa aequo ferenda esse animo suadeo, ne majores in medicina nostra excitentur turbae: siccine enim regnum nostrum divisum est, ut jam dudum corruisset, nisi viri quidam celeberrimi, & pacis amantes ejus tranquillitatem in totum conservassent, quo nomine laudandus venit *celeberrimus Dn. Straussius, medicinae Doctor, & Professor famigeratissimus, olim Praeceptor, nunc Fautor mihi semper colendus*, qui tanta modestia de Neotericorum loquitur principiis, ut nihil veterum auctoritati derogare videatur, antiquitatem tamen ita veneretur, ut reconciliationem cum Neotericis non solum non recuset, verum etiam illam in suis scriptis quovis studio recommendet.

§. XVII. Saepius variolae phthisi januam aperiunt, laxiorem pulmonum compagem ita dissolventes, ut nulla arte ad pristinum vigorem reduci queant: pleuritidem, purulenta materia non omnino evacuata, vel cum insigni pulmonum laesione rejecta, celeri sed funesto sequitur gradu phthisis. In haemoptysi quum sanguis extravasatus raro ita expectorari possit, quin non aliqui remaneant grumi, qui postmodum acriores facti pulmones exulcerant, non potest non subsequi phthisis.

§. XIIX. Ubi praesupponimus sanguinem esse liquorem e variis particulis acidis, acribus, aëreis & oleosis conflatum: aëreae, & oleosae temperant acidas, & acres, a quibus illae vicissim intra naturae cancellos continentur: quibus avolantibus hae

sui juris factae produnt acrimoniam, imo temporis progressu acriores fiunt.

§. XIX. Ad caussas naturales referri potest temperamentum biliosum, & pituisum, hoc, quia catarrhis obnoxium: illud, quia sanguis in tali dispositione saepius effervescit, vasaque rumpit. AEtas juvenilis juxta *Hippocratem*: constitutio corporis *ab eodem* depicta: pectus angustum, & depressum, collum oblongum, scapulae alatae, & haereditaria pulmonum mollities.

§. XX. Progredimur ad caussas non naturales. Certum est aërem frigidum, & autumnalem glandulas cerebri comprimendo catarrhi fieri auctorem, consentiente, & idem docente *magno nostro Hippocrate*: saepius etiam aliarum partium excitat inflammationem, in qua exaestuans sanguis sibi exitum faciendo tandem accersit phthisin. Saepissime peregrinis particulis iisque contagiosis impraegnatus thoraci valde fit infestus, ut adstantes & Medici habeant, quod timeant, & recte hanc ob caussam phthisis inter morbos haereditarios, & contagiosos referatur.

§. XXI. Quae omnia magnam foenerari poterunt lucem ex *cl. Sylvii* hypothesi, glandulas pulmonum accusantis, quas in statu naturali imperceptibiles esse asserit: in statu vero praeternaturali saepissime fuisse observatas, easque esse conglobatas contendit. Imo in his vomicas etiam colligi solide, & pro ut solet candide demonstrat *in sua praxi. p. m.* 449.

§. XXII. Cibus crudus & viscidus, laudabilis quoque inordinate ingestus, multum ad effectus hujus generationem conferre potest; non solum obstructiones, inflammationes aliaque mala excitando verum etiam sanguinem acriorem reddendo, & laticem aquosum, postmodum in pulmones depluentem, augendo.

§. XXIII. Qui nimium litant Baccho, saepius etiam hoc malo corripiuntur. Quatenus vinum accendit sanguinem, catarrhis viam sternit, & tonum viscerum labefactat. Cerevisia vero obstructiones parit, & sanguini acredinem conciliat. Aquae frigidae haustus corpore nimium incalescente sanguinem quoque restagnare facit, cujus restagnationem paulo post excipit pulmonum totiusque corporis extenuatio.

§. XXIV. Neque insontes sunt acidulae, intempestive & imprudenter potae. Non quasi arsenicale virus in se continenter, ut falso aliqui sibi persuasum habent; sed quia acidum valde augent, & salinarum aeque ac acidarum particularum motum intestinum promovent. Hinc nunquam corpore prius non praeparato, & consilio prudentis Medici non adhibito, temere bibendae. Ego sane nunquam volui famam meam dubio exponere eventui, sed lubens meum rogatus de acidularum Schvvalbacensium usu suspendi judicium, aegros ad duo Medicinae nostrae magna lumina viros amplissimos, & experientissimos *Dn. D. Horstium, & Geilfusium* remittens, ut ipsorum stent sententia, quorum scientia longo rerum usu, & experientia confirmata, ut in aliis sic & in his eminet.

§. XXV. Somnus & vigiliae, animi pathemata, motus & quies, excreta & retenta quomodo excessu, vel defectu spiritus animales, aliasque particulas acidum temperantes consumant, & acidas exaltent, sicque symbolum suum conferant generationi phthisios: hactenus toties fuit dictum, ut illud jam ad nauseam nolim repetere.

§. XXVI. Haec omnia in compendio proponit noster Hippocrates, qui eleganter non minus quam solide de phthiseos generatione *lib.* 1. *de morb. p. m.* 11. disserit, cujus verba attentis auribus, & oculis merito veneramur. Fit autem suppuratus, *inquit*, si pituita ex capite ad pulmonem destillet: & primum quidem ut plurimum latenter defluit, tussimque tenuem, & sputum paulo amarius solito reddit, & aliquando tenuis adest calor. Temporis autem progressu exasperatur pulmo, & intus exulceratur a pituita inhaerente ac putrescente. Et gravitatem exhibet pectori, & dolorem acutum ante & retro, caloresque acutiores in corpus incidunt, &

pul-

pulmo a calore trahit ad se pituitam ex toto corpore: & minime ex capite: caput vero calefactum ex corpore, & hanc putrescentem subcrassam spuit. Quanto vero magis tempus progreditur, tanto magis pus sincerum spuit, & febres acutiores fiunt, & tussis frequens ac fortis, & inedia vexat, & tandem alvus interne turbatur. Turbatur autem a pituita, pituita vero de capite descendit. Hic quum ad hoc pervenerit, perit.

§. XXVII. Fit praeterea, *pergit*, & ab his pulmo suppuratus. Quum venula videlicet aliqua in ipso fuerit rupta (rumpitur autem a laboribus) & ubi rupta fuerit, sanguinem fundit, si quidem crassior fuerit, amplius: sin tenuior minus: & sanguinem quidem ipsum partim confestim spuit, partim vero, nisi vena adstringatur, in pulmonem funditur, & in ipso putrescit: & ubi putrefactus fuerit, pus facit.

§. XXIIX. Quod signa attinet, quae nunc consideranda veniunt, in illorum sane evidentia multum situm est, quod jam dudum agnovit Hippocrates. Non recte quidem fit, *dicit lib.* 1. morb. p. m. 8. si morbum alium existentem, alium esse pronuncies, & magnum existentem parvum dicas, & vicissim parvum magnum: & si supervicturum, non supervicturum pronuncies, & periturum non periturum: & si suppuratum existentem non cognoscas, nec morbum magnum in corpore nutriri cognoscas: & si medicamento aut potione quis opus habeat, quo ipsi opus sit, non cognoscas: & si quae sanari possunt, non sanes: & quae sanatu impossibilia sunt, te sanaturum recipias, quapropter, & in his explicandis erimus, quantum brevitas admittit, perspicui.

§. XXXIX. In principio affectus hic difficulter cognoscitur, quoniam pituita saepius pus mentitur cum tussi, & corporis extenuatione, in qua pulmones illaesi manent, notante id Riverio *in praxi p. m.* 315. *Advertendum est diligenter*, inquit, *catarrhum contumacem in pulmonem defluentem saepe veram phthisin ementiri; siquidem pituita putrida puris aemula per tussim excernitur, hinc ex putredine fiunt febres, ac corporis extenuatio consequitur: attamen ita affecti diligenti curatione adhibita facile liberantur.* Et quamvis jubeant Medici ad Hippocratis imitationem, sputum in aquam tepidam projicere, & ejus subsidentia, & conglomeratione in fundo pus colligant: quod si vero aquae innatet, & propter visciditatem cohaereat pituitam esse concludant; tamen experimentum hoc saepissime fallere deprehendent mecum alii plures. Jubent etiam sputum prunis injicere, ex cujus foetore pus rejici concludi posse docent. Verum enim vero, nonne alius quidam humor viscidus similem exalere poterit foetorem?

§. XXX. Errant ergo in hoc nonnulli Medici, quod putent, pus facile cognosci posse, utpote quod in sensus incurrat; siquidem illud facillime Medicum decipere posse praeter illa, quae jam dicta sunt etiam ex eo patet, dum observamus, pus phthisicorum esse diversum: raro album & aequale, frequentius vero subflavum, viridescens, quandoque atrum, lividum, aut variegatum, consistentia inaequali, foetens, ac cum multifario phlegmate mistum: quae varietas inde oritur, quod pus non semper ex sincero generetur sanguine, sed ex sanguine aliis humoribus ad pulmones delabentibus misto, quaeque facillime judicium Medici illudere possunt. vide cl. Sylvium *p. m.* 434.

§. XXXI. Ego itaque ante omnia corporis considero constitutionem, quod si illud characterem ab Hippocrate descriptum (de quo supra) prae se ferat, adsit insuper tussis, sive sicca sit, sive humida, *quum plures ad plures abeant, qui nihil fere exspuunt*, corporis extenuatio, *quum erratico quodam faciei, & malarum rubore etiam subsequatur, de incipiente phthisi nunquam dubitandum esse censeo.*

§. XXXII. Certiora signa diagnostica desumuntur etiam a morbis praegressis, variolis, febribus malignis, haemoptysi, pleuritide & aliis: si enim tussis remaneat

cum corporis extenuatione & lenta febri, nullum esto dubium, pulmones insigniter laesos esse.

§. XXXIII. Quod si phthisis nunc sit confirmata, ejus signa adeo sunt manifesta, ut in sensus etiam incurrant. Talia sunt tussis, respiratio difficilis, appetitus erraticus, nunc prostratus, nunc naturali similis, puris sputum, corporis extenuatio, & febris lenta, quibus tandem certissimi testes superveniunt: tumor pedum, pilorum defluvium, febris putrida, intermittens, & alvi fluxus. Verum si affectus non innotuerit, antequam hae supervenerint signa, tunc sero sapiunt phryges.

§. XXXIV. Quoad prognosin: dicimus affectum hunc in principio aliquam admittere medelam, quia non statim ab ulcere fit phthisis, sed saltem a perdurante, & in tempore non curato; videmus enim in vomica rupto abscessu saniem per asperam arteriam evacuari, ulcus mundari, & consolidari, sine ullo subsecuturae phthisios metu. Interim hoc negari nequit, ut plurimum esse affectum chronicum, & lethalem, in progressu omnem eludens Medicorum operam. *Ingenue, fateor,* (inquit Timaeus *lib. 2. epist. 2.*) *in tota mea praxi quam triginta septem annis exerceo, neminem ex iis, qui ulcere pulmonum affecti fuerint, integrae sanitati restituere potui, etiamsi nihil intentatum reliquerim, quod ad curationem hujus mali ullo modo facere poterat. Nec ab aliis etiam celeberrimis Medicis quempiam restitutum vidi.* Et Johannes Crato trium Imperatorum Medicus consilio 86. pag. m. 225. idem testatur inquiens; *difficillima autem esse curatu pulmonis ulcera, propter perpetuum motum, tussim, & quod medicamenta non facile permeant, sciunt ac uno ore Medici fatentur.* Consentit ipse etiam Galenus, statuens, exiguam sanationis spem in ulceribus pulmonum superesse! Et quamvis multi phthiseos curationem jactent, ipsemet etiam aliquos pro phthisicis habitos curaverim, semper tamen credidi, maximum fuisse commissum errorem in morbi cognitione, qui tabes potius fuerit, in qua thorax salvis interim pulmonibus una cum viscere uno, vel altero coctioni, vel sanguificationi destinato laboraverit: hinc recte monet excell. Sennertus *cap. de ulceribus pulmonum*, attendendum esse, ne decipiamur, quandoquidem pituita crassa, & ipsa puri similis sit: imo catarrhos interdum in pectus delapsos, praesertim in juvenibus, deduci ad quandam consistentiam puri similem, exin ob putredinem febres fieri, & corporis maciem sequi nunquam tamen revera phthisin adesse, quum caro aliqua regeneretur ibidem pluribus ostendit.

§. XXXV. Quoad tempus nihil certi determinari potest, quum alii citius alii tardius vitae curriculum absolvant. In pluribus celeri pede tendit ad finem, in aliis lento gradu testudines imitatur, & tandem tarditatem symptomatum gravitate compensat, Siquidem sat cito si sat bene. Dictator illa confirmat, *inquiens*: qui vero hujusmodi morbos habent partim ab his brevi intereunt, partim diutius tempus extrahunt; differt enim corpus a corpore, & aetas ab aetate, & affectio ab affectione, & tempus a tempore, in quo aegrotarint. Et aliqui majorem tolerantiam in morbis habent, alii omnino ad tolerandum impotentes sunt. Proinde certitudo exacta temporis in quo pereunt, non est, an longum aut breve futurum sit. Neque enim hoc tempus certum est, quod quidam definiunt, & plerumque neque hoc ipsum suppurat. Differt enim, & annus ab anno, & tempus a tempore.

§. XXXVI. Reliqua prognostica ab eodem mutuabimus Auctore, quum ille nunquam dicendus sit Medicus, qui non magnifaciat Hippocratem. Periculosior affectus hic in autumno, qui tabidis malus. *aphor. 10. sect. 3.* Periculosior si in manus imprudentis Medici incidas, qui violentis pugnat remediis; hinc tabidos per superiora purgare caveto. *aphor. 8. sect. 4.* Qui tabe vexantur, si sputum quod extussiunt, carbonibus injectum, graviter olet, & capilli defluunt, lethale. *aphor. 11. sect. 5.* Quibus tabe laborantibus capilli defluunt, ii diarrhoea superveniente moriuntur. *aphor. 12. sect. 5.* Tandem mortem praedicit senex noster *aphor. 16. sect. 7. Ex puris sputo, tabes,*

bes, & fluxus malum. Postquam vero sputum supprimitur moriuntur. Putant omnes fere Medici mortem inferri a purulenta materia vias respirationis obturante, & ignem vitalem suffocante. Verum longe aliam rationem & multo solidiorem suppeditat nobis clar. Sylvius *in suo de phthisi tractatu p.m.* 470. Quod scilicet caussa non possit ascribi fatiscenti naturae, sed quod potius quaerenda sit in humoribus ad ignis vitalis in corde adeoque vitae conservationem absolute necessariis, aut deficientibus, aut ita vitiatis, ut igne vitali sensim languescente, antequam plane extinguatur, sanguis primum operibus suis praestandis plane ineptus factus, tum partibus ipsis, laesis praesertim, calorem vitalem parcissimum promat, tum ipsi puri generando materiam paucissimam largiatur. Hinc videmus etiam eadem ex caussa paulo ante mortem labia vulnerum, & ulcerum fieri sicca, & paucum vel nullum reperiri in illis pus hocque pro lethali signo habendum esse norunt etiam chirurgi.

§. XXXVII. Nunc ad curationem progrediendum esset: verum quum antea probaverim confirmatae phthisis curationem vel impossibilem vel maxime difficilem fore, operae pretium erit, omnes nervos praeservationi impendere, & modum proponere, quo affectus hic periculosus evitari possit.

§. XXXVIII. Diximus caussas esse varias: si itaque phthisis metuatur ab humoribus acribus, & sanguine fervidiore, qualem omnes habent cholerici, leniter educantur, & sanguinis fervor alterantibus cichoraceis, & tamarindinatis temperetur. Quod si quis destillationibus sit obnoxius, praeter illa quae jam proposuimus conveniunt humorum acrimoniam corrigentia. ver. gr. pilulae de cynoglossa, de styrace, cachunda Indica, bolus Armena, conserva rosarum, interpositis saepius pilulis cephalicis Dn. D. kranzii, quondam Consiliarii, & Medici cubicularii Hanoviensis celeberrimi, quae ad scrup. sem. sumtae nunquam non felici successu operantur.

§. XXXIX. Sin vero alius fiat haemoptycus, vel pleuriticus, vel alio morbo qui phthisin post se relinquere solent, corripiatur, mature accersat Medicum fidelem & prudentem, quo vas constringatur, pulmones corroborentur, ulcus mundetur, & tempestive consolidetur. Et quum quaelibet tussis tandem pulmonum exulcerationi ansam dare possit, quovis modo convenientibus medicamentis compescenda erit.

§. XL. Malum hoc etiam studiosis infestum est, qui non raro contabescunt, non tam studiis, quam, ut Thirmairio videtur, a candelarum fumo in Musaeis undique clausis copiose hausto laesi, & emaciati. Et quamvis aliqui noctu in plateis, & sub dio fumum illum inspiratum magnis clamoribus, & boatibus explodant iterum, tamen a nimia illa vociferatione majus saepissime incurrunt periculum, & malum malo augent, dum vase a nimia distensione, & repletione pulmonum rupto non tam a fumo, quam sanguine extravasato in praesens vitae dispendium praecipitantur; quae omnia intermitti poterunt.

§. XLI. Multis, praesertim virginibus, a prima infantia pectus valde constringitur ad conciliandam venustatem, & elegantem corporis habitum; hinc mature contabescunt, & phthisin incidunt, quam vitando arctiores illas pectoris constrictiones declinare sicque corpus nostrum ab illa praeservare convenit. Satius sane est, crassam, pinguem, sed non formosam audire, quam pectore angusto, & emaciato corpore superbire, & phthisicam vocari.

§. XLII. Qui nimio felium utuntur consortio, & ipsorum halitum frequenter inspirant, tandem fiunt phthisici, quorum consortium evitare quid facilius?

§. XLIII. Curatio praesentis phthiseos suis innititur indicationibus. Pus est expectorandum, ulcus mundandum, detergendum & tandem consolidandum. Corpus restaurantibus nutriendum, symptomatum quoque habenda est ratio.

§.XLIV. Desumuntur medicamenta ex consueto triplici fonte: chirurgico, pharmaceutico, & diaetetico. Jubemus vero in confirmata phthisi exulare purgantia, quae humores nutricios turbant, & fluxum alvi accelerant. Proscribimus sudorifera, quae succum nutricium colliquant, febrem hecticam augent, & corpus magis magisque exsiccant. Venaesectionem fugimus, quia exhaurit liquorem vitalem, & mortem prae foribus stantem magno cum apparatu intrare jubet.

§.XLV. In phthisi incipiente humores leniter evacuandi: latex serosus alio ducendus: caput corroborandum, & catarrhus tollendus.

§.LVI. Ad evacuandum lene aliquot infusum fol. Orientalium in decocto florum, & fructuum usurpetur; vel in sola mannae solutione acquiescendum erit. Latex vero serosus per fontanellam, vesicatoria, setaceum & alia educatur, & a pectore revellatur: tandem caput per exsiccantia anticatarrhalia confortetur, quem in finem morsulos de thure recommendo.

℞. *Sem. coriand. ppt.* unc. sem. *nuc. mosch. thuris albiss.* ãã. unc. iii *liquirit. mastich.* ãã. drach. ii. *cubeb. corn. cerv. praep.* ãã. drach. j. *conserv. rosar. rub.* unc. j. *sacchari albiss.* q. s. f. l. a morsul.

§.XLVII. Puris evacuationi, & expectorationi inservit balsamus sulphuris anisatus, a Sylv. tantopere recommendatus. *Nullum*, dicit, *hactenus reperi medicamentum, quod vel externe, vel interne usurpatum citius tutiusque non tantum mundaverit, sed insuper consolidaverit recentia ulcera, atque sulphuris bals.* Et ipse fateor, me saepissime egregio cum successu idem expertum esse: unicum hoc saltem observetur, ut lente praeparetur, qui alias empireuma redolet, & acrior evadit, axungia canina, sperma ceti. aqu. pulmon. vituli. loch. san. & expert. antiphthis. veron. farfar. sirup. de nicotian. de pede cati, loch. de pulmon. vulp. &c.

§.XLVIII. Detergitur ulcus, & tandem consolidatur conserva rosarum rubrarum, quae multis satisfacit indicationibus, quamque suspectam nihilominus habet Sylvius, propterea quod ventriculus, & intestina ab ejus usu multo phlegmate repleantur, appetitus prosternatur, & non raro frigus circa ventriculi regionem percipiatur. De quo suum cuique judicium esto liberum. pulv. veron. symphyt. maj. salv. variisque decoctis vulnerariis ex tussilag. veron. salv. marrub. scabios. acrimon. heder. terrestr. botrys, & pulmonaria aliisque paratis, quorum copiam dispensatoria suppeditant. Tinctur. antiphthis. Timaei a Guldenklee: antimonio diaphoretico &c. Formulas nõ semper addo, quum omnes illos aegros infelices esse putem, qui ex libris curantur. Certe non quilibet ex libro poterit esse Medicus, quamvis ex libro doctus, quilibet esse possit. In hoc negocio una vel altera cautela a viro in praxi experto communicata plus proderit medicinae studioso, quam locupletissima quaedam Bibliotheca medica.

§.XLIX. Sequentia a Zwoelffero tradita optimo successu propinavi, quorum descriptiones, & compositiones apponere lubet.

℞. *Rad. recent. symphyt. major.* unc. sem. *chin. opt. & el.* unc. j. *herb. recent. veron. hepat. nob. tussilagin. plantagin. min. scabios.* ãã. unc. ii. *rorismarin.* drach. vi. incis. coque in lacte caprill. recent. mulct. ac depurat. lib. vi. ad remanent. lib. iv. fiat colatura cum expressione. Colaturae dum adhuc fervet injice *conserv. rosar. rubr. recent.* unc. vii. *cinnam. opt. incis.* drach. iii. quum refrixerint, coletur, & filtretur.

℞. *Pinear. mundat. pistacior. decortic.* ãã. unc. i. sem. contus. opt. in mortar. emulgeantur cum aqua hordei vel sero lactis caprill. depurat. & clarific. in quo limac. num. vi. probe purgati parum ebullierint lib. ii. sem. f. emuls. colat. add. *sir. ex succ. tussilagin.* unc. ii. mis.

§.L. Multa sunt, quae alias ab Auctoribus recommendantur, sed vix unum reperies, quod expectationi satisfaciat. Nonne Mynsichtus aquae suae antiphthisicae tan-

tantas tribuit laudes, ut audeat scribere, quod sit aqua mirabilis operationis, & expertissima ad curandam phthisin? & hominem ex hujus liquoris usu fieri valde pinguem: sed quid opus haberemus tot verbis, si rerum testimonia adessent? de reliquis simile esto judicium.

§.LI. Tandem corpus restaurandum, humectandum, & nutriendum: symptomatum quoque habenda erit ratio; id quod fieri potest partim medicamentis, partim alimentis: sane si in ullo alio morbo exacta diaeta quid praestare potest, in hoc praestabit plurimum. Novi nobilem quendam Aulicum in aula Cassellana, qui diaetae legibus exacte observatis hactenus hujusmodi morbi violentiam feliciter declinavit.

§.LII. Sit itaque cibus boni succi ex avena, hordeo, oryza, cancris fluviatilibus, piscibus saxatilibus: ex carne vitulina, agnina, caponum, perdicum, gallinarum earumque pullis cum saccharo rosaceo coctis, quos tantopere depraedicat Forestus: potus sit cerevisia tenuis, decoctum chinae cum radicibus farfarae, & liquiritiae paratum, aqua saccharata. Lac utramque absolvit paginam saepius sumtum; nutrit butirosa, caseosa consolidat, & serosa parte abstergit. Recommendatur vero lac humanum, asininum, ovillum & caprillum, capra convenientibus herbis prius domi nutrita. Quod si huic diaetae ultimum, quod adhuc in hoc malo est remedium addas, tum si non aegri vita, saltem Medici fama salvabitur. Tale est ablegatio aegrorum ad montem Tabias: vel in AEgyptum, sic enim illic sulphureis effumigationibus, hic navigatione longa perituri sunt; ut recte ait Timaeus.

§.LIII. E medicamentis corpus restaurantibus, & symptomatis occurrentibus pauca sed selecta communico. Primum est gelatina Zvvoelfferi.

℞. *Caponem unum evisceratum, in particulas minutas conscissum, & ossibus probe conquassatis. Hepatis, cordis, pulmonum, vituli* ā̄ā. partem dimidiam, *pariter conscissam, limacum recentium sale, & aqua saepius purgat.* num. xx. *hepat. gallin. consciss.* num. iv. *cancror. fluviat.* num. xx. *rad. recent. consolid. maj. in taleol. consciss.* unc. i. sem. *herb. recent. scabios. veron. plantag. incis.* ā̄ā. unc. i. *flor. recent. rosar. rubr.* unc. i. sem. *hepatic. rorismar.* ā̄ā. drach. ii. *succ. tussilagin. rec. express. seri lact. caprill.* ā̄ā. unc. x. *cinnam. nuc. mosch.* ā̄ā. drach. ii. *mac. croc.* ā̄ā. drach. i. *rad. chin. elect. in taleolas consciss.* unc. i. sem. haec omnia conscissa immittantur lagenae stanneae, quae clausa, & vesica obducta coquatur in alio vase aqua repleto per hor. 5. vel 6. peracta coctione, & remittente paulisper fervore, aperiatur lagena, & omnia exprimantur per linteum novum. Expressum condiatur modico sale, macere & cinnamomo f. gelatina in patina stannea vel terrea.

§.LIV. Alterum est aqua clareta.

℞. *Aqu. capon. destill. cum pulmon. recent. vitul.* unc. vi. *succ. veronic. heder. terrest. tarax.* ā̄ā. unc. iv. *conserv. rosar. bellid.* ā̄ā. unc. iii. *mali citr. integr. rasp.* unc. iv. destillentur, & aqua destillata dulcoretur saccharo Candi ad gratiam.

§.LV. Tertium est pulvis pretiosus, sed arcanus.

℞. *Farin. hordei recent.* lib. iv. *sacchari* lib. i. misc. & in ollam vitreatam repon. Post obducta post pasta indatur olla furno, recente pane cocto jam inde extracto; donec mistura in unum coëat. Dein denuo in pulverem redigatur massa, addendo *sacchari penid. Cand.* ā̄ā. unc. j. reponantur denuo in furnum ut supra. Post extractionem contunde massam in pulverem, de quo ℞. lib. iv. adde *margarit. Orient. ppt.* unc. sem. *pulver. Haly. recent. dispens.* unc. i. misc.

§.LVI. Quod si omnibus his rite, & methodice adhibitis morbus nihilominus sua capiat incrementa, & symptomata illa graviora, quorum supra facta mentio, accedant, unicum quod adhuc novi superesse remedium corpori, & animae valde necessarium, & proficuum, tibi commendo, quo contentus stabis paratus inter brachia Salvatoris tui & vivere & mori.

℞. *Radic. rectae fidei. largissimae pietatis*, sincerissimi cordis, certissimae spei *fol. amplissimae misericordiae. flor. humilitatis, charitatis, jucundissimae clementiae, puritatis, sem. castitatis. eleemosynarum* āā. lib. innumerabiles. *herb. contritionis, confessionis, satisfactionis, myrrhae poenitentiae, thuris contemptus mundi, spec. diapostolorum, diamartyrionis, trochisc. diasanctorum omnium* āā. prout lubet.

Misce in mortario conscientiae, & terantur pistillo doloris, agitentur baculo justitiae, cribrentur per passionem Salvatoris nostri Jesu Christi, & cum saccharo divini amoris dissolvantur in aqua lacrymarum apud ignem latum tribulationis, amaritudinis, & poenitentiae, cum patientia, donec fiat secundum artem conscientiae recta confessio cordialis in morsulis, pura & sincera mente quotidie gustandis, masticandis, deglutiendis. Soli DEO sit laus, & gloria in aeternum.

DISPUTATIO XXIII.

DE DYSENTERIA MALIGNA,

RESPONDENTE

JOHANNE CHRISTOPHORO Bogelsang.

CRPUT I.

Proponit morbi definitionem.

VAriae dantur dejectiones cruentae, quae omnes improprie ac minus usitate dysenteriae vocari possent, sive ex venis mesaraicis cruor ille sine dolore, & sine pure, a quacunque ibidem collectus obstructione, effundatur, quod in illis saepius vidimus, quibus non fluunt catamenia, aut quorum lienis vasa sunt obstructa: sive vena quaedam ex casu ab alto aut violenta percussione fuerit rupta; sive venae haemorrhoidales apertae, quod multis est familiare: omnes, inquam, illae dejectiones, minus tamen usitate, dysenteriae vacari possent. Accipitur enim vocabulum *dysenteria* generaliter omnesque profusiones sanguinis denotat, sive sit sincerus, sive adustus & faeculentus, sive latice quodam dilutus, quod hepati communiter ascribitur: specialiter pro alvi fluxu cruento, & purulento cum torminibus intestinorum, & lancinationibus.

Accepit nomen a particula δυς & ἔντερον, intestinum.

Dicitur *maligna*, quia ex numero morborum est qui sunt mali moris, similes hominibus, qui mel habent in ore, in corde fel; qui aliud vultu prae se ferunt, aliud corde cogitant: non enim hic solum leonis robur, sed & vulpis astutia timenda, saepius enim & Medicum, & aegrum, & astantes decipiunt, dum aeger, cum urina bona, & pulsu bono moritur.

Dysenteria maligna est cruentus, & purulentus alvi fluxus, cum acerbissimo ventris dolore, anxietate, vigiliis & siti, a materia venenosa, acri & intestina erodente ortum habens.

Nostro gaudemus genio, & ingenio in generis positione, pro quo alii *intestinorum dispositionem praeternaturalem*, alii eorundem *intemperiem acrem, & biliosam*, alii denique ipsorum *exulcerationem* substituunt; quum morbus hic non semper proxime, & principaliter ab intestinis, sed etiam a corde, & tota sanguinis massa dependeat, ut in capite sequenti, subjectum considerantes docebimus.

CAPUT II.

Subjectum explanat.

S*Ubjectum* hujus morbi sunt cor & intestina, quorum structura ex anatomicis petenda; intestina enim, ut satis notum, sunt vel tenuia vel crassa, quae non semper aequaliter afficiuntur: nunc enim sola laborant tenuia; nunc exulcerantur crassa, mox utraque suos patiuntur manes.

Malignae illae, & acres particulae inexpiabile committunt laesae majestatis crimen, dum, ut bellum hoc intestinum totam devastet oeconomiam, ipseque balsamus vitalis comburatur, cor aggrediuntur, illum vitae focum, primum vivens, & ultimum moriens: hinc sitis, anxietas, animi deliquia aliaque oriuntur mala: ab hoste illo immani totum contremiscit corpus, totius compagis ruinam dissolutionem comminante; hinc deliria, varii motus convulsivi, & spasmodici affectus excitantur, subsequente frigore cadaveroso, quod saepissime observavimus.

Per consensum reliqua etiam patiuntur viscera, ventriculus, epar, lien, & cerebrum, unde vomitus, angina & totius corporis gangraena: omnes enim qui hoc extinguntur morbo, pereunt sphacelo, quod non solum propria experientia, sed & aliorum observationibus confirmatur. Habemus consentientem *Hippocratem*, quando mentionem facit dysenteriae indolorificae, in cujus explicatione valde sudarunt interpretes, quibus impossibile visum fuit dari dysenteriam indolentem, quod tamen practicis facile videre licebit. Caussam adscribit *D. Dn. Wedelius, Professor Jenensis celeberrimus*, primo malignitati majori, quae in dysenteria non sinit dolorem semper obtinere primas, ut quae pleno passu ad corruptionem inclinat; secundo gangraenosae intestinorum constitutioni; fingat enim quis, si illud dari non statuit, cauterium indolens, quod ob agendi energiam omni sensu partem, cui applicatur, exuit: pari ratione corrosivi humores in tantum quandoque pollere possunt, ut omnem sensum tristem excludant, intestinis quasi sphacelatis. Tertio, mentem simul laborare interdum, & doloris lancinantis faces non sentiri in phrenitide alibique conspicuum est. Vid. *annum tert. colleg. naturae-curiosorum pag. 82. observ. 43.* Confirmatur etiam anatomia cadaverum, vid. *observ. 96. anni tert. ejusdem colleg.* ubi referente *Herm. Cummio*, dysenteria maligna extinctum cadaver apertum haec dedit observanda: omentum fuit sphacelatum, colore atro lividum: intestinum duodenum, & jejunium repletissima erant bile: ileon erat corruptum, & sphacelatum: colon ad octo digitos corruptum; folliculus fellis maximus erat & bile repletissimus; bilis quae in eo reperiebatur, viridis erat sicut gramen.

CAPUT III.

Agit de caussa proxima, & remota.

C*Aussa* hujus morbi *proxima* est maligna intemperies totius massae sanguineae, cordis & intestinorum: sanguinis enim particulae factae acriores, praevia effervescentia impetu quodam in intestina ruunt, vasorumque orificia rumpendo, rodendo, secando, & ipsos intestinorum poros destruendo, fluxum cruentum apostematico similem excitant.

Acriores illae sanguinis particulae possunt etiam appellari humores biliosi, aeruginosi, salsi, pituitosi ad summum corruptionis statum deducti, quid de antimonio, helleboro, esula, colocynthide &c. participantes: ita ut in partium facultate ex-

pultrice aut retentrice, quo nihil dicitur, caussam quaerere, aut cum aliis ad occultas confugere qualitates nequaquam necesse habeamus.

Fiunt autem acriores illae particulae, vel coctionum vitio, vel ipsius sanguinis.

Coctionem quod attinet, eam triplicem statuimus, unam in ventriculo & intestinis, alteram in hepate ac liene, tertiam in corde & sanguine. Quae ut melius intelligatur, brevibus modus coctionis primae explicandus.

Praesupponimus itaque omnem coctionem concipiendam esse tanquam speciem quandam corruptionis; non enim potest fieri chylus, sanguis, aut caro, nisi alimentum suo modo corrumpatur, in qua corruptione nihil perit; nulla enim datur in rerum natura annihilatio, sed solum partes alium nanciscuntur motum & situm: hinc in aqua communi solvitur saccharum, metalla vero in aqua forti: illius partes lubricae, latissimis corporis solvendi poris, facile ad aquae introitum sese dilatantibus, immissae particularum situm, motum & figuram mutant: hujus vero particulae instar parvorum cuneorum, vel gladiolorum cuspidibus suis rigidis metalla solvunt.

Eodem modo a saliva & dentibus in ore, in ventriculo vero a liquore acido (fermento) dissolvitur cibus in sanguinem mutandus, quae duo quum recte se habeant, totum in prima hac coctione absolvunt negocium, solo adhuc concurrente calore, non tanquam dissolvente, aut dirigente, sed tanquam movente. Si enim liquor ille acidus sui fiat juris, & laxatis habenis nimium & impetuosius moveatur, instar cultri forti manu altius adacti penetrat, & mirandos edit in fame canina, pica, &c. affectus: hinc leo, struthiocamelus & tigris, quae sunt in continua quasi febri concoctu difficillima digerunt solo hoc liquore acido, impetuosius a magno calore moto: unde patet ratio, quare plus comedamus hyeme, quam aestate, plus in regione septentrionali, quam meridionali.

Chylus ventriculo egressus novam adhuc subit fermentationem, cui negocio manum imponunt duo diversi liquores, quorum unus amarus, alter acidus, hic succus pancreaticus, ille bilis vocatur: amarus conservat sanguinis fluiditatem; acidus justam consistentiam, & in hac fermantatione faeces sequestrantur, reliquum vero per poros vasorum mesenterii defertur in hepar & cor. Actio haec chylificatio dicitur, quae clare & perspicue concipi potest, sine ulla specifica facultate, specifico temperamento vel igni animali, analogo τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ.

Nec desunt experimenta, quibus arte etiam confici potest chylus, de quo qui dubitat, adeat *celeberrimum illum Anglum, Robertum Boyle, Virum illustrem*, aut consulat *solertissimum Venetorum Chymicum Tachenium*.

Tres illi liquores si a statu naturali deficiant, ob particularum corrosivarum admistionem, quae sive in cibo & potu lateant, sive cum aëre deferantur in ventriculum & intestina, siste ob excessum, aut defectum in somno & vigiliis, motu & quiete, & animi passionibus generentur, tunc loco coctionis fit corruptio, varii iique acres & corrosivi oriuntur humores, effervescunt, & mucum intestinorum abradunt, eorundem poros mutant secando & pungendo, ipsamque excedunt tunicam, & altius ipsam in massam sanguineam penetrant, quae infecta iisdem particulis malum malo auget.

Quod si extra coctionis culpam cum aëre contagium immediate massae sanguineae per cutis spiracula, & arteriam asperam communicetur, sive istud exspirarint cadavera mortuorum, sive corpora decumbentium, aut etiam ab eorundem excrementis, vel locis paludosis & putredine infectis fuerit susceptum, totius massae sanguineae immutatur textura, partium situs, & figura; hinc acres particulae impetuosius ruunt per vasa ad intestina, venarum orificia aperiuntur, pori sanguine infecto implentur, tunicae exulcerantur, unde maligna ulcera, ipsaque dysenteria excitatur, non aliter ac in hypercatharsi, aut aliorum venenorum assumtione id fieri solet.

Mo-

Modus propagandi contagium erit satis manifestus, si supponamus, ut revera fit, ex quibuscunque concretionibus effluere corpuscula quaedam, quae ab aëre excepta, hinc inde deferantur: quae corpuscula retinent naturam, & indolem illarum concretionum, e quibus exiere, ita, ut virtutem & efficaciam, quam antea in mole cernebas, in exiguis particulis invenias, quam energiam pro majori particularum mobilitate, & activitate exercent, ut in moscho, ambra, & camphora videre est. Hinc certum est, e morboso etiam corpore quotidie emitti vapores, seu morbosas expirationes & semina quaedam Hippocrati miasmata dicta, quae similem alio in corpore morbum excitare valent; non aliter ac exigua fermenti portiuncula ingenti farinaceae massae admista, & calore excitata totam facit fermentare massam.

Quare autem non omnes tam facile inficiantur, non quaerendum est in occulta aliqua, & specifica crasi, ac dispositione, sed in partium fabrica, massae sanguineae textura, & vasorum exilitate, aut angustia.

Ad *caussas remotas*: inter alias sex res non naturales referendi sunt fructus aestivi & autumnales; cerasa dulcia, nuces avellanae, cucumeres, pepones, cucurbitae, fructus mori, frumentum corruptum, mustum, uvae & aquae impurae: ipse insuper aër juxta varia anni tempora inquinari potest acribus effluviis, quae corporum nostrorum poros subeunt, interiora petunt, & sanguinem iisdem inficiunt, consentiente nostro *Hippocrate* 3. *aph.* 11. *Inter anni partes si hyems sicca, & aquilonia, si ver pluviosum & australe fuerit, aestate necesse est febres acutas fieri, & ophthalmias, & dysenterias, mulieribus praesertim, & viris natura humidioribus.*

Astra in haec inferiora nonnunquam venenosos expirare alitus & morbos malignos excitare juxta *Paracelsum*, de eo merito dubitamus, acrius illud in conflictu oppugnaturi.

CAPUT IV.

De differentia.

Absoluta caussa tam proxima, quam remota accedimus ad *differentias*, easque more recepto desumimus vel *a subjecto*, vel *a morbo*, vel *ab ejusdem caussis*.

Morbum si consideremus, erit vel *in principio*, ubi leviter adhuc erosa sunt intestina, nihilque vel parum excernitur cruoris: vel *in augmento*, ubi malum profundius serpit, vasorum orificia aperiuntur, & ipsa tunica corroditur, unde plus sanguinis & puris excernitur: vel *in statu*, ubi vera & manifesta ulcerum signa, dolor vehementissimus & virium extremus languor.

Alia est mitis, maligna quidem, sed non adeo contagiosa: *alia* pestilens, gravissimis stipata symptomatis: *alia* est cum febri, alia sine febre: *alia* continua, periodica alia.

Ratione subjecti: alia originem trahit ex ventriculo, alia ex corde, alia in intestinis tenuibus residet, alia in crassis.

Pro *caussarum diversitate*: alia est ab aëre putrido, alia a victu pravo, alia a bile flava, alia ab atra bile.

CAPUT V.

In diagnosin deducit.

Signa *diagnostica* tum dysenteriae, tum malignitatis sunt frequens alvi dejectio, eaque cruenta & purulenta, dolor ventris & tormina: excreta sunt mucosa, puru-

purulenta & cruenta; accedit febris, sitis, nausea, vigiliae, inquietudo, singultus, cardialgia, angina, delirium, motus spasmodici, & plures eodem tempore decumbunt.

Partis affectae signa haec sunt: si *gracilia* afficiantur *intestina*, dolores erunt circa umbilicum acerrimi, ibidemque aeger sentiet crudeles puncturas, quas non statim insequitur alvi dejectio, sed paulo post excrementa varia cum sanguine commista excernuntur. Sin *crassa* sint exulcerata, dolor non est adeo vehemens, isque infra umbilicum, quem statim excipit alvi excretio.

Urina in hoc gravissimo morbo plerumque in exigua excernitur copia, & aliquandiu servata innumeras exhibebit atomos, seu corpuscula tartarea, & particulas arenosas hinc inde in superficie, & circa latera volitantes, quod a paucis forsan observatum, sed firmissimum argumentum, morbum hunc a particulis acribus, pungentibus, & secantibus produci.

CAPUT VI.

Prognosin instituit.

Signa *prognostica* docent morbi eventum, & ex morbi idea, parte affecta, & caussis morbificis desumuntur.

Omnis dysenteria maligna periculosa est; periculosa, propter intestinorum exulcerationem, nam pars membranosa non facile coalescit: periculosa etiam, quia partes nobiles cor & cerebrum afficiuntur.

Facilius curantur intestina crassa: raro vel nunquam tenuia.

A sincera dejectione dysenteria malum. *Hippocr. 7. aph. 23.*

Si ab atra bile incipiat dysenteria, lethale. *4. aph. 24.*

Singultus, angina, & motus convulsivi mortem denunciant.

Cibi fastidium, & vomitus, malum, quia indicant materiae copiam.

Si dysenteria laboranti veluti carunculae dejiciantur, lethale est. *aph. 26.*

Si ructus superveniant, & flatus, bonum, *Hippocr. 6. aph. 1.*

Bonum, si lienosis aut maniacis superveniat.

Si purus excernatur sanguis periculosum est.

Mulieres & infantes difficilius curantur.

Si extrema frigent, & interna uruntur, lethale est.

CAPUT VII.

Curationem docet.

Curatio duplex est, prophylactica, & therapeutica.

Therapeutica suis nititur indicationibus, quarum sunt quatuor.

I. *Intemperies maligna* indicat sui correctionem per bezoardica & alexipharmaca, habito respectu humoris praedominantis, aetatis, temperamenti & sexus.

II. *Intestinorum ulcera* requirunt sui mundificationem & consolidationem.

III. *Dolor* urget sui mitigationem.

IV. *Vires languidae* sunt conservandae & restaurandae.

I. Expugnator *malignitas*, serum per sudores eliminando, omissis purgantibus, nisi aliud quid illa indicet. Observandum tamen, semper eligenda esse bezoardica temperatiora, ne febris augeatur, & sanguis magis colliquetur. Exempli loco sint sequentes formulae:

℞. *Spec. de hyacinth. corn. cerv. solar. terr. sigillat. bol. Armen.* ā̄ā. drach. semmisc.

misc. f. pulvis pro aliquot dosibus.

℞. *Pulv. bezoard. senn.* drach, sem. *antimon. diaphoret.* scrup. sem. misc. f. pulv.

℞. *Lap. crystall. praep.* gr. xv. *unicorn. ver. lap. bezoar. Orient.* āā. gr. vi. misc. f. pulv. sum. ut ante.

℞. *Opiat. bezoard.* drach. j. sum.

Exulent *purgantia*, ut antea dictum, ne fluxio fiat major: prohibitum enim est per locum affectum evacuare. De *vomitoriis* simile esto judicium.

Improbamus *venaesectionem*, nisi adsit manifesta sanguinis effervescentia, & urgentissima caussa.

II. *Ulcera* mundificari possunt sequente clystere:

℞. *Lact. vaccin. rec.* unc. x. *mell. rosar. unguent. canc.* āā. unc. sem. *vitell. ovi*, misc. f. enema.

Deinde consolidari hoc, vel simili.

℞. *Brod. gallin. cum pedib. vituli rad. symphyt. major. & tormentill. parat.* lib. ij. *succ. plantag. rec. expr.* unc. j. & sem. *alum. ust.* scrup. sem. misc. f. enema.

In usu adstringentium caute procedas, praeprimis quae per os sumuntur. Convenit ex *Cratone conserva rosarum cum theriaca*, quod erit instar omnium: experto crede Roberto. Ab istis magnis compositionibus, lacte ustulato, & caeteris nugis abstinendum.

Placent celeberrimi cujusdam practici verba: in tanto hoc morbo vix pluribus quam tribus utor medicamentis, copiam enim vel potus, vel ciborum, vel medicamentorum vix unquam ferunt aegri. *Dn. D. Fausius, Archiater Heidelbergensis* p. m. sequentia in secretis habuit, quae fideliter communico.

℞. *Amygdal. dulc. ambros.* lib. ij. *rhabarb. elect. pulver.* unc. iij. vel iv. misc. & imponantur vitro, vitrum aquae moderate calidae, digerantur per horam, postea exprimantur more ordinario, sign. *oleum rhabarbari.*

℞. *Pan. calid.* ex furno cum tota substant. confract. infund. *in aq. plantag. tormentill. bursae pastor.* āā. q. s. *cor. cerv. ust.* unc. ij. *spodii* unc. j. *nucis myristic.* drach. vij. *galang.* drach. vj. *sem. anthor. plantag.* āā. drach. ij. *myrtillor.* drach. vij. *cydon. mespilor.* āā. unc. j. Infusis per triduum adde *flor. balaust.* drach. j. *succ. acac.* unc. ij. *rad. acor.* unc. sem. destill. in Mar. baln.

℞. *Mic. panis secalin. calent.* lib. iij. *nuc. moschat. ras.* num. viij. *succ. pyror. sylv.* part. ij. *vin. rub.* p. j. Infusis per 24. horas destill. ex vasis vitreis.

Sunt & *specifica* nonnulla, quae hoc in affectu extolluntur: *torna leporis, alumen crudum*, potui ordinario injecta: *hepar serpent. liquor. terrae sigill. priapus cervi, species diaplantag. diamartis, Mynsichti*, ex quibus variae possunt concinnari formulae, si nostrae non placeant.

III. *Dolor* mitigatur *theriac. rec.* ad unc. sem. exhibita, *diascordio Fracastorii*, emulsione ex *seminibus 4. frigidis majoribus, & papav. alb. theriaca coelesti*, quae Hanoviae prostat, quam felici successu saepius exhibui, ea siquidem malignitas expugnatur, fluxus cohibetur & dolor lenitur. Recommendamus itidem *pilulas nostras antidysentericas*, quarum basis est *theriaca coelestis*; si earundem tres, vel quinque mane ac vesperi cum *aqua cinnamomi cydoniata* assumantur. Nec hic contemnenda est *panacea solaris Wildenganfii*, Lipsiae venalis, quam sua hoc in morbo laude defraudari nolumus: quamvis ab Auctore in virtutum enarratione nonnihil peccetur in excessu, ut ostendi casu *collegio naturae curiosorum* communicato, qui videri potest *tom. tertio.*

Opium non audaci, sed timida & prudenti manu exhibitum hic admiranda praestat; verum, quaeso, charissime prudenter age & respice finem, ut intripide aliquando possis reddere rationem villicationis tuae. Nosti procul dubio *Minadoum, Doctorem Patavinum* observasse, omnes illos dysentericos, quibus consilio

Medici opium exhibitum fuit, obiit.

Lenitur etiam dolor clysmate ex oleo hyperici, & sevo cervino parato, cum drach. j. philonii Roman.

Eadem intentione praescribi potest sequens linimentum.

℞. *Ol. nuc. mosch. expr.* drach. ii. *theriac. rec.* drach. i. sem. *sev. cervin.* unc. sem. *ol. cydon.* q. s. f. unguent.

Princeps Robertus parat unguentum ex herba lunaria, & oleo momordicae, quo si spina dorsi inungatur, momentaneum est contra dysenteriam auxilium. *Borellus* commendat anserinum, & experimento constare ait, si plantis pedum applicetur, intra 24. horas sisti profluvium; potest etiam butyro frixa ventri applicari. Vel imponi potest *emplastrum* ex unguento dysenterico, theriaca, terra sigillata, & cera confectum. Laudatur *emplastrum de bolo*, cujus haec est descriptio.

℞. *Bol. Armen. cortic. mali corii. flor. rosar. rubr. sicc.* āā. drach. v. *mirobal. citrin. mastich. oliban.* āā. drach. ii. sem. *caryophyll.* drach. i. gr. v. *ol. nuc. mosch. expr.* unc. ii. sem. *mastich. coct.* unc. v. *cerae* unc. ii. sem. f. l. a. ceratum.

IV. *Vires* refocillari possunt pretioso hoc cordiali, cujus scrup. i. sumatur ter de die cum aqua naphthae.

℞. *Rasur. ebor.* drach. ii. *pulv. Marchion.* drach. i. sem. *scob. auri in subtil. pollinem redact.* drach. i. gr. xv. *bezoard. Or. ver.* drach. i. *unicorn. marin.* drach. sem. misc. f. pulv.

Vel ℞. *Tinctur. solis* drach. i. *essent. laudan. opiat.* drach. sem. mis.

Externe convenit aqua pro epithemate cordis, naphthae, borraginis, cum balsamo vitae, & aceto bezoardico.

Curationes magneticae non sunt contemnendae: dejiciantur excrementa super caput mortuum vitrioli, quod est secretum Doctoris *Cnöfellii*. Tentavi hanc curam in juvene quodam cum alio Medico, collega meo, sed successus voto non respondit.

CAPUT VIII.

Diaetam praescribit.

Aër declinet ad caliditatem, ut sit magis siccus quam humidus; pori enim sunt servandi patentes, ut continuo maligni halitus a centro ad circumferentiam revocentur, motusque contrarius ipsis concilietur. Hinc corpus probe est tegendum, ne vero sudores propter inquietudinem, & continuas excretiones impediantur, sit in promtu vas, quod aegri etiam decumbentis faeces excipere possit; cujus inventor fuit *Hildanus*.

Cibi sint boni succi & facilis digestionis: juscula ex hordeo, oryza & avena cum succo cydoniorum; granatorum, aurantiorum, citri & vino parata: caro gallinarum, turturum, perdicum, concedenda est; nocent pisces, lac, caro suilla &c.

Saccharata cane pejus fugienda, quia augent humorum fermentationem, & quid corrosivi continent, saccharo a lixivio e calce viva communicati: praeter hoc etiam facile bilescunt. Memini legisse me in arte structoria *Harsdorfferi* perdices saccharo nutritas praebuisse carnes amarissimi saporis.

Potus, languente admodum facultate vitali, & non impediente calore febrili, sit vinum rubrum, vinum cydoniorum, prunorum sylvestrium, tinctura rosarum, aqua foliorum quercus cum sirupo acetosit. citri, emulsio amygdalarum cum decocto cor. cer. usti & aqua cinnamomi cydoniat. parata, aqua camphorata, vel sequens julepus.

℞. *Rasur. cor. cerv.* unc. i. sem. *rad. tormentill. acetosae* āā. drach. iii. *aquae puriss.* lib. v. coq. ad remanent. lib. iii. sem. in colatura solve *vin. granat.* unc. iii. *tinct. rosar.* unc. iv. *sirup. acetosit. citri, rubi idei.* āā. unc. ii. *corall.* unc. i. mis.

Meo judicio multum proderit *cerevisia* ex aqua *terrae sigillatae Laubacensis* parata. Mihi hoc in frequenti fuit usu.

℞. *Conser. rosar.* unc. iii. *papav. err.* unc. ii. *santal. rubr. rad. tormentill.* ãã. unc. sem. *cort. aurant. rec. limon. rec.* ãã. drach. iii. *granor. mastich.* ãã. drach. sem. Incisis ac ollae vitreatae immissis superfunde aquae fervent. & ebullient. lib. viii. Vase bene cooperto refrigerari permitto. Fiat post colatura saepius repetita pro potu.

Somno quovis modo indulgendum, quia vigiliae plus irritant fluxum; motus etiam nimius vitandus. Excrementa non diu asservanda, sed statim removenda in locum dissitum, in quorum inspectione valde periclitatur Medicus, & per quam facile infici potest: confidat itaque Deo suo, qui fidentem deseruisse nescit.

CAPUT ULTIMUM.

De curatione prophylactica.

TOtum negocium consistit in legitimo *aceti theriacalis* usu tam interno, quam externo, nec datur praestantius aut certius praeservativum. Quod si tamen hoc non placeat, sume jejuno ventriculo, & vesperi ante lecti ingressum *diascordium*, magnitudine nucis Indicae.

Rotulae etiam variae ex bezoardicis praeparari possunt.

Vinum hoc *medicatum* satisfaciet expectationi.

℞. *Rad. scorzoner. tormentill.* ãã. drach. iii. *herb. absinth. carduiben.* ãã. m. iii. *scordii* m. ii. *menth.* m. sem. *nuc. mosch.* drach. i. sem. *zedoar.* drach. ii. *macis* drach. sem. *flaved. cortic. citr. rec. detract.* unc. sem. incisa grosse det. ad chart. sum. species, ut & *Balsamus salutis.*

℞. *Rhabarb. elect.* unc. ii. incis. indatur cucurbitae vitreae, affund. vin. ad eminent. duorum digitorum, stent probe tecta in digestione lenissimi caloris per 3. dies, quotidie bis vel ter agitando, dein affund. *ol. olivar. recent.* q. s. & probe mista exprimantur sub prelo: liquor expressus indatur cucurbitae vitreae, & spiritus vini abstrahatur per destillat. in balneo: sic remanet in fundo oleum tinctura rhabarbari impraegnatum, sign. praeservativ.

Alvus servetur aperta *pilulis angelicis* vel *polychrestis*, quae in minori dosi, quam angelicae exhibentur, nec tantam post se relinquunt siccitatem.

Omnibus his palmam eripit *elixir. catholic. Dn. D. Geilfusii*, variorum Imperii Statuum Archiatri celeberrimi, quod alternis diebus sumtum alvum lubricitat & obstructiones viscerum tollit, insimul etiam balsamicam conservat sanguinis consistentiam.

His favente Numine divino, multos & me ipsum in pestilentissima etiam dysenteria, inter complicatos labores praeservavi, substituens interdum loco elixirii *tincturam bezoard. Dn. D Michaëlis.* Vitavi purgantia, & venaesectiones: diaetam pro cujusvis consuetudine concessi liberam; vinum jussi bibere ad hilaritatem, non ad ebrietatem: Deo vero susceptori, & soli refugio omnia mente laeta, & pia committere. Sic non timui a timore nocturno, a sagitta volante in die, super aspidem, & basiliscum ambulavi, conculcavi leonem, & draconem; nam ille Deus longitudine dierum replebit omnes in ipsum sperantes, & ipsis ostendet salutare suum. Huic sit laus & gloria sempiterna.

Sequuntur observationes practicae.

I. JUvenis viginti aliquot annorum corripiebatur dysenteria, tum temporis Hanoviae epidemia, cum tenesmo, & synceri sanguinis excretione, plusquã centies

ties surrexerat praecedente nocte, cum magna cordis anxietate, siti, vigiliis, & atrocissimis alvi doloribus. Vocatus clysterem praescripsi, quem tenesmus non admittebat, cui tanquam urgentiori symptomati occurrebam suppositorio ex sevo cervino, sedato hoc paulisper singulis diebus usus est enemate ex decocto florum rosarum rubrarũ cum succo plantaginis, & saccharo rubro. Vigilias demulcebat emulsio.

℞. *Amygd. dulc. exc.* drach. iii. *sem. melon. exc.* drach. ii. *papav. alb.* drach. i. sem. contusa cum *aqu. pyror. sylvestr. ulmar. tormentill. contr. febr. malig.* ãã. unc. i. l. a. emulgeant. add. *lap. cryst all pp. corn. cerv. ust. pp.* ãã. scrup. i. *man. Christ. perlat.* ad gratiam.

Dolorem mitigavere pilulae nostrae antidysentericae numero quinque sub tempus somni. Vires resocillavi sequenti tinctura.

℞. *Tinct. rosar. aq. dysenter. extract.* unc. iv. *sir. papav. errat.* drach. iii. misc.

Sitim fallebat aqua fol. quercus cum sirupo acetositatis citri; hunc bolum magni semper fecit.

℞. *Extract. theriac. tormentill.* ãã. scrup. sem. *ol. nuc. destillat.* gt. iii. *antimon. diaphoret.* scrup. sem. cum *conserva rosarum.* fiat bolus.

Evasit post vigesimum diem, quem charon jam cymba sua expectabat.

II. Hodiernis non solum Medicis, sed & antiquis Patribus religio fuit, purgare gravidas, ob abortus metum, qui facile sequitur, recte *Hippocrates*: *Mulieri uterum gerenti si alvus multum fluat, periculum est ne abortiat*. Hujus canonis veritatem expertus sum in uxore honesti civis, quae dysenteria correpta quinto mense gravida, abortum quarto decubitus die patiebatur, subsequenti animi deliquio, fluxu continuo purulento, vomitu, extremorum frigore, & sexto die morte. Quod si legitimus instat pariendi terminus, non tantum imminet periculum, quia superveniente partu plerumque cessat dysenteria. Uxor Dn. N. nata in Brasilia honesta sane, & modesta matrona, dysenterica sed gravida, & partui vicina, sumto pulvere cordiali cum aqua cinnamoni cydoniata, peperit tertio die filium, cum sanguinis copiosa excretione: paulo post omne substitit alvi profluvium, ego mane rediens diaetam praescripsi puerperae convenientem, cum admonitione, ne obstetrix nimium lochiorum urgeret fluxum, sicque vale dixi cum gratulatione propter filium, parentis solatium, & matris remedium.

Primarius quidam civis laborabat dysenteria maligna, quem paucis hisce, sed methodice adhibitis remediis per Dei gratiam curavi.

℞. *Pulv. bezoard. Sennert. dysent. Croll.* ãã. drach. i. *Pannon. rubr.* scrup. ii. *ocul. cancr. pp.* drach. sem. *unicorn. ver.* scrup. i. sumatur drach. sem. bis vel ter de die cum aqua pyrorum sylvestrium.

℞. *Rad. tormentill.* drach. iii *flor. rosar. rubr. chamom. verbasc.* ãã. m. sem. *sem. plantag.* drach. ii. incis. coq. cum lact. colat. unc. x. add. *sev. cervin. ol. hyperic. solut.* unc. sem. *succ. plantag.* unc. i. misc. f. clyster. Unicam sumsit pilularum nostrarum anti dysenteriacarum dosin, sicque factae sunt excretiones rariores, & non adeo dolentes: convaluit circa diem octavum, qui erat homo exspleniatus, si credere fas est, adeoque nullis obnoxius lienis morbis, quo carebat, siquidem ante plures annos post gravissimum animi deliquium rejecerat molem quandam carnosam lieni non absimilem, quam duo Medici vocati una cum Chirurgo pro vero habuere liene, ipsius vasa, tunicam & parenchymaticam substantiam demonstrantes, cum prognostico, brevi mortem subsecuturam. Verum duo illi Medici jam dudum hinc emigrarunt, vivente in hunc usque diem cive hoc sano, & incolumi, praeterquam quod contumaces semper patiatur alvi obstructiones: meo judicio latuit massa haec parenchymatica in ventriculi fundo, ex cruore ibidem extravasato genita, sic memini legisse me in ephemeridibus Medicorum Germanorum (nisi me mea fallit memoria) quendam melancholicum per longum tempus de ventriculi morsu a rana, quam ibi nutriri persuasum habuit, conquestum fuisse, in cujus ventriculo

post

post mortem aperto inventus fuit quidam tumor carnosus ranae non absimilis.

IV. Vir 40. annorum diu gestarat ulcera pedis manantia, quae (me dissuadente) sanaverat Chirurgus eo tempore, quo dysenteria maligna in plures Hanoviae incolas saeviret, qua brevi post & hic affligebatur cum vehementissimis, & letalibus symptomatis: fateor & coram supremo respondebo judice, me generosa adhibuisse remedia, sed frustra semper in deterius ruente malo, ex quo tandem obiit. Nonnemo ex amicis opinatus fuit, me non vera tentare artis praesidia, quod ut plurimum Medicis contingit, si res pro voto non succedat. Respondi ego cum Jacobo: num pro Deo ego sum? Et cum rege Israelitarum, respondenti mulieri exclamanti ad eum salva me Domine; *te salvet Dominus: unde te possum salvare! De area vel de torculari?* Et bono fui animo, qui, quum ille meam accusaret fidelem opem, ego ejus ridebam stultitiam, & ingratitudinem. O miseram sortem medicam, inquit Thonnerus, vel in hac mea grandaeva octogenaria aetate deplorandam. Quum tam fidelis opera diurna, & nocturna cura ac solicitudo saepius haud pro meritis muneratur, imo non raro cum disgratia compensatur, praesertim si medela non succedat ex voto, absque ulla Medici culpa, sed mere fatali ipsius morbi pervicacia, ut poenitentia sit cum cordolio suppetias tulisse. Ast aequo animo ferenda, quae inopinato accidunt, & sunt immutabilia.

Magnam imaginationis vim esse etiam hoc in morbo maligno, ex sequenti patet casu: Pistoris filius duodecim annorum dysentericus, quum periculose admodum aegrotaret, media nocte petiit halacem, quem quum parentes obtulissent, totum comedit. Certum hoc esse insecuturae mortis signum putabant moesti parentes. Verum eventus longe aliud docuit; sedato enim appetitu cessavit fluxus cruentus, & aeger praeter omnium expectationem convaluit.

Malignitas saepius totum inficit corpus, ut etiam post fluxus cruenti, & doloris cessationem per longum tempus aegri adhuc conquerantur de artuum lassitudine, vertigine, & totius corporis languore. Matrona fluxui haemorrhoidum alias obnoxia, a periculosa pilulis nostris antidysentericis liberata dysenteria, variis adhuc per semestre tentabatur insultibus, donec suborta in mala dextra inflammatione, & apostemate integrae restitueretur sanitati. In infantibus vidi post dysenteriae cessationem spinam ventosam, varia ulcera, & cancrosa tubercula. Memini etiam, referre celeberrimum Horstium, post dysenteriam ortam fuisse ophthalmiam, arthritidem vagam, & tandem in genu apostema. Possem producere varios istiusmodi casus, sed hi pro morbi hujus indole cognoscenda nunc sufficiant.

DISPUTATIO XXIV.
DE COLICA.

RESPONDENTE

JOHANNE HENRICO HAPPEL, Kirckhaina Hasso.

OMnium qui vivunt miserrimam peregrinantium conditionem esse, viator, sive per aperta camporum spatia, sive vastissimas aequoris aquas dulcem tendat in patriam, iniquae & adversae ubique coactus fortunae acerbitates persentire, meritissime conqueri potest, quum omnia fere sub dio in ejus perniciem videantur conspirasse. Ipse aether ferventissimo mox exaestuans calore corpus ejus sudore diffluere facit: mox saevissimo horrens frigore omnes ejus congelat vires: aëris nimium humentis inclementia, jam nimia ferventis siccitate fauces ardore urente intemperies varie affligit: imo ipsa terra nunc montium asperrimorum, & praeruptorum, praecipitumque collium altitudine, sylvarum solitudinumque tristissi-

stissima faciei de felici in exoptatissimam patriam adventu desperationis metu, anxiam percellit mentem: & quorum maximam saevitiem verbis describere nequit, ventorum scil. horrendis procellis dirisque turbinibus, toto equidem itinere nihil tristius molestiusque accidere sibi, altis conqueritur suspiriis. AEquora enim si naviget, tantos ibi experitur austri boreaeque maria coelumque rapide secum ferentium rugitus, & murmura, ut ventis submersa puppis aquis obruta omnem vitae spem abjicere jubeat. Nec si per latos campos inceptum emetiatur iter ventorum saevitiae exemtus est, cominus & eminus cum illis, & ab utroque latere colluctari necesse habet. Tantis difficultatibus, tantis molestiis peregrinantium subjicitur vita! Vita nostra nonne tota peregrinatio est, ubi nemo mortalium adeo beatus, qui non, eheu! saepissime adversis fortunae ventis concutiatur, & cum plurimis valetudinis suae hostibus confligere in gratiis cogatur? Inter quos colica sonorae tempestatis instar intus furens tanta cum saevitia concutit viscera, ut vitae navicula, ancipiti periculo fluctuans, parum absit, quin evertatur, & submergatur. Cujus tanta quandoque crudelitas, ut afflicti centies morbo brevi jugulante doloresque abrumpente decumbere malint, quam crudelissimae hujus torturae perpetuo tolerare saevitiem. Hujus naturam praesenti disputatione describendam antequam aggrediamur benignissimi Spiritus devoto pectore, & ardentibus precibus invocamus auxilium.

T H E S I S.

I. Medicus ad aegrotum accersitus nec morbi nomen, neque nominis derivationem, nec aliud quicquam primario attendit, solum ad symptomata aegrum infestantia cogitationes dirigit, ut exinde certam morbi speciem determinare possit. Hinc perfectam colicae cognitionem melius acquiri non posse existimo, quam si primo ejus phaenomena, & apparentias consideremus, propter quas hominem colica laborare dicimus, & post harum caussas explicatas ad ipsam medendi methodum transeamus; ut igitur omnia rite, & decenter, sit thes.

II. Tum demum, & decumbentem colica laborare dicimus, quando de dolore abdominis profundo, & fixo cum torminibus, & rugitibus, alvi astrictione, ut & urinae parca excretione conqueritur. Vel quoties vehementem abdominis dolorem, eumque lacerativum pungitivum, & vagabundum cum umbilici jam prominentia, & hypochondriorum inflatione, jam eorundem subsidentia, & umbilici versus inferiora retractatione percipit. Supervenit vomitus biliosus, acidus, pituitosus: vel saltem continuum vomendi desiderium, & nausea angit: alvus interim est astricta, & urinae excretio in totum suppressa.

III Hae apparentiae ut clarius nonnihil explicari, & intelligi possint, quaedam extra ordinem ex oeconomia animali praemittenda esse operae pretium censemus, hactenus in lectionibus publicis, & privatis, ut & disputationibus a Domino Praeside saepius ventilata. Notissimum autem esse puto, cibum ori ingestum ibidem varie pro futura chylificatione in ventriculo praeparari, dum a dentibus tanquam a molenda in minutiora conteritur, & confringitur, quem saliva humectat, ut a lingua pistoris fungente officio commodius subigi possit, & ulterius in oesophagum protrudi, a quo musculis suis ita a natura fabrefactis, ut spiritus animales certo, & convenienti modo influentes recipiant, ulterius offertur ventriculo, ollae naturae, ad fermentationem (coctionem primam alias dictam) subeundam destinatae. Hic liquor acidus ex mediae ventriculi tunicae glandulis, in quibus ex sanguine arterioso, & liquore animali generatur, per tubulos & poros in cavitatem ventriculi effusus, omnem cibum, cujusque qualitatis saporis, & odoris ille fuerit, adjuvante materia subtili, mistione soluta in minutissimas confringit portiones, & resolvit per modum quendam fermentationis, quae tamdiu durat, do-

nec

nec omnis cibus in unam tandem cojerit massam. In hac fermentatione quoniam ex intimis fit resolutio, portiones cibi minimae a se invicem recedentes majus occupant spatium, & ventriculum intumescere faciunt: peracta vero illa, cessanteque fermentantis massae motu, ventriculus sua sponte subsidet, & coëuntibus fibris chylus absque ulla facultate expultrice in intestinum duodenum prolabitur, ubi a duobus liquoribus, altero naturae menstruo, ab utroque latere scaturientibus, in effervescentiam novam priori longe citatiorem rapitur, in qua crassiores ejus partes ad inferiora intestina naturae juxta leges praecipitantur, tenuiores vero, & subtiliores versus intestinorum latera vibratae minutissimos partim vasorum lacteorum, in quibus lac aemulantur, partim venarum mesaraicarum poros, & meatus ingrediuntur, ut sanguis hic, in corde vero spiritus vitales exinde elaborentur. Quae quum prolixius alibi fuerint proposita, in his quae ad institutum nostrum facere videbantur acquiescimus: veritatis tamen avido eruditam de coctione in ventriculo dissertationem Dn. D. Andreae, Professoris in academia Francofurtensi ad Oderam publici, celeberrimi, commendamus.

IV. Observari deinde necesse erit, vitam nostram tamdiu durare, quousque succus nutricius perenni distributione omnibus partibus communicatur, quod in corpore nostro praestat liquor vitalis, sive anima vegetativa, & animalis sive anima sensitiva. Liquoris vitalis certitudo tanta est, ut nemo unquam illam negaverit. Liquor vero animalis, quamvis ob naturam aëream & subtilissimam sensus fugiat, ex operationibus tamen, quibus se manifestissime prodit, certissime probatur. Hic ex subtilissima & maxime activa sanguinis vitalis portione per solam cribrationem per angustos arteriarum carotidum, ipsiusque cerebri poros separatus a crassioribus sanguinis portionibus, per proprios ductus & canales in universas corporis partes, cum pro succo nutricio partibus apponendo, tum pro sensu & motu praestando continue defertur & influit. Siquidem omnibus partibus sensu praeditis natura fibras nerveas, alibi sanguine circumfusas. alibi vero exangues concessit, a quarum motu spiritus animales nunc in hanc, nunc in illam determinantur partem. Si enim fibrae illae nerveae, spirituum animalium copia ubique refertae, & quasi distensae, a tangibilium ictibus feriantur, impulsum quemlibet per nervorum ductus ad commune sensorium deferunt, non aliter ac fidium chorda in uno extremo pulsata in momento in altera extremitate similem excitat motum. Quod si motus ille fibrillarum nervearum fuerit proportionatus, juxta naturae leges, positosque limites, nulla in corporis oeconomia advertitur ἀταξία: quamprimum vero impetuose moventur, convelluntur, corrugantur, aut in suo situ turbantur, dolor pro diversitate objecti improportionati vel lacerativus, convulsivus, pungitivus, distensivus, aut gravativus. Ipsorum etiam spirituum animalium ordo non parum turbatur, quum in varias anomalias rapi videntur.

V. Sicut enim caeteri sensus externi, quamdiu organa ipsorum ab objectis proportionatis & mediocribus naturae amicis afficiuntur, nullas exorbitantias committere solent, ita etiam hoc in sensu tactus observari solet, utpote qui cum reliquis in sensationis ratione formali, motu scilicet sive pulsatione, convenire videtur, ut non absque ratione unicum saltem omnibus animantibus inesse sensum, nempe tactum, a nonnullis defendatur. Nam quoties radii luminares in retinam tunicam citra violentiam reflectuntur: quoties percussus aër mediocriter auditus pulsat organa: quoties tenuia corpuscula tunicam interiorem narium, fibrillasque linguae mediocriter afficiunt, & movent; toties visus, auditus, gustus, & odoratus citra ullam exercentur molestiam, & animae sensitivae perturbationem. Verum si non servatis limitibus incongruum quid & improportionatum in sensoria irruit, statim molestia oritur, & vis spiritibus animalibus, eorumque continentibus vasis infertur, unde strepitus, terrores, foetores, tinnitus, machinae

con-

concussio, vomitus, diarrhoeae, animi deliquia, aliaque graviora mala. Tali modo etiam similes ἀταξίαι in sensu tactus, ejusdemque organo facile ab objecto mediocritatem excedente excitari solent, de quibus nunc pluribus.

VI. Dolor ventris, quem pro primo affectus colici phaenomeno posuimus, quandoque est profundus, & interna viscera magis affligere videtur; & quamvis externe adeo exacte circumscribi nequeat, situm tamen intestini coli non obscure delineat. Alvus plerumque segnis est cum flatuum retentione, qui cum boatibus, murmure & rugitu per intestinorum longitudinem explosi tunicas distendunt, cavitatem dilatant, fibrasque extendendo & quodammodo solvendo saevos excitant dolores. Oriri malum tum dicimus a debitae fermentationis in ventriculo ut effervescentiae in duodeno defectu, quam inseparabiles comites, chyli, frigida, pituitosa, & viscida intemperies, aut nimia ejusdem aciditas subsequuntur. Chylus itaque sive ex ventriculi vitio, sive bilis oleositate, aut succi pancreatici vitioso charactere acescat, facillime fibras intestinorum pungendo & vellicando tales dolores excitare potest, praeprimis in illis, qui haereditario jure ad hoc malum sunt dispositi, quam dispositionem in hoc consistere statuimus, quod a prima infantia fibras intestinorum valde debiles & tremulas nacti sint, quae etiam a levissimo objecto improportionato cum doloris sensu affici possunt; hinc morbum hunc haereditario jure a parentibus in liberos propagari saepissime observatur. Quod si mucus ille, qui interiorem intestinorum obducit crustam, quem arteriolis exsudare credimus, ob sanguinis discrasiam degeneret, & una cum bile & succo pancreatico, vel innoxiis adhuc, vel etiam corruptis, vitiose effervescat, dolores colici in jejunis etiam, & quorum intestina ob longiorem inediam sunt exinanita, excitari possunt. Et quum flatus generari videamus, quoties salia volatilia oleosa incidunt in pituitam, statuimus volatilis bilis portiones in lympham crassam impingentes eam in subtiles halitus & flatus resolvere, qui cellulas intestini coli distendentes faeces retardant, & animae sensitivae debitum influxum denegant, unde alvi tarditas, vel omnimoda constipatio.

VII. Alterum quod notavimus phaenomenon, erat parca urinae excretio. Intestina enim a flatibus distensa majorem requirunt locum, unde vicina vasa emulgentia comprimunt, ut materia pro generanda urina ad renes deferri nequeant; vel saltem ureterum meatus per compressionem occludunt, ut nec segregatum serum a sanguine ad vesicam amandari possit, aut diutius in vesica asservari. Quae vero excernitur biliosa est, & valde tincta, quoniam bilis in propria vesicula ob distensionem colligi nequit, sed regurgitat & effunditur in massam sanguineam, ubi abundantius collecta urinam intensiori saturat colore.

IIX. Interdum tamen observantur dolores ventris vehementiores, lacerativi & lacinantes, qui ad tactum etiam exacerbari videntur. In lumbis crudelis percipitur dolor, umbilicus quandoque prominet & elevatur, mox versus interiora retrahitur, & subsidet cum hypochondriorum molestissima vellicatione. Hujus colicae, quae frequentius affligit, longe aliam caussam, subjectumque esse multa persuadent. Intestina enim, quae alias chyli faecumque receptaculum sunt, omni carere culpa statuimus, id quod & doloris ratio, situsque solidissime probant. Si enim materia peccans in intestino colon stabularetur, ab unius aut alterius cathartici exhibitione, quod in priori fieri videmus, facile cessaret dolor, a quorum propinatione tantum abest, ut juvetur morbus, quin potius vehementius exacerbetur. Deinde quum dolor non sit adeo profundus, sed vagabundus, & lacerativus, indubitatum nervosi generis affectionis testimonium exhibet. Quum ergo nec ex ventriculi, nec intestinorum vitio dolorificae hujus contractionis & torturae caussa sufficiens deduci possit, merito partem affectam statuimus esse mesenterium, commune illud variorum succorum receptaculum, in quo plurimorum nervorum

vorum est congeries: in cujus plexus nerveos quum liquor nervosus praeternaturaliter constitutus deponat recrementa sua salina & scorbutica, illa ad orgasmum, iisque collecta sua sponte effervescunt, & fibrillarum sensibilium contractiones dolorificas excitant, saepius tamen ante plenitudinem aggravativam a lymphae, sive sanguinis, fibras alluentis, particulis diversae naturae ad effervescendum mota, plenitudine irritativa totum contrahunt mesenterium, & vellicando umbilicum nunc prominere, nunc subsidere faciunt, hypochondriis una cum abdomine nunc distensis, nunc collapsis apparentibus. Tales particulas sibi invicem occurrentes varias effervescentiae species lucta sua producere, ex febrium differentiis, dolorum diversitate, aliisque evidenter demonstratur. Vidit illas adhuc tumultuantes in urina (quod admirationem & attentionem meretur.) Dominus Doct. Cneoffelius, de quo in anno 5. ephemer. Medicorum Germanorum.

IX. Alvus est obstructa cum urinae vel totali suppressione, vel saltem stillicidio, propter intestina simul in diversis locis varie diducta, aut retracta, fibrarumque motus perturbatos, & inversos. Ureteres etiam propter motus istos spasmodicos corrugantur & crispantur, quae alias in admittẽdis istiusmodi corrugationibus nõ admodum difficiles sunt, ut in dolore nephritico clarissime observare licet.

X. Interdum bilis flavae aut prassinae ingens copia durante paroxysmo impetuoso vomitu rejicitur. Ex quo non statim sequitur, quod in ventriculo & intestinis haec collecta morbum produxerit, nec quod in propria vesicula, aut stomacho ad plenitudinem coacervata facultatem expultricem stimulaverit: quin potius vomitus ille est symptomaticus, excitaturque, quatenus bilis in cystide sua contenta propter viscerum spasmos inde exprimitur, & in ventriculi cavitatem defertur; vel quatenus ob consensum nerveum membranae vesiculae felleae, & ventriculi emulgentur, quod & aliis humoribus in hypochondriis contentis contingit; hinc ipse succus pancreaticus, non raro per aciditatem suam sese prodens, saepius per ἀνακάτωσιν eliminatur. Ubi vero caussa non est sufficiens ad vomitum, utpote qui est vehemens & calida ventriculi concussio, movendum, continuum tamen vomendi desiderium cum molestissima nausea inde excitari solet.

XI. Has putamus causas proximas & continentes esse apparentiarum, colicum affectum concomitantium. Remotiores possunt esse variae; temperamentum pituitosum, biliosum, & melancholicum: aetas virilis & vitae status sedentarius, quo & referenda nativa illa ad colicam in utero materno contracta dispositio, de qua supra, plurimum ad morbi hujus genesin conducunt, ut & sex res nonnaturales, aër nempe frigidus, calidus: cibi pingues, crassi, faeculenti, acidi: potus vappidus, & sulphuratus: motus nimius; quies excedens, vigiliae, somnus, ira, moeror & tristitia, quae omnia strenue suam, licet modo diverso, ad colicae productionem conferunt operam. Huc etiam referimus caussas praeternaturales, quatenus morbi praegressi materiam ad intestina transferunt, coctiones & fermentationes depravant, praeprimis vero intemperies cerebri, sanguinis, lymphae, aut ipsius liquoris nervei a longo tempore contractae, efficaciter ad colicam inducendam concurrunt.

XII. Ex quibus omnibus varias possumus elicere differentias: dum alia est intestinalis, eaque iterum flatulenta, pituitosa & biliosa; alia vero mesaraica, sive convulsiva & scorbutica, eaque vel benigna, vel maligna. Alia est recens, alia inveterata, simplex, vel composita; alia periodica, vel continua. Alia est vera, vel notha & spuria, ad quam dolores ventris, qui a fortioribus & acribus medicamentis, potu & cibis inassuetis oriuntur, ut & nephriticam, quum calculus quandoque pro colica & contra, ob affectuum horum difficilem a se invicem distinctionem, judicetur, quum etiam hystericam, quatenus convulsiones & motus spasmodici

dici in mulieribus suffocationibus uterinis obnoxiis saepissime pro colica tractantur, referimus.

XIII. Verum quum nihil majorem Medico apud aegrotos & adstantes conciliare possit auctoritatem, quam de futuris contingentibus certa quaedam proferre praesagia, ad prognosin progredimur, & colicam ex intestinorum distensione, aut punctione, sive a bile, flatibus, aut succo pancreatico proveniat, curatu non adeo difficilem pronunciamus, quum ab unico etiam purgante, carminativo, aut acidum saturativo compesci observatum fuerit. Majori autem periculo exposita est mesaraica illa convulsiva, quam gravissima nonnunquam excipiunt symptomata, passio iliaca, epilepsia, paralysis: siquidem sanguis ob fibrillarum corrugationes in suo motu impeditus, & plus justo in tubulorum interstitiis coacervatus inflammationes parit, unde miserere mei, & gangraena. Saepius particulae irritativae motu retrogrado cerebrum occupant, & spiritus animales amplexae illos in varias anomalias secum rapiunt. Non raro nervorum orificia, aut ipsam etiam spinalem medullam occupantes mox universalem, mox particularem corporis, & membrorum caussantur resolutionem. Est itaque gravissimus affectus, viresque fortes & integras requirens, hinc gravidis, puerperis, senibus, aut aliis morbis, exhaustis viribus, superveniens plerumque periculosissimus. Certissimum etiam mortis periculum denunciatur, si singultus, delirium, vigiliae, sudores frigidi, & extremorum refrigeratio a morbi vehementia superveniant, tum enim vix, ac ne vix quidem, aegrum evasurum pronunciare poteris.

XIV. Curationem primae colicae speciei, quum levior sit, & ex scorbuticae therapeia facile erui & addisci possit: peculiariter pertractare supervacanei censemus laboris. In mesaraica vero duplicem curationem, in & extra paroxysmum, ipsa suadet ratio. In paroxysmo, monente Willisio, omnes suas curas Medicus ad duas has indicationes anxie deducere debet: nempe 1. quomodo materia illa morbifica plexibus mesenterii nerveis infixa refraenetur, & continui solutio tollatur: 2. quum magnus adsit spirituum animalium fervor, qui saepius furore quasi concitati curationem ad se divertunt, quomodo illa excandescentia demulceri & sedari possit. Prius obtineri poterit clysteribus leniter evacuantibus, antiscorbuticis, diureticis, discutientibus & resolventibus. Posterius praestabunt anodyna, placativa, & mitigativa, ut & opium, ad quod in casu extremo prudenti tamen circumspectione tanquam salutis anchoram quandoque confugere licebit.

XV. Commodissime ut plurimum curationem a clysteribus auspicamur, qui quod fotus externe abdomini applicati, hoc illi intus praestare videntur, dum diffusi in intestinis eorundem porulos intrant, & corpuscula resolventia exspirant, quae materiam morbificam aggressa temperando, & attenuando eam corrigunt, ut vel fibrillae illa deliberentur, vel ad intestinorum cavitatem deducantur. Ejusmodi clysteres praeparari possunt ex emollientibus, demulcentibus, & anodynis, ver. gr. ex radic. alth. liquir. lilior. alborum, herba malv. bismalv. althae. parietar. branc. ursin. violar. flor. chamom. sambuc. melilot. hyperic. verbasc. sem. alth. carv. cumin. foenugraec. baccis lauri, juniper. Colaturae addantur primo benigniora temperantia & resolventia, successu vero temporis nonnihil fortiora ex hier. picr. elect. diacarth, diacathol. diaphoenic. cassia, & aliis substituantur.

XVI. Verum haec & alia saepius irrito exhibentur conatu, & a morbi violentia eluduntur, clysteribus non solum statim sine ullo levamine redditis, sed & omnibus purgantibus exhibitis in abdomine subsidentibus. Siquidem intestinorum fibrae adeo saepe sunt corrugatae, ut nec anima sensitiva excitari, nec illa in motum peristalticum cieri queant. Tunc necessario ad validiora confugimus, quae quidem etiam particulis subtilibus, rigidis tamen & durioribus constant, ut fibras in debitum situm reducere queant. Videmus sane motibus convulsivis & epilep-

ticis correptos, si implicatae manus, & contracti digiti ab adstantibus sensim & placide in rectum extendantur, citius a paroxysmo liberari: eodem modo spiritus animales facilius munere suo fungi poterunt, fibris corrugatis a medicamentis firmiter illis adhaerentibus, easque validis in partem contrariam vellicantibus, iterum debito modo extensis. Atque hinc est, quod ab usu horum medicamentorum primo dolorem exacerbari observemus, qui tamen postea in totum remittit. Laudamus itaque clysteres antimoniales, quales apud Riverium, Sennertum, aliosque reperiuntur, non semel urgente sic necessitate, felici cum successu exhibitos. Purgantium vero usum quod attinet, ea improbamus potius, tum quod dolorem exasperent, tum etiam quod mortem accelerent, id quod clariss. Wepferus celeberrimus Helvetiorum Medicus in ephemeridibus naturae curiosorum confirmat.

XVII. In applicatione fomentorum, & impositione topicorum summa cum cautela procedendum esse jubent practicorum experientiae. Calida enim illa carminativa, & discutientia, quae communiter imponuntur, ex tegulis calefactis, sacculis, milio tosto, arena, & furfuribus, herbisque resolventibus, & intense calidis repletis, saepissime manifesto cum aegri exitio adhibentur: quia salina illa recrementa, magis magisque ab illis agitata, intensiorem excitant calorem, imo inflammationem intestinorum, & mesenterii producunt, tandem in abscessum desinentem, qualem in dissecto cadavere praelaudatus Wepferus observavit. Nobis ea maxime placent, quae sedandi, & praecipitandi vi pollent: ver. gr. aqua arthritica ad extra, spir. salis armon. spir. lumbric. terrest. liquor nervinus Generalis Rabenhaupts, qui omnibus palmam eripit; oleum saponis, ranarum, quibus alia carminativa successu non contemnendo addi poterunt.

XII. Interea antiscorbutica, & diuretica interne frequentius exhibeantur, quae materiam morbificam fundant, secumque ad vias urinarias deferant, qualia sunt: aqua antiscorbutica calida, vel prout ratio morbi & temperamenti exiget, frigida Timaeia Guldenklee, Physogona, specifica Hertodi ex stercore columbino, quam cum interne, tum externe commendat Praeses, ver. gr.

℞. *Aquae specif. Hertodi contra colic.* unc. j. *spir. croc. compos. ejusd.* gutt. vij. *sal. succin. volat.* gr. v. misc.

Tinctura tartari vera, spir. sal. armon. simplex & compositus, mistura de tribus reformata, vel potius aucta, quam ita vocare lubet, ne contradictionem in terminis committam, si illam misturam simplicem compositam vocavero. Interim credas, hanc simplici multo esse efficaciorem, & in movendo sero celebrem. Spiritus terebinthinae, sal volatile oleosum Sylvii, pulvis corticum aurantiorum, aliaque balsamica continui solutioni occurrentia, & vitiosum acidum emendantia, id, quod tinctura proprietatis Mynsichti itidem praestabit. Ego omnibus praefero tincturam antimonii a solertissimo Cassellanorum Pharmacopaeo & Chymico Jacobo praeparatam & elaboratam, quam apud Dn. Praesidem videre & degustare contigit. Haec certe ut in aliis tum in sanguinis, tum lymphae vitiis, ita & in hoc gravissimo abdominis morbo suam moeretur laudem a gutt. xxx. in aqua lumbric. magistrali frequenter exhibita. Ex his & aliis variae formulae ab artis perito, cui soli medicamenta praescribere competit, pro aetatis & temperamenti ratione concinnari poterunt. Quod si vero foecundiorem materiae medicae sylvam tam quoad simplicia, quam composita desideres, tibi instar omnium systema universae materiae medicae Giesvveinii, nuper recens editum commendamus.

XIX. Saepe spirituum animalium excandescentia, concessis morbo indiciis, gravius portendit malum, & urgentioris symptomatis induit rationem; huic nisi tempestive occurratur, de aegri salute, & vita erit conclamatum: hinc, quoniam

niam dictante Curtio, tempora praesentia & segnes Medicos & lenta remedia non expetunt, mitigativa, & anodyna prae omnibus, seposita etiam paulisper ordinaria methodo medendi, exhibenda erunt. Ubi varii varia jactant: ego in theriaca coelesti nuper a praelaudato Dn. Jacobo Cassellis praeparata acquiesco, utpote quae hactenus omnium satisfecit expectationi. Siquidem hanc in se efficacem reperit venerandus Senex, vir longo rerum medicarum usu, & innumerorum casuum tam in Apollinis, quam Martis castris varietate, experientissimus, Dom. Doct. Angelocrator, Archiater & Consiliarius Hassiacus gravissimus. Hanc in serenissimi nostri Principis, Domini nostri Clementissimi periculoso intestinorum morbo, referente Domino Praeside, felicissimo cum successu saepius exhibuit nobilissimus & experientissimus Dominus Doctor Holstein, Archiater Hassiacus, & rerum chymicarum expertissimus. Quibus facile calculum addet celeberrimus Cassellanorum Practicus & Physicus ordinarius Dominus Doctor Roser, Archiater itidem clarissimus, qui innumeris casibus thaeriacae coelestis encomia confirmare poterit. Inter anodyna referimus etiam aquam theriacalem, quae vel per se, vel cum aliis mista exhiberi debet. Nec sequens pulvis, ad imitationem pulveris a celeberrimo Domino Doctore Ettmullero, confirmatae eruditionis Medico & Professore Lipsiensi publico, in infantum torminibus commendati imitationem praeparatus, erit inefficax.

℞. *Ocul. cancr.* drach. sem. *corn. cer. sine igne ppti*, scrup. j. *corall. rubr. praep.* scrup. sem. *myrrh. rub. pr.* gr. vj. *theriac. coel.* gr. iv. *sal. vol. oleos. Sylv.* gutt. vj. misc. f. pulvis.

Quibus volupe est statim ad opium confugere, & aliorum monita alto despicere supercilio, illi tam facile famae suae incurrent naevos, quam facile aegrotum ad plures abire jubebunt. De cujus abusu lege utilissimam Domini Praesidis de opiatis disputationem, in qua tantum abest, ut opiata reprehendat, ut potius socordiam in praeparando, & plusquam barbaram nonnullorum in propinando audaciam, censoria castiget, & perstringat gravitate.

XX. Interim cordialia, & confortantia quoque frequenter exhibenda erunt, ver. gr. aqua cinnamomi hordeata: perlarum officinis usitata: nucis moschat. e typhis cervorum, e toto citro, florum aurantiorum, cordialis frigida & calida, Danica rubrica, zedoariae, anisata. Spiritus confortativus per se, vel cardamomisatus, salis armoniaci anisatus, succinatus, corallisatus, corticibus aurantiorum impraegnatus. Julepus gemmatus, confectio alkermes, de hyacintho. Sirupus liberantis, e toto citro, rubi idaei, caryophyllorum. Pulvis diachermes, cordialis pretiosus, Pannonicus ruber, &c. quae a prudentiori Medico in formulas facile redigi queunt.

XXI. Extra paroxysmũ, jubente sic indicatione praeservatoria, caussa morbifica tollenda, sive illa in liquore nerveo, sive arterioso haereat, & purgantibus, vomitoriis, venaesectione, expugnanda. Post aperitiva chalybeata, aliaque aestum succorũ temperantia & alterantia in usum vocanda, qualia sunt etiam omnia testacea, humorumq; acrimoniam imbibentia ex ebore corall. ocul. cancr. matre perlar. cor. cer. &c. Primas tamen sibi hic vendicant acidulae, quae refrigerando, praecipitando, & evacuando prosunt: nec non serum lactis tamarindinatum, vel succis antiscorbuticis impraegnatum. Accurata victus ratio servanda, fugiendo cibos flatulentos, crudos, viscidos, fumosos, sale muriatico conditos, aut fumo induratos. Potus nocet gelidus: praesertim si glacie, aut nive sit infrigidatus, cerevisia recens, crassa, turbida, non bene cocta, & defaecata. Vina sulphurata, Francica, acida, Alsatica nonnulla, & Austriaca nonnulla calci affinia, & aliqua ex Necceranis.

Econtra laudantur cibi boni succi & eupepti; aromaticis, salvia, roremarino, thymo, croco, modice conditi; vel etiam hepaticis spinachia, asparago, endivia,

acetosa, cichoreo, capparibus, aliisque alterati. Commendatur cerevisia clara, tenuis, & diuretica. Vinum Rhenanum, Mosellanum, e mitioribus: Necceranum, Helveticum rubrum, & quod caput fere est, Hirschstadiense & Michelbacense, Moguntinae ditionis prope Aschaffenburgum, quae arcanum quoddam contra colicam, podagram, & calculum possident. Tantum! Deo soli laus & gloria in perpetuum.

DISPUTATIO XXV.

DE HYDROPE.

RESPONDENTE

MARTINO JOHANNE HAESBAERT, Clivi-Clivensi.

THESIS.

I. QUod Latini κατ' ἐξοχὴν hydrops a Graecorum ὕδωρ aqua, & ὤψ oculus, sive vultus; vel etiam ascites, quia abdomen instar ἀσκοῦ utris turget, dicitur. Verum quum haec valde trita sint, insuper etiam grammatica denominatio plane nihil ad medicam hydropis facit cognitionem, nolo in re inutili, & Medico cordato indigna tempus terere, sed describam medice hunc affectum, quod sit.

II. Tumor abdominis, & plerumque etiam pedum, a lympha in abdomine restagnante ortus,

III. Notari autem velim, dari in corpore humano peculiaria quaedam vasa ex pellucida ac tenuissima pellicula constantia, valvulis suis donata, & peculiarem liquorem lympha dictum a circumferentia, & omnibus partibus totius corporis ad communem sanguinis fontem (cor) deferentia. Vasa haec quum omnibus in partibus succum nutricium a nutritione residuum, ut paulo post dicetur, suscipere debeant, innumerabilia sunt, nec certo determinari possunt, quoniam eo ipso quo liquor quem continent, vel exhalat, vel effunditur penitus disparent, & ob suam tenuitatem, & pelluciditatem a subjectis vasis, & membranis discerni nequeunt, ut loquitur *celeberrimus Practicus, & Anatomicus* DIEMERBROECK *in C. H. anat. p. m.* 98.

IV. Quum enim singulis pulsibus eo ipso, quo arteriae intumescunt per poros tunicarum quaedam sanguinis particulae, & ad nutritionem aptae in tubulos partium egrediantur, neque tamen omnes nutritioni uno momento impendi possint, quod reliquum est torrentis instar tubulos trajicit, & a vasis lymphaticis susceptum tandem diversis ostiis in sanguinis Oceanum, quum paulo ante chylo, & sanguini fuerit mistum, denuo effunditur. Ex quibus evidentissime patet, lympham constare ex succo nutricio, & spiritibus animalibus, qui delassati quasi, & in rorem mutati idem iter cum succo nutricio emetiuntur, & in corde cum vivacioribus sanguinis corpusculis refecti iterum juxta motus leges cerebro advehuntur; neque enim possibile est propter obstantes valvulas, quas in vasis lymphaticis e Neotericis elegantissime demonstravit FRID. RUYSCH, *celeb. Hagae-Comitis Anatomicus*, ut alium lymphae motum in statu naturali oeconomiae animalis admittere possimus. Quae latius tum in collegio publico tum in privato ad praxin TIMAEI a GULDENKLEE deduxit semper mihi Parentis instar colendus *Dn. Doct.* WALDSCHMID, hospes & hactenus Praeceptor meus fidelissimus.

V. Ne vero nomen lymphae tibi imponat, advertendum est, liquorem hunc proprie lympham dici, & quam maxime differre a nonnullis aliis succis fermentativis, qui ope glandularum conglomeratarum in corpore humano elaborantur, nec nisi improprie nomine lymphae venire debent. Sic primum illud vitale menstruum saliva in glandulis salivalibus, famosum illud ventriculi fermentum microcosmi *Alchaest* & *Archeus* in papillis miliaribus ventriculi, succus vero pancreaticus a *clarissimo* SYLVIO novis donatus elogiis in pancreate generatur, de quibus plura huc non spectantia apud *celeberrimum* BARTOLINUM videri possunt.

VI Progredior his praelibatis ad caussam proximam, quam lympham extravasatam, vel restagnantem esse contendo. Peccat enim lympha quatenus fit valde acris, vel quatenus viscida, & glutinosa redditur. Utroque modo facile tenellula vasa lymphatica dilacerare potest, ut qua data porta in cavitatem abdominis exstillet, vel in musculos ejus effundatur: vide thes. 8. Si enim viscidior reddatur, in motu suo perquam facile impeditur, & a tergo insequenti obicem ponit, hinc aucta vasa ultra sphaeram suam extendi nescia, confringit, & extravasatur. Acrior vero reddita, rodendo continuum solvendo fores sibi vi quasi aperit, claustra sua perrumpit, & abdomen intumescere facit ejusmodi vasorum dilacerationem facile fieri posse patet ex thes. 3. cum vasa illa adeo exilia sint, ut tot annorum spatio Anatomicorum oculos effugerint.

VII. Neque nescius sum *cl.* SYLVIUM de vasis lacteis statuere, quod ego vasis lymphaticis tribuo; nihilominus facile amborum sententias conciliari posse persuasum habeo. Siquidem non eo inficias, chylum caussam sociam quandoque existere, & in abdominis cavitate una cum lympha, si non semper, saltem saepius, colligi. A solo tamen chylo effuso in cavitatem abdominis hydropem semper fieri merito dubito, quum nec ipse *cl.* SYLVIUS hoc adeo acriter defendisse videatur, nec humor distensionis abdominis caussa in cavitate ejus semper reperiatur, sed in tubulis musculorum, quandoque etiam innumeris in vesiculis teste experientia colligatur. Vide thes. 8. Fieri equidem potest, ut chylus viscidior restagnans in vasis lacteis mesenterii lymphae obicem ponat, quo minus alacriter inter suum emetiri possit, quae impedita qua data porta eructatur. Quod si ob vasorum lymphaticorum distensionem, vel etiam lymphae alio fluentis defectum vasa lactea comprimantur, vel chylus incrassetur, pigrius incedendo fatiscit & ad plenitudinem collectus molestae sarcinae instar in abdominis cavitatem ejicitur, lympham ibidem jam dudum existentem non parum augens.

IIX. Colligitur itaque lympha frequentissime in abdominis cavitate, eamque penitus occupat. Nonnunquam in omento, peritonaeo, mesenterio vel etiam tunicam hepatis inter, & parenchyma reperitur, & quasi propriis in vesiculis reservatur: quarum aliquas ovi columbini, alias etiam ovi gallinacei, alias multo minoris magnitudinis in suspensi furis cava hepatis parte, demonstravit *Guilhelmus Stratenus*. Calculum suum addit *cl. Diemerbroeck, inquiens*: ruptis hisce vasis (lymphaticis) interdum etiam contingit lymphaticum liquorem non effundi in abdominis cavitatem, sed inter vicinas membranas effluere, atque tunc inde vesiculae producuntur hydatides appellatae, quibus hepar interdum intus, sed frequentius foris nonnunquam etiam mesenterium aliaeque in abdomine partes scatere deprehenduntur. Quandoque tamen historiis medicis id confirmantibus in musculorum abdominis spatia effunditur, eosque ita distendit, ut abdomen ingentem in tumorem excrescat, quae hydropis species, utut cognitu sit difficilior, curatu tamen facilior & minori cum periculo conjuncta videtur. Talem hydropis sedem, *Hippocratem* observasse ex textu videtur elici posse, dum poros carnium, & musculorum spatia in sanis sanguine, & spiritu repleri, in aegris sero & flatu statuit. Vidit hydropem musculorum abdominis in celebri quondam academiae hujus Theologo, multaque

itaque notatu dignissima de eo retulit vir experientissimus *Dn.D.Majus* , Professor medicinae celeberrimus, & Praeceptor meus aetatem devenerandus. Plerumque autem fluctuat lympha in cavitate intra abdomen, quum enim plura vasa lymphatica ex hepate prodeant, & per mesenterium ramificentur, inque commune chyli receptaculum vel etiam ductum thoracicum quotidie lympham deponant, non mirum est, si vasa haec innumera sauciata lympham adeo largiter in abdominis cavitatem effundant.

IX. In caussarum remotarum ordine stant omnia illa, quae lympham incrassare, vel acriorem reddere possunt, praeprimis accusamus sex res non naturales, & praeternaturales. Aër si non solus saltem cum aliis concurrentibus caussis lympham coagulat, vel etiam acriorem reddit, quatenus vel frigiditate sua tubulorum infert obstructionem, vel calidior partes tenuiores dissipando crassiores magis magisque inviscat. Sequuntur cibi crudiores, viscidiores, qui coctionem primam turbantes, post ubivis nocere solent. Prae omnibus male audit potus copiosior calidior, vel etiam frigidior: spiritus ardentes, & praesertim spiritus vini, si liberalius & frequentius sumantur plerumque hydropem accelerant, rationem dat *Deckerus in notis ad Barbette*, neque insolens est, visceribus aestuantibus si copiosius frigidus potus ingurgitetur, hydropem supervenire, quod messoribus aliquando accidere solet, de quo *Carolus Piso*, & *Sennertus*. Quum enim tunc pori valde sint dilatati, & transpiratio succorum aestuantium ex improviso denegetur sanguini, facile fieri potest, ut & chylus, & lympha in mesenterio subito restagnent, & acriores facti avolantibus particulis acres temperantibus exitum vi quasi parent in abdominis cavitatem. Faciunt huc motus violenti, percussiones ventris, casus ab alto, a quibus caussis facile rumpi possunt vasa lymphatica, vel lympha in motu praepediri. Dissecuimus, *inquit Dn. Isbrandus de Diemerbroeck.* in sua anatome *p.m.*111. in nostro nosocomio juvenculam 24. annorum, quae per sexdecim annos ascite detenta, indeque tandem mortua fuerat, in qua nullius visceris manifestam laesionem invenire potuimus: sola aliqua vesicula lymphatica disrupta, mali diuturni caussa fuisse videbatur. Crudeliter enim a parentibus in pueritia fuerat tractata, & ictibus pedum manuumque saepissime excepta, a quibus procul dubio aliqua vasa lymphatica dudum disrupta fuerant. Sanguinis per menses, & haemorrhoides purgationes si supprimantur, plerumque accersunt hydropem, quum serum fere ubique coacervetur, & ad plenitudinem collectum vasa lymphatica dilaceret: sin vero in excessu peccetur, & sanguis nimium evacuetur, brevi quoque temporis spatio subsequi solet hydrops, propter exhaustas partes fermentativas, & spirituum inopiam; hinc humores vel plane subsistunt, vel tardius saltem moventur, & spatii angusti pertaesi tandem mole sua axigua vascula perrumpunt. Alii graviores morbi praegressi saepius etiam a tergo sequentem inducunt hydropem, ut asthma, febris quartana, febres ardentes, quo renum imbecillitas, eorundemque fermenti urinosi defectus, vel corruptio referri quoque debent; non quasi cum *Helmontio* velim solis in renibus hydropis quaerere caussam; hoc enim & rationi & experientiae repugnat, sed ut notetur, posse lympham ob renum vitium in toto corporis habitu ita quoque corrumpi, ut etiam hac ex caussa nonnunquam calculosi, & arthritici fiant hydropici.

X. Pater hinc quam frigide a *Galenicis* frigida hepatis intemperies accusetur, quum talis nunquam dari possit. Et si haec esset in caussa, juvarent in curatione calida, sed tantum abest ut illa prosint, ut potius valde noceant. Dent quantum velint calida, *dicit doctissimus Hoffmannus in methodo sua medendi pag.m.*340. nihil sane efficient, praeter quod sitim augeant, vires frangant, & morbo alimentum praebeant. Eadem facilitate reliqui quoque errores excutiuntur, quos apud cl. Sennertum, & Riverium videre licet, quasi hepar cibos crudiores non attrahendo,

do, vel lien eos non digerendo hydropis existerent caussae, quum omnia falsa nitantur hypothesi, & effectus cum suis caussis confundantur. In hoc sane negocio multum praestitit cordatus *Sylvius*, ostendens, viscera in plurimis hydropicis absque ulla reperiri labe, quod thes. 9. *Diemerbroeck.* confirmat. Et si forte putredinis aut corruptionis appareat vestigium, non pro caussa, sed pro effectu lymphae acrioris, cui viscera tamdiu innatant, id habendum esse censeo. Neque, Deo sit laus; hoc saeculo amplius anxii sumus de viis, per quas serum ex hepate salva manente substantia in abdominis cavitatem effundatur, de quo alias valde sollicitus est *cl. Riverius*, quum vasa ante descripta nobis legitimam hydropis sedem, & caussam digito quasi indigitent, ut ipse *Diemerbroeckius*, alias novitati non adeo favens, loco antea allegato fateri cogatur, quod vascula haec vel erosa vel compressa, & angustata, ut lymphaticum liquorem solito modo non deferant, & exonerent, hydropem inducere soleant.

XI. Devenio nunc ad signa; diagnosin quod attinet, in principio hic morbus non semper adeo facile cognoscitur, quoniam graviditas, pinguedo, flatus & alia Medicum nonnunquam reddunt dubium. Solent tamen instantem hydropem indicare signa diagnostica a respiratione, & pedum tumore desumta, si enim haec mala diutius aliquem affligant, plerumque solet subsequi hydrops. Uxor Pharmacopoei Hanoviensis valde obesa & plethorico corporis habitu praedita plures per menses a laevissimo etiam motu respirandi sentiebat difficultatem: tandem acutissimo hypochondrii dextri dolore corripiebatur citra febrem tamen, & tussim, urina erat lixiviosa cum copiosissimo tartaro, parietes matulae obducente. Res in principio videbatur posita in angusto, hepatis dolorem, flatibus forte malum augentibus, ipse locus affectus indicabat: verum si hoc, quare nulla inflammatio, febris, & alia brevi sequebantur? Ne tamen quid intermitteretur, quod saluti conferre potuisset, secta fuit vena, potione mannata corpus expurgabatur, exhibebantur carminativa, aperitiva, & pro more hepatica, nec externe Maritus sumtibus pepercit, omnes evolvens pyxides, ut miserae succurreret conjugi: verum incassum! dolor enim quamvis parum remitteret, tamen nunquam penitus cessavit. Praedixit statim hydropem adstans Medicus, & dolorem ex continui solutione a lympha acriori vasa lymphatica prope hepar dilacerante oriri Marito explicavit, nec fefellit eum augurium; elapsis enim aliquot diebus urinae quantitas consueta imminuebatur, tandem intumescebat abdomen, & hydropis satellites magis magisque prodibant, quibus omnibus elapsis quatuor mensibus finem fecit mors, quicquid etiam collegium medicum ibidem in contrarium moliretur. Ut merito continui hypochondriorum dolores periculi quid alant, neque locum habere possint querelae usitatissimae, Sicuti etiam ipsi Medici cum vulgo interdum loquuntur: quia insons est & hepar, & lien, doloris autem vera caussa potius in peritonaeo vicinisque vasis lymphaticis quaerenda. In hydrope confirmato tanto artificio opus non est, ut malum cognoscatur; tunc enim praeter abdomen pedes tument, plus tamen interdiu quam noctu; hinc horis matutinis cessasse videtur tumor, brevi rediturus. Accedit tussis, sitis urget, appetitus prosternitur, labia livescunt: facies & superior corporis pars macrescit: tempora collabuntur: Urina ut ut pauca tamen valde saturata est rubro colore. Respirandi difficultas de die in diem augetur, ut tandem vix in sedili respirare possint. Quum vero ex horum phaenomenon explicatione affectus noster magnam foeneretur lucem, operae pretium est, ut eorum veras, & genuinas caussas brevibus in scenam introducam.

XII. Sanguis chylo quotidie restaurandus, & lympha diluendus, & reficiendus, si suo pabulo defraudetur, quod equidem fit ob contumaces vasorum lymphaticorum, & lacteorum in mesenterio, vel aliis etiam in partibus obstructionem, in mistione sua magis magisque laeditur, hoc est, intemperies viscida sanguinis augetur

getur, ut tantam spirituum animalium copiam in cerebro suppeditare nequeat, quantam humorum circulantium in circulum motus exigere videtur, praesertim in partibus longe dissitis, quandoquidem in itinere maximam partem pauci illi spiritus avolant; hinc est, quod pedes tumeant interdiu, quia succus nutricius per vasa lymphatica perpendiculariter contra gravidorum naturam ascendens majori impulsu opus habet, quam quum descenderet, adeoque novum vigorem a spiritibus animalibus accipere deberet, qui quum pauci sint, munere suo fungi nesciunt, unde humores restagnant, & calor valde imminuitur, donec motus eorum a calore straguli adjuvetur; tunc enim alacrius moventur viaque magis expedita iterum circulatur, ut mane omnis fere videatur disparuisse tumor.

XIII. Et quum in abdomine a lympha jam occupato diaphragma libere moveri nequeat, & ab aquarum mole prematur, respiratio erit valde laboriosa, ut hydropici non nisi erecto corpore respirare, nec citra anxietatem, & suffocationis metum supini jacere possint.

XIV. Interim appetitus languet: quemadmodum enim abdomen in parte concava ita obstruitur a lympha ibidem restagnante, ut fere omnis denegetur transpiratio, sic ipsa quoque viscera in eo recondita, & inter haec ventriculus lentore foris obducuntur, ut calor partium subjacentium ex una in aliam migrare nequeat: quum autem coctionem juvare debeat hepatis, & vicinarum partium calor sive corpuscula ex illis quotidie avolantia, & per poros ventriculi foris intus spectantes ingredientia, necesse est, ut his exclusis coctio depravetur, fermentum enervetur, & appetitus prosternatur.

XV. Porro tussis adest, quae nunc sicca est, nunc humida: partes enim lixiviosae, & acres organa respirationis titillantes, & pungentes tussim siccam inducunt: quod si aquosi humoris portio transudet in pulmones, vel ipsis in pulmonibus pituita colligatur, tussis erit humida.

XVI. Ab iisdem salibus lixivialibus insatiabile fovetur bibendi desiderium; quo enim plus bibuntur, plus sitiuntur aquae, quia ob defectum lymphae in faucibus salia illa dilui nesciunt; hinc fibrae non sine molestia continuo vellicatae similem motum non minus molestum, quam insuetum glandulae pineali, cui mens arctius juncta est, imprimunt, ut mens fere semper de siti fallenda cogitet.

XVII. Et quum hydropici saepius alvi tarditate laborent, sciendum est, quod in statu naturali plurimum seri ex glandulis miliaribus intestinorum (vel per poros foris intus spectantes ex abdominis cavitate) vel etiam ex arteriarum meseraicarum extremitatibus in ipsa transudet intestina, & lubricitando alvum reddat fluidiorem. Verum quum serum nunc alio divertatur, pori etiam sint obstructi, & pars chyli celeri pede transeat, & in abdomen effundatur, alvus redditur siccior. Quo facit quod bilis crassior, & iners reddita munere suo non fungatur, vel ob compressum ductum choledochum ad ipsa intestina pervenire nequeat.

XIIX. Urina nunc crassa est nunc tenuis, semper tamen pauca, & ut plurimum valde tincta. Si enim in crebrioribus illis circulationibus paucum illud, quod sanguini adhuc inest, serum salia lixivialia, & alkalica liberalius suscipiat, & avidius imbibat, urina valde tingitur, quod in lixivii praeparatione norunt mulierculae. Et a salium copia penetrantissima graveolentia in hydropicorum urinis saepius observatur, ut tali urinoso odore totum contaminetur musaeum. Deinde si salia illa e sinu sanguinis non praecipitentur in renibus, vel alio deferantur, urina erit tenuis, semper tamen pauca, quia urinae materia in cavitatem abdominis largissime effunditur.

XIX. Quod si humores circulantes reddantur acres, non tam nutriunt, quam corrodunt fibras carnosas; hinc est, quod partes superiores extenuentur, & cadaverosam induant faciem, musculi subsident, collabuntur tempora, & restagnantibus

in

in labiorum tubulis partibus sanguinis cruori magis similes quam sanguini, labia livescunt, nonnunquam plane nigrescunt. Verbo, caro vix ossibus haeret, & ubique mors sua pandit insignia.

XX. Quandoquidem autem hydrops in muliebri sexu graviditatem nonnunquam mentitur, distinctiva tradam signa, quibus ab hac discerni possit. Observabis autem (1) abdominis tumorem, qui in hydrope aequalis magis est, quam in gravidis, in quibus acuminatus est, & ad praecordia sursum tendit. (2) symptomata, haec enim si elapso uno vel altero mense remittant, impraegnationem concludere fas est, quia hydrops quo ulterius progreditur, eo majores procreat molestias. (3) mammas, quae in hydrope extenuantur, & flaccescunt, in gravidis intumescunt: (4) faciei colorem, & oculorum splendorem: color hydropicorum morbosus nonnunquam cadaverosus est, oculi vero tenebricosi & lividi dum e contra foetum gestantes vividam praeseferunt faciem, & oculi splendorem, & lumen spargunt. (5) hydropici inter vertendum fluctuationem percipiunt: & denique (6) sitis eos plus vexat quam gravidas, non jam de urina aliisque dicam signis, quae apud *cl. Riverium cap. de uteri hydrope* colligi possunt.

XXI. Missis his ad prognosin me accingo. Patet autem ex antedictis quam magnus morbus sit hydrops, ut eum curatu difficillimum, & ut plurimum praesertim inveteratum incurabilem esse merito statuamus. Longo quidem affligit tempore, sed certa pernicie tarditatem compensat, eundo crescit, & crescendo fit deterior: quod si tamen labia appareant vivacia, respiratio non sit admodum difficilis, urina largiter adhuc fluat, ortusque fuerit a potu copiosiori, affatim aestuante sanguine, totoque corpore fervente sumto fractus tum aegrotantis, tum Medici animus spe salutis erigi debet; sin vero febri ardenti superveniat juxta *Hippocratem* lethalis erit, & post quartanam male curatam; item si contumaces sequantur mensium obstructiones, maxime periculosus & plerumque aegro funestus quoque censetur. Tandem a quacunque fiat caussa, nisi aegrotantes fuerint εὐσπλαγχνοι in curatione laterem lavabis, & vanam ludes operam. Prodromi instantis mortis sunt fluxus alvi colliquativus, halitus cadaverosus, tussis valde vehemens, in somno aquarum maximo cum murmure ad praecordia ascensus, & maculae lividae in pedibus erumpentes, quas brevi insequitur gangraena. Auctoritate stare si velis, reperies plures apud *Hippocratem* praedictiones, quas in ordinem redegit *cl. Riverius in sua praxi p.m. 392.* quem consule. Notatu dignissimum, quod hydropici plerumque circa novilunium pejus se habeant, eoque tempore moriantur, teste *Rolfincio*, aliisque, forte propter aliam materiam subtilem tunc in haec inferiora sparsam.

XXII. In curatione ante omnia certa medendi methodus firmo stet talo. Puto autem tutissime tres posse poni indicationes, quibus scopis obtentis omnis videtur superata difficultas. Nempe (1) ut lympha crassa incidatur, attenuetur, ejusque acrimonia quantum fieri potest mitigetur, quae aperientibus, & praeparantibus vulgo dictis perfici possunt: (2) praeparata convenienter per vias eliminetur: & tandem (3) viscerum fermenta corroborentur, & totius sanguinis crasis restituatur.

XXIII. Desumuntur remedia indicationibus his satisfacientia e triplici fonte, chirurgico, pharmaceutico, & diaetetico; de singulis ordine. Venaesectio quamvis generosum alias audiat remedium, hoc tamen in affectu plus damni inferre solet, quam commodi, nisi quod forte praeservationis gratia in mensium, vel haemorrhoidum suppressione eam commendare possem. Alias consentientibus omnibus practicis repetitis intempestive venaesectionibus malum hoc plerumque acceleratur. Scarificationem quod attinet, eam pari puto cum venaesectione ambulare passu; nihil enim vel parum proderit, hac tamen gaudens immunitate, quod in

prin-

principio hujus morbi tutius administrari possit. Factum est, fateor, quod magna seri copia per exigua scarificatione in pedibus inflicta vulnera, fuerit evacuata: verum enim vero novi etiam contraria exempla, in quibus instituta scarificatio non tantum expectationi non satisfecit, sed ipsa vulnera brevi post gangraena correpta fida instantis mortis fuere praenuncia. Hydropicus molestum quendam in cruribus sentiebat pruritum, sauciata unguibus cutis lympham valde acrem reddebat. Medicus in consilium vocatus naturae nutum, & motum sequendum ratus, cucurbitulas cum scarificatione apponere jubet, eventu adeo felici, ut integra hebdomada serum haec per vulnuscula maximam partem fuerit evacuatum, respiratio etiam fiebat liberior, & abdomen fere penitus detumescebat. Rediens aliquando Medicus circa vesperam audivit conqueri aegrotum de molestia quadam, quam ex lymphae scaturigine, & quod continuo deplueret, totosque humectaret pedes, perciperet, nescio qua inconsiderantia turbatus, jubet noctu pedes fasciis arctissime deligare, factum est, mane ablatis fasciis, reliquus pedum tumor evanuerat, color in lividum circa vulnerum labia degeneraverat, venter subito iterum intumuerat, respiratio fiebat vicissim laboriosa, eoque momento omnia ita ingravescebant, ut paucis elapsis diebus aeger diem suum obierit. Sic pluribus intentus etiam in Medicis non raro minor est ad singula sensus.

XXIV. E fonte pharmaceutico prodeunt praeparantia, evacuantia, & confortantia. Circa praeparantium usum observari velim, eorum vim, & efficaciam in primis statim infringi viis, nisi ita illae disponantur, ut integris pene virtutibus in massam sanguineam diffundi possint. Conducunt itaque lenitiva primasque vias eliminantia, clysteres lubricantes, & putrilaginem in intestinis delitescentem sine magna turbatione eliminantes. Post praeparantibus, & aperientibus diu insistendum, ita tamen ut repetitis vicibus interponantur purgantia.

XXV Omnibus palmam videntur reddere dubiam ea, quae ex tartaro, & Marte parantur: verbi gratia spiritus tartari sassafratus, spir. vitrioli tartarisatus *D. D. Fausii, Archiatri Palatini, & Professoris in Academia Heidelbergensi quondam celeberrimi*. Aqua regia Martis cum vino malvatico, vel succo pomorum parata. Decoctum chalybeatum, sirupus chalybeatus. Flores salis ammoniaci chalybeati, tartarus chalybeatus. Sal tartari volatile, quem tamen pauci volatilisare sciunt, & merito pro arcano habetur; desudat in hoc arcano rimando insignis Cassellanorum Chymicus, & Pharmacopoeus DN. JACOBUS von Dohrn apud quem sal illud videre mihi licuit. Similium medicamentorum farraginem reperies in dispensatoriis, praeprimis in *Hodego Medico*, e quibus ea quae palato magis arrident, eligi possunt.

XXVI. His ut jam dictum aliquandiu continuatis interponi possunt purgantia, semper a mitioribus, & tutioribus incipiendo, neglectis fortioribus vi septica, ut loquitur *celeberrimus Willisius*, praeditis: praestat enim paulatim, & tuto cum *Tralliano* evacuare, quam festinanter una cum aegro morbum tollere. Assurgit hic Empyricorum turba, contrarium asserens, quum quandoque vehementiori aliquo cathartico plures aquarum librae fuerint eliminatae: verum quo successu? venter qui paulatim detumescere visus est, brevi iterum in tumorem multo majorem excrevit, omniaque symptomata apparuerunt pejora: unde eleganter de his temerariis scribit triginta annorum Practicus TIMAEUS, quod sol quandoque prosperos eorum successus adspiciat, adversos autem terra tegat, & perpetuum injungat silentium. Salutare itaque exosculamur *excellentissimi Sennertii* consilium, suadens ut aperientibus potius, vitatis vehementioribus purgantibus, utamur, quibus plus effici possit. Astipulatur ipsa ratio, quia vehementius commoti humores citius per dilacerata vasa lymphatica effunduntur, molemque aquarum augebunt, quam ut per alvum eliminentur. Neque haec ita intelligi debent, quasi

omnem catharticorum usum tollere velim, siquidem si observet Medicus aegrum bene ferre purgantia, talia etiam excerni, qualia excerni debebant, ventrem detumescere, nec situm augeri, utique purgantibus diutius inhaerendum, unumque vel alterum granum stimuli loco de fortioribus iis addendum esse censeo. Sin vero, quod religiose observandum, videat, quod exspectationi non satis faciant, mature ab iis abstinendum est, ne morbum purgantibus reddat deteriorem, imo plane incurabilem, ut vel inde prognosin hauriat saepius laudatus *Willisius*. Si quando, *dicit*, a cathartico exhibito aquae copiose cum εὐφορίᾳ per sedem vacuantur, indeque abdominis intumescentia quidpiam minuitur, de curatione non desperandum erit; sin vero purgantia parum aut nihil seri, vel lymphae educant, indeque ob fibras nerveas irritatas, inque extensiones, sive inflationes viscerum, & membranarum (uti crebro assolet) adactus venter plus intumescet, & velut lymphaticus evadet, morbi eventum non nisi funestum expectare licebit. Et paulo post expresse dicit: *non succedere purgantia, si quando lympha intra abdominis cavitatem fluctuet, & si fortiora sint, malum potius exasperari, & augeri*. Neque dissentit *Riverius* alias in praescribendis catharticis valde liberalis, & audax. Verba ejus ita se habent: *in omni purgantium administratione observandum est, purgantia saltem validiora non esse frequentius usurpanda, quia corpus debilitant, ut postea major aquarum proventus sequatur*. Ideo roborantia, & aperientia frequentius, quam purgantia erunt praescribenda. Sunt autem purgantia usitatiora, & hydragoga celebriora, fol. sennae, jalapa, rhabarbarum, mechoacanna, succ. ireos nostr. gum. guttae: extract. esulae, quod in frequentissimo fuit usu D. D. Michaeli, aqua Reg. guttae willisii aqua Reg. esulae ejusdem: pilulae hydragogae Bontii apud Schroderum descriptae. Pilulae lunares Illustris Boyle, quas in philosophia experimentali tradit. Elect. hydragogum Sylvii pro nosocomio, Willisii ex resina jalapae, & extract. esulae, de spina cervina Zvvoelfferi, ex quibus variae formulae concinnari possunt, pulveres, tincturae, potiones, pilulae, decocta varia, vina medicata aliaque, quod arbitrio, & prudentiae Medici relinquitur. Quandoque purgantia miscentur praeparantibus, & aperientibus, ut una fidelia duo dealbentur parietes. Hinc tot sirupi magistrales, tot clareta, decocta, & alia apud Practicos superbiunt. Novi *a Domino Waldschmidio* magni cujusdam theologi conjugi, hydrope scorbutico plures per annos graviter afflictae, vinum medicatum admirando cum successu fuisse praescriptum, cujus descriptionem apponere nunc brevitati studens supersedeo.

XXVII. Qui hoc in affectu emetica exhibent, videntur contra omnem agere rationem, ipsique naturae vim inferre, nunquam per hanc viam serum evacuanti. Admirationem profecto meretur, quod fortiora etiam purgantia rarissime vomitum excitare soleant, sed ut plurimum per secessum aquas hydropicorum educant. Ipse Mercurius vitae potentissimum alias emeticum contrarium edit effectum, annotante id *celeberrimo Sennerto*. Caussam quaerunt aliqui in salibus lixivialibus vim emeticam praecipitantibus. Alii tonum ventriculi flaccidum irritationi spasmodicae non auscultantem accusant. Quum autem nihil adeo purgantium efficaciam remoretur, quam acidum viscidum, hoc forte obsidens lanuginem villosam ventriculi impedit, quo minus tinctura emetica sese insinuare possit.

XXIIV. Priusquam deveniam ad alia notari adhuc debet, quod omnibus hydragogis Mercurius dulcis summo cum successu addatur: egregie enim inveteratas reserat obstructiones, & lympham glutinosam attenuat, tubulosque profundiores felicissime deobstruit, ut in inveteratis, & alias curatu difficillimis capitis doloribus eum propter hanc vim aperitivam valde commendet felicissimus, & doctissimus *Dn. D. Ettmullerus Practicus Lipsiensis famigeratissimus* in litteris *ad Dn. Waldschmidium* nuperrime datis.

XXIX. Clysteres quoque huc referri debent, quia irritando fibras intestinales elutriant humores in glandulis residentes. Deinde poros intestinorum reddunt patulos, ut fluctuans in abdomine serum in ipsorum cavitatem penetrare possit, in hunc finem ex urina parantur, quia partes salinae rigiditate sua obstacula facilius removent, nec ad occursum aliorum corporum tam facile flectuntur, insuper ob figurae similitudinem tubulos, & exiguos maeandros inoffenso pede perreptant. Sequens enema non erit inefficax.

℞. *Urinae hominis sani vinum bibentis* lib. i. *liquor. diuret. ex nucleis* unc. sem. *terebinth. f. a. solut.* drach. iii. *lap. prunell.* scrup. ii. mis. f. enema.

Singulis vel alternis diebus adhibendum. Conveniunt etiam clysteres antimoniales, quorum descriptiones ex *Riverio* mutuari possunt.

XXX. Unica fere reconvalescentiae spes tandem in diureticorum legitimo sita est usu: quapropter cum judicio, & non indifferenter erunt exhibenda, quamvis nemo forte sit, qui non diureticum aliquod verum hydropicorum antidotum jactet. Consistit autem vis diuretica, vel in sale volatili, vel in fixo, vel in aquositate salia diluente, vel in acido aliquo praecipitante. Compages sanguinis si nimis stricta est, & ex urina rubicunda, & pauca constet praedominium salium lixivialium in sanguine, juxta *cl. Willisii* monitum abstinendum est a salibus fixis, lixiviis & ipsis quoque spiritibus, acidis mineralibus, & illa potius exhibenda, quae sale volatili praedita sunt, ut succus plantaginis, chaerefolii, beccabungae, nasturtii aquatici, raphani, lumbricor. terrestr. Quod si urina non sit adeo tincta, & laxior sit sanguinis compages, sal stipitum fabarum, genistae, nec non lixivia e cineribus diureticis Mynsichti, vel eo modo parata, quem ex *celeberrimo Horstio* tradit *Haeferus in suo Hercule Medico*, apprime conveniunt. Praeter haec elegantes tincturae, & aquae ex rob. sambuci, juniperi, ebuli, ex sale tartari, succini, e baccis sambuci, & ipsis cantharidibus parantur, plura videantur apud Practicos.

XXXI. Tandem de sudoriferis pauca dicenda restant, quae ob atrophiae metum suspecta sunt, ut vix tuto usurpari possint: tantum enim abest, ut serum evacuent, quin potius exagitando massam sanguineam calorem, & sitim augeant, corpusque magis extenuent: hinc balnea caute consulenda sunt, nam praeter febricationem, cephalalgiam, vertiginem, spirituum deliquia aliaque cerebri, & cordis mala symptomata ita saepissime excitata, etiam venter (*verba sunt cl. Willisii*) exinde plus intumescit. Balnei vaporosi usum a Pastore Chymico Comitissae adhibitum male cessisse novimus. Nihilominus certis positis conditionibus nonnunquam thermae salutares esse queunt: hinc *Rolfincius* thermas Carolinas commendat, his in locis celebres sunt Wisbadenses, & Embdenses; modo viscera ita adhuc sint disposita, ut eorum usum ferre possint, sic Wisbadensibus thermis curatus fuit desperatus hydropicus omnium cum stupore, & admiratione ab experientissimo, & nunquam sine honoris praefatione nominando *Dn. Doct. Geilfusio Archiatro Cassellano aliorumque Imperii statuum Medico gravissimo.*

XXXII. Eadem intentione externa etiam praescribenda, ut nempe obstructiones tubulorum reserentur, pori aperiantur, & lympha glutinosa attenuetur: ubi caput inter alia extollunt spirituosa, aqua juniperi, vitae vulgo dicta, & aliae, vide *observ. Plateri*: nec possum quin hic cataplasma commendem olim celebri Archiatro Regis Poloniae *Cnoeffelio* in usu, quod nuper e corpore hydropico ingentem aquarum copiam per vias urinarias eduxit. Ab aliis emplastrum hydropicum Augustanorum, de minio, diasaponis aliaque commendari solent.

XXXIII. Quaeri hic solet quid faciendum sit Medico, si vigiliae urgeant? Firma stat sententia Medicorum saniorum, narcotica cane pejus fugienda esse; hinc cave ne accidat tibi, quod Medico alias felicissimo Erffurti contigit: is enim hydropico unum vel alterum granum opii exhibuit, a quo aeger in somnum incidens

nunquam post evigilavit, neque ulla arte excitari potuit, quod recenset *Dn. Doctor Mollenbroc* in doctissimo suo de scorbuto libro. Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Itaque ut huic nodo inveniamus cuneum, observare te velim, tali in difficultate theriacam recentem, vel quae erit instar omnium, theriacam coelestem, antè annum ab honoratissimo meo affine *Domino von Dohrn* Cassellis praeparatam, tuto (loquente tot felicissimorum Medicorum experientia) dari posse. Et ipsa quidem theriaca recens male audit *cl. Hoffmanno*, quam tamen exigua in dosi urgente necessitate adhuc concedi posse persuasum habeo. Neque profecto metus ille vanus est, quem ab opiatis Medici conceperunt: quum enim ex sanguine crasso, & vappido pauci spiritus animales in hydrope generentur, facile fieri potest, ut illi penitus ab opiatis exstinguantur, & lethalis veternus accersatur.

XXXIV. Sequitur nunc diaeta, quae si in ullo alio morbo in hoc certe accuratissime servanda. Quo magis a potu abstinetur, eo melius interim, si potus non penitus denegari possit, condiendus erit enula, salvia, roremarino, absinthio agrimonia. Cibi non sint viscidi nec humidi: panis semine anisi, foeniculi, vel carvi condiatur: carnes assatae potius quam elixae assumantur: condimenti loco sint asparagus, summitates lupuli, cochlearia, nasturtium hortense, aquaticum, sinapi, genistae, cappares, pistacea, pineae de quibus vide *Sennertum*.

XXXV. Verum enim vero, non est in Medico semper relevetur ut aeger, & solet nonnunquam hic affectus radices adeo altas agere, ut merito opprobrium Medicorum audiat. Hinc urgente necessitate tale excogitavit remedium humana curiositas, ut serum manu chirurgica per paracenthesin ex abdomine educatur: remedium jam dudum veteribus notum, anceps tamen, ut loquitur *nobilissimus Tulpius*, & periculi undiquaque plenum, raro utile, & saepius noxium. Operandi modus describitur *a Tulpio* pag. m. 345. observ. 43. ubi instrumenta etiam depinguntur. Tradit quoque modum secandi, & locum cum instrumentis *Scultetus* in suo *armamentario*. Verum eventus saepius fuit funestus, quod foramen vix ita arcte muniri potuit, ut lympha non continuo penetraret, & aeger una cum lympha animam efflaret. Quod si arctior compressio sit instituta, secuta est gangraena in loco vulnerato, pari, si non majori, periculo conjuncta. His incommodis ut obviam iretur, *Jacobus Blockius* ex Italia novum attulit instrumentum cum modo secandi, quem accurate describit *Barbette* in sua chirurgia. Instituitur itaque paracenthesis vel in umbilico, si valde promineat & serum vi quasi exitum per hunc quaerat, vel tribus transversis digitis infra umbilicum. Ubi observandum (1) eam mature esse instituendam, priusquam viscera lymphae innatantia putredinalem contraxerint characterem, alias evacuata lympha febris ardens supervenit, & vitae filum abrumpit, ut videre est apud *Tulpium* observ. 38. Et hoc forte in caussa est, quod rarius expectationi chirurgica haec operatio respondeat: solent enim aegrotantes ad ultimum halitum usque hoc differre remedii genus, quod in principio morbi adhibendum esset: (2) magna cum spe salutaris eventus institui, quando aeger est εὔσπλαγχνος, hoc est si bene spiret, non febricitet, non tussiat, nulla scyrrhosa viscerum durities observetur: (3) lympham saltem ad aliquot libras una vice depromendam esse: (4) viribus, quantum possibile, eo tempore cardiacis medicamentis esse succurrendum: (5) interim vita ancipiti committitur aleae, in qua tam fortuitum est vincere, quam necesse perdere. Plura qui desiderat Auctores citatos, e quibus etiam haecce quae de immanissimo hoc affectu diximus, pro pagellarum angustia delibasse ingenue fateor, evolvat.

Quod potui, feci, Superis sint caetera curae.

DEUS omnipotens aegrotantibus largiter assistat, & Medicorum dirigat cogitationes, ut prodesse semper studeant, cui sit laus, & gloria in sempiternum, amen.

DISPUTATIO XXVI.

DE CALCULO RENUM,

RESPONDENTE

JOHANNE VVERNERO GILLENIO
Allendorphensi ad Salinas Hasso.

THESIS.

I. UT eo felicius me expediam in generationis calculi in renibus, & insequentium omnium φαινομένων explicatione, non abs re erit, pauca in antecessum, ex anatomia depromta, de renum admiranda structura & usu dicere. Neminem autem, quod credo, nisi anatomicae artis plane ignarum, fugit, duos esse renes utrinque ad spinam dorsi sub hepate & liene, ita ut ultra ultimam costam vix pollicis latitudinem descendant, sitos, ubi lumborum musculis psoas dictis, ea in parte ubi nervus musculum intrat, incumbunt, ventriculo autem & intestinis pulvinaris instar succumbunt.

II. De renum magnitudine, superficie, & figura, utpote quae neque ad generationis calculi, neque symptomatum explicationem aliquid luminis afferre possunt, nihil hic dicam: paucis vero connexionem cum aliis partibus delineabo, ut deinceps eo melius symptomata Nephriticis supervenientia explicari possint. Connectuntur autem renes primario ope membranae externae, quae peritonaeo originem debet, & primo quidem uterque lumbis, & diaphragmati, dexter autem intestino caeco, & sinister lieni & colo, quod ultimum etiam in caussâ est, quare dolor Nephriticorum exacerbetur, si intestina flatibus sint distensa, quae connexiones omnes probe notandae sunt, ne curationem in partes illas, quae saltem per consensum afficiuntur, primario dirigamus.

III. Praeter membranam illam externam, cujus in thesi praecedenti facta fuit mentio, renes aliam adhuc habent membranam ipsis propriam, subtilem valde & acuti sensus, quae ipsorum substantiam (quam aliud fere nihil esse, quam innumeras vasorum ramificationes & tubulorum membranaceorum congeries, quorum extremitatibus oppositae sunt glandulae minores, seu acini cum Recentioribus statuo,) ne exorbitet & inerdinatum situm, & figuram acquirat, arcte circumdat.

IV. Dixi substantiam renum aliud fere nihil esse, quam innumeras vasorum ramificationes: hoc autem dixisse non sufficiet, nisi simul indigitaverim, quaenam in specie sint ista vasa, quae cum acinis appositis totam renum substantiam componunt: quatuor igitur vasorum genera ipsis adscribo, nervos, arterias, vasa excretoria renibus propria, & venas, de quibus nunc ordine dicam.

V. Nervos uterque ren duos habet, unum a paris vagi ramo stomachico, qui per membranam propriam dispersus, hincque ad ureteres porrectus, acutum valde sensum illis praebet: alterum vero a nervo mesenterico, paris intercostalis ramo, qui ante ingressum vasa emulgentia varie circumligans, per totam substantiam cum iis dispergitur, non obstante quod Auctores dicant, paucos nervos substantiam renum intrare, & hinc obtusum eorum sensum derivent, quem ego non tam ex defectu & paucitate nervorum, quam ex omnium ad sensum exquisitum requisitorum defectu, deducendum existimo.

VI. Arteriam quilibet renum unam habet a trunco arteriae aortae descendentem, quae simam partem accedens, in plures & semper minores ramos dividitur, donec

donec tandem in innumera & infinita capillaria vascula desinat. Haec copiosa, & longe majori sanguinis quantitate, quam ad nutritionem requiritur, renes perfundit, unde in iis, vel coctionem aliquam, vel segregationem fieri, colligere licebit: nullam autem in iis fieri posse coctionem, facile cuilibet ad requisita ad coctionem quandam perficiendam necessariam attendenti, palam fiet. Concludendum igitur est, separationem alicujus materiae inibi fieri: quae autem materia illa sit, & quomodo separatio illa fiat, paucis nunc, antequam ad duo reliqua vasorum genera progredior, explicabo.

VII. Materia illa, quae in renibus a sanguine separatur, est humor aquosus, & serosus, admistis multis particulis salinis & terrestribus, qui postmodum fermento renum stercoreo imbutus, & ad vesicam delatus, urinae nomine venit. Haec autem separatio humoris serosi a sanguine fit ope fermenti alicujus, glandulis, sive acinis, quos extremitatibus vasorum antea appensos dixi, inhaerentis, per modum praecipitationis, qui familiaris valde est illis, qui chymiae operam dant. Totum tamen negocium non soli fermento acceptum ferendum, quin etiam multum contribuit horum acinorum, ut & vasorum in eos hiantium configuratio.

VIII. Praecipitatus itaque nunc humor serosus in acinis, de quibus in praecedentibus dictum, speciatim, per tubulos membranaceos, sive vascula renibus propria, tanquam tertium vasorum genus ad carunculas papillares defertur, ex quibus mox in pelvim destillans, ulterius per ureteres ad vesicam progreditur; non autem concipiendum hic est, ac si per carunculas papillares diversum quid a vasis renum excretoriis, sive tubulis membranaceis intelligerem, sed differentia in hoc saltem consistit, quod vascula illa, quae prius per substantiam erant dispersa, hic magis sint unita, ut sic carunculae hae nihil aliud sint, quam multorum demeaculorum aggeries.

IX. Sanguis per arterias advectus jam a redundante, & superfluo suo sero liberatus, per quartum vasorum genus, venarum radices, quae extra renes unicum truncum, venam emulgentem dictum, constituunt, venae cavae infunditur, ut hinc cum reliquo sanguine per circulationis leges fontem iterum accedat.

X. Visis itaque nunc hisce, proximum erit, ut me ad calculi renum examen accingam, & modum fiendi explicem, de quo varie inter Auctores controvertitur: alii enim per calorem, alii per frigus arduum hoc explicant negocium: quidam arenosam renum constitutionem accusant: alii a succo lapidescente lapidescentiam derivant: alii aliter rem explicant; sed quam longe hi homines a veritate aberrent, & quam parum explicent, jam non disquiram, paucis meam saltem sententiam in scenam introducturus.

XI. Urinam habere rationem caussae materialis, nullus dubito, quin omnes habeam consentientes, qui non gravantur, tam calculos, quam urinam igni subjicere, & ex eorum destillatione addiscere, quod idem oleum, idemque sal volatile ex iis eliciatur, & praeterea etiam simile caput mortuum relinquant in fundo, ex quo omnia, quae in calculo reperiuntur, urinae materialiter inesse videmus. Destillatio sic instituta refutat eos, eorumque errorem detegit, qui arenulas & terreas sordes, cum cibo & potu assumtas, pro caussa materiali obtrudere conantur, dum sabulum a lapidibus molaribus pani communicatum accusant, quum tamen ex hoc sabulo, sive arenulis hisce nihil unquam salis volatilis elici potuerit, etiamsi totus lapis molaris destillationi subjiciatur, quod tamen tam copiosum calculo inesse, ut etiam tertiam, vel ad minimum quartam ejus partem constituat, mihi non semel apud celeberrimum Dn. de Maets Professorem Leidensem videre contigit.

XII. Quidnam autem illud sit, quod urinae particulas, quas calculi caussas materiales diximus, in lapideam talem duritiem coagulet, majore difficultate conjun-

conjunctum videtur. Siquidem, ut in thesi decima jam dictum est, Auctores in eo valde dissentiunt. Acidum volatile non sine ratione accusat Ten Rhyne, quum enim videamus, quam facile acida quaevis, alteri corpori proportionato, tali nempe, quod reagendo acidorum spicula infringit, affusa, in coagulum abeant, & simul conferamus, quae Auctores practici de calculosis observant, quod saepissime acidum vitiosum in iis peccet, merito nobis cum eo acida suspecta esse debent. Dn. Ehrenfried Hagendorn de Nephritico notat: *quod ejus urina, excrementa alvina, saliva, & anhelitus acidissimum spiraverint odorem.* vid. obs. 243. in ann. 3. ephemeridum Med. Physic. Germ. Huc etiam facit observatio Helmontii in tract. de lithiasi p. m. 676. ubi dicit: *non raro namque observavi, calculosum aliquem, postea ictero afflictum, a calculo immunem fuisse, quam diu icterus imperaverat.* Ex qua videmus, acidum ob sopitam ante bilem coagulationis caussam fuisse, quod a praedominante postea bile saturatum ulterius coagulationis factum fuit idoneum. His adde, quod Nephritici ut plurimum simul sint hydropici, in quibus acidum manifesto peccare nemo dubitat: & similia, qui probe perpenderit, non immerito acidum calculi & omnium coagulationum Auctorem dicet.

XIII. Quod autem non omnes, in quibus acidum praedominatur, calculo laborent, indicat, praeter acidum aliud quid esse, quod concurrat ad generationem Duelech. Accusamus autem hic fermentum renum stercoreum, quod in praecedentibus serum a sanguine praecipitare diximus, de cujus praesentia quemlibet esse certum, cui vel semel inter cibandum renes gustare contigit, haud dubito; siquidem tunc odor & sapor rancidus & ingratus illud satis manifestant. Fermentum hoc degenerans, & putrescens urinae mistionem turbat, ejusque partes a se invicem separat, unde fit, ut partes urinae volatiles ab acido, cum massa sanguinea affluente, subigantur, & intercedentibus particulis terrestribus, quae ob figurarum irregularitatem cum aliis facile cohaerent, in verum Duelech condensentur: ut recte Helmontius tract. de lithiasi pag. 681. dicat: *ren putrescente fermento ditior, in fabricam calculi pronior.*

XIV. Examinatis itaque & stabilitis caussis proximis, facile non erit determinare, quae caussarum remotarum nomine venire possint: illa nempe omnia, quae acidum in massa sanguinea cumulare, & particulas terrestres cumque acido facile coagulabiles producere possunt. Quo spectant 6. *res non naturales*, & praeprimis *cibus*, & *potus*, qui indifferenter assumti abunde materiam calculo suppetant: suademus itaque, ut Calculosi abstineant ab omnibus alimentis crassis, viscosis, & sale imbutis; ut sunt pisces saliti, carnes bubulae, porcinae, & aliae sale conditae, & fumo induratae; ut fugiant caseum, omniaque lacticinia, fructus horreos facile fermentescibiles, vinum crassum, austerum, ut & novum, & nondum defaecatum. Haec & alia quomodo in specie Calculosis noceant, jam brevitatis gratia sileo.

XV. Duelech hoc modo generatum, & in substantia sive tubulis membranaceis haerens, vel hinc ad pelvim, sive ureteres propulsum varia eaque gravia symptomata excitare consuevit. Ex praecipuis autem sunt, dolor circa spinam dorsi in lumbari regione fixus, inflammatio, stupor pebum, & vomitus. Dolor iste pro diversa calculi situatione vel est gravativus, vel pungitivus: quum enim calculus in substantia renum situm suum acquisiverit, crassitie & pondere suo membranas renes proxime investientes distendit & premit: hinc quia plures nervi simul afficiuntur, obtusus & gravativus sensus ad cerebrum defertur: ad pelvim autem sive ureteres delapsus, ibique ulterius pergere nesciens, acutis suis prominentiis, si quà illis praeditus fuerit, partes illas, utpote acutioris sensus, rodens, acutum satis, & pungitivum doloris sensum excitat.

XVI. Quum autem mecum reputo, dolores nephriticos esse intermittentes,

quum

quum tamen calculi non desinant esse acuti: & praeterea etiam atrocissimos saepe observatos fuisse dolores, ubi calculi, nullis prominentiis praediti, post obitum reperti fuerunt, perpendo, & denique, si Helmontio fides, quod *minutulus calculus primis vicibus e rene labens, immanius doleat, quam postmodum grandior, qui tamen suo attritu ureteres magis torqueret*, vide cap. IX. de lithiali statim in initio; haud difficulter moveor, ut credam, aliam doloris caussam subesse, hancque non sine ratione ab acido deduco, utpote cujus particulae gladiolorum instar ab utraque parte scindentium, & pungentium membranarum a calculo jam laesarum fibrillas continuo lancinant, & magis, magisque discindunt, & sic immanem istum, & acutum doloris sensum excitant.

XVII. Calculus in substantia renum haerens, facile vasa vicinia premendo, obstructionem caussare potest, quae si fiat in vasculis sanguineis, sanguis in motu suo impeditus in vasis suis stagnat, sicque avolantibus particulis subtilioribus crassiores remanent, quo fit, ut quae diversae postmodum in sanguine sunt indolis cōeant, aliaeque alterius poros intrent, & inter se pugnent, unde inflammatio oritur. Quum enim particulae aliae alterius poros intrant, fit ut interstitia quaedam relinquantur, quae necessario, quoniam dari vacuum repugnat, a materia subtilissima & fluidissima, utpote nullibi inclusa, nullibique exclusa, repleri debent, de qua Philosophorum facile Princeps *Cartesius* legi meretur. Si igitur interstitia ista, sive poruli relicti sint tam copiosi, & ita angustati, ut praeter copiosam materiam subtilem nihil, & hanc cum difficultate, admittant, sensus ardoris, quem inflammationem vocamus, excitatur. Inflammatione autem tandem sedata, sanguis in vasis suis stagnans in pus abit, quod etiam tunc cum urina excerni observamus. Quum autem calculus sit tam grandis, ut premendo renes simul comprimat nervos, per musculos lumbares psoas dictos, quibus renes incumbunt, ad crura decurrentes, stupor pedum, propter inhibitum spirituum animalium influxum, exoritur: quum enim nervi spiritibus non sunt irradiati, flaccescunt, & hinc sensus ad cerebrum deferri nequit.

XIIX. Vomitus, quem etiam inter symptomata recensuimus, quare Nephriticis adeo familiaris esse soleat, ratio facilis erit, si huc revocemus, quae thesi 5. dicta fuere, quod renes nervos suos habeant a ramo stomachico, per quos consensus iste facile explicari potest. Quum enim particulae acres nervulos renum vellicant, & doloris sensum ad cerebrum deferunt, in media via vellicatio ista nervis stomachicis, quia cum illis communi tunica includuntur, communicatur, & sic poros in cerebro solido magis aperiunt, quam apertionem copiosus spirituum animalium influxus consequitur, qui copiose influentes in tunicam mediam ventriculi, ejusque tubulos inflantes, ventriculum contrahunt, ut quae intus sunt, qua data porta ejiciantur: quod autem hoc fiat per superiora, exinde est, quia contractio, sive spasmus in fibris istis, quae, respectu illarum, quae ventriculi fundum versus superiora adducunt, transversae sunt, incipit ab orificio versus pylorum, unde hic ad illud accedens contenta eo versus propellit.

XIX. Recensita symptomata, utpote principaliora, si adesse videmus, certo concludere possumus, hominem illum laborare calculo: quoniam vero Medici in eo saepe decepti fuerunt, quod dolorem colicum habuerint pro nephritico, vel contra, probe cavendum erit, ne etiam nos in talem errorem incidamus. Itaque advertendum est, an dolor in spina dorsi sit fixus, in eo enim, ut plurimum discrepat dolor nephriticus a colico; quod hic fere semper soleat esse vagus. Praeterea autem in auxilium vocanda sunt signa illa ex urina desumta, quae etsi sola de calculi praesentia nos certos reddere nequeant, tamen aliis juncta multum luminis afferre possunt: urina enim tenuis aquosa & pauca indicat calculum esse in fieri, illa vero plus minus sanguine tincta, inflammationis signum est, quae si purulenta,

lenta, vel vibrosis ramentis praegnans observetur, de calculo confirmato certi esse possumus.

XX. Malum hoc periculi plenum est, non modo propter symptomatum vehementiam, siquidem ei obnoxii tam atrocibus doloribus, dirisque cruciatibus saepe saepius vexantur, ut in delirium, aliaque graviora mala incidant; verum etiam quia ejus curatio ita difficultatis caligine obducta, ut a multis pro incurabili habeatur, dum putant, impossibile esse, dari remedium aliquod diffringens calculum: partim quoniam medicamentum ore assumtum, & ad ventriculum delatum, antequam ad renes deveniret, vim suam amitteret: & deinde, quia hoc medicamentum calculum diffringens, citius ventriculum, aut aliam partem, quam calculum, utpote durioris compagis, diffringeret. Sed recte ad haec respondet Helmontius, qui potest videri cap. VII. de lithiasi. Hic plane contrariae est sententiae, dicens nullum in specie morbum esse incurabilem: regerentibus autem, quare tam pauci ab hoc malo liberentur, responsio facilis est, quod nempe plurimis vera calculi caussa ignota sit, quia decantatis istis quatuor humoribus nimium addicti, omnes morbos frustraneo conatu ex iis deducere allaborant, unde non mirum, quod ignorata caussa, etiam in curatione, dum saltem ad humores respiciunt, a scopo aberrent: quod ipsum etiam Helmontius citato jam capite observat, quando dicit: *hoc unicum palam, atque libere profiteor: difficilium nempe morborum victorias postulare alios Medicos, quam humoristas, & alia longe remedia, quam quae venditat Seplasia.* Statuimus itaque, quod calculi curatio quidem sit possibilis, sed tamen, prout vel parvus & adhuc in fieri, vel magnus & confirmatus, nunc magis, nunc minus difficilis.

XXI. Accedens itaque nunc ad curationem, multis remediorum formulis esse deberem, si eam ex professo pertractare animus esset; verum instituti mei memor, de quo in praefatione, paucis saltem quomodo ejus cura dirigenda, edocebo. Duplicem autem ejus curationem facio, in, & extra paroxysmum: in paroxysmo enim non tam calculi, quam symptomatum urgentium, & praeprimis doloris, habenda est ratio, quod probe notandum, ne tum lithontriptica exhibeamus, sicque dolorem augeamus. Conveniunt autem tunc illa potius, quae dolores spasmodicos sistunt, ex quorum censu sunt rad. & herb. malv. alth. violar. parietar. mercurial. flor. sambuc. chamom. melilot. lil. alb. &c. Ex oleis sunt, ol. amygd. dulc. quod cum terebinth. intus exhibitum egregie dolores colicos sistit: ol. chamom. melilot. bacc. junip. scorpion. cerae still. succini, balsamus sulphuris succinatus, ung. anodyn. Mynsicht. dialth. &c. Ex his & similibus quilibet artis peritus varias formulas, ut clysteres, fomenta, balnea, linimenta, aliaque componere poterit, quae omnia demulcendo egregie dolores leniunt & spasmos tollunt. His vero omnibus incassum adhibitis, ad opiata confugere oportet, ubi egregie convenit tinctura opii, cum oleo tartari per deliq. parata, quae ad drach. j. & ultra exhiberi potest.

XXII. Post paroxysmum curatio rursus duplex est, una praeservatoria, quae ulteriorem calculi generationem impedit; altera vero curatoria, quae calculum jam generatum expellit. Quoad primam, suadenda est bona diaeta in *sex rebus non naturalibus*, ut nempe abstineant ab omnibus, quae calculo materiam suppeditare possunt. Ante omnia vero vitiatum renum fermentum est corrigendum, & a corruptione liberandum, quod praestare possumus salibus volatilibus quibusvis; ex his autem eminet sal volatile aromaticum Sylvii, quod quotidie legitima dosi exhibitum fermentum renum corruptum pristino vigore restituit. *Helmontius* hoc in casu extollit aroph Paracelsi, quod ex spiritu secalino efficaciam suam habere existimat *ten rhyne*. Commendatur etiam semen dauci, a cujus usu calculosum quendam postea a calculo immunem mansisse testatur *Helmontius*.

XXIII. Jam altera curationis pars, quam curatoriam diximus, sese offert, calculi expulsionem indicans, quae diureticis peragitur: quoniam autem illa multis suspecta sunt, propterea, quia calculi ex renibus ad ureteres propulsi dolores magis intendunt. Itaque cum Helmontio observandum, quemlibet calculum vel esse majorem suo uretere, vel minorem, sive aequalem: duos igitur posteriores ope diureticorum commode expellere possumus, hac tamen cum cautela, quod sola expellentia nunquam exhiberi debeant, sed cum ejusmodi medicamentis, quae doloris, & inde ortae contracturae, & convulsionis sunt inhibitiva: ut recte loquitur Helmontius, quorum omnium ingens apud Auctores practicos extat catalogus, ideo multa hic addere supervacaneum arbitror.

XXIV. Calculus autem uretere suo major frustra expellentibus, antequam comminutus fuerit, sollicitatur. Quapropter ejusmodi remedia, quae eum comminuunt, aut diffringunt, quaerenda sunt, de quibus multos dubitare in thes. 20. jam vidimus, quoniam dicunt impossibile esse, quod ejusmodi corrosiva absque noxa assumi possint. Sed hoc argumento nihil praestant, quam quod ignorantiam suam in rebus chymicis Orbi erudito exponant: si enim chymiae incubuissent, non omnem comminutionem, sive solutionem a corrosivis peragi, sed interdum etiam durissima corpora a menstruis plane insipidis, omnisque corrosionis expertibus solvi didicissent. In hunc finem varia commendantur remedia, quae hic brevitatis caussa reticeo, finemque calamo impono. DEO O. M. pro concessa sua gratia sit laus & gloria in sempiternum.

DISPUTATIO XXVII.

DE USU LIENIS.

RESPONDENTE

JOHANNE VVILHELMO EBEL, Bobenhausano Hasso.

THESIS.

I. Quoniam de visceris alicujus usu judicium ferens, inter alia maxime necesse habet, ut structuram ejus accuratissime perspectam habeat, non abs re quoque erit, prius quam de munere, cui LIEN vacat, quid proponam ut de ejus structura pauca ex anatomia ad scopum facientia hanc in paginam derivem, quare cultrum sequens anatomicum lienem breviter sic describo.

II. Situm suum habet in inferiori ventre e regione hepatis in hypochondrio sinistro inter ventriculum & costas: annectitur peritonaeo, omento, reni sinistro, & juxta *Bartholinum*, aliquando etiam diaphragmati: duplex membrana, ut *Malpighius* vult, ambit lienem, exterior est valida, interior autem mirabili fibrarum implicatione contexta totum viscus investit. Priorem a peritonaeo, alteram ab omento proficisci putant, *vide sis Moebii fundamenta physiologica p. 376.*

III. Substantia parenchymatica non videtur, potius cum *Malpighio* assero lienem propter elegantem fibrarum implicationem, nihil aliud esse, quam indefinitorum filamentorum nerveorum congeriem, cui nihil obest, quod lien dissectus concretum praeseferat sanguinem levi attritione in fluorem resolubilem; novimus enim ita excorticare lienem, omnemque cruorem dissolvere, ut nil nisi plexus quidam villosus remaneat, quod aliquoties apud *Dn. Praesidem* videre mihi licuit.

IV. Donatus quoque est lien suis vasis, arteriis, venis, nervis & vasis lymphaticis:

ticis: arteriae ad lienem tendentes a ramo coeliaco oriuntur, & tribus, vel quatuor ramis non raro etiam pluribus ejus substantiam subintrant, qui postea innumeros nanciscantur surculos, & instar foliorum filicis diramificantur: venam quam obtinet, illa est ramus insignis venae portae splenicus appellatus, qui totus in lienis substantiam excurrit praeter duos ramos, vas breve nimirum, quod ad ventriculum & venam haemorrhoidalem internam, quae versus anum excurrit: nervi sunt sexti paris propagines.

V. Praemissa sic anatomica descriptione, operae pretium erit, ut ad genuinum lienis usum me statim convertam: neminem autem latere arbitror, quod sanguis brevi illa mora, quam in cordis thalamis trahit, in tantum exaltari, & volatilisari nequeat, quin non multas particulas terrestres, salia fixa, & alias faeculentias in sinu retineat: illae autem quum ad coagulationem valde pronae sint, sanguinem, si ipsi sub tali facie immistae manerent, non modo incrassarent, quin etiam vias obstruendo impedirent, quo minus succi in reliquis visceribus e massa sanguinea segregari possint: summe igitur necessarium erat, ut oeconomia animalis, ad coagulationem impediendam, nimiamque fixationem avertendam, viscere aliquo donaretur, quod imprimis sanguinis volatilisationi esset destinatum, quod lienis esse cum *Velthusio in tract. de liene* statuimus: requiritur autem, ut illud primo copiosissimis scateat arteriis, postea uberi fibrarum nervearum pollent proventu. Quare autem sanguis crassior & coagulationi proximior ad lienem potius deferatur, quam ad aliam partem, hoc certae materiae subtilis effectum esse in cathedra prolixius demonstrabimus.

VI. Enumeratas conditiones, LIENEM implere ex ejus superius tradita anatomia elucet, adeoque nunc genuinum ejus USUM esse statuo: *sanguinem salia fixa volatilisando a coagulatione praeservare, & a partium excrementitiarum infarctu in tantum saltem liberare, ut succi aliis in visceribus eo melius a sanguine separari, eorumque fermenta magis exaltari possint*, adeo ut verum maneat, quod in trito dicitur versiculo:

Cor ardet: pulmo loquitur: fel commovet iras:
Splen ridere facit: cogit amare jecur.

VII. USUM hunc LIENIS status praeternaturalis ulterius corroborat: nam quãdo materia quadam crassa, viscida & glutinosa infarcitur tota massa sanguinea ob partes terrestres & faeculentas a LIENIS officia exclusas, contrahit intemperiem crassam & melancholicam, quam tunc erumpentia symptomata satis superque indicant, imo ipsa quoque medicamenta splenitica vulgo dicta, quae omnia vel volatilia sunt, vel acidum vitiosum tamen compescunt designatum lienis usum magis propugnant.

VIII. Exercet autem LIEN functionem illam sanguinem attenuando, incidendo, & volatilisando ope fermenti proprii, cujus maximam partem spiritus animales constituunt: neque est, quod quis de hoc fermento dubitet, quum lien in aqua maceratur vim illam fermentativam cuivis suppeditet, videatur *Dn. Praesidis Collegium publicum cap. de fermentis viscerum.*

IX. Verum enim vero etiamsi nullum aliud munus LIENI attribui posse videatur, in varia tamen opinionum diverticula Auctores deflectere videmus, quorum pro instituti ratione praecipua saltem in scenam sum introducturus: veterum placitum fuit sanguinem ad LIENEM amandari, ut ibidem deponat humorem melancholicum, quum autem nullum in LIENE ostendi possit receptaculum, quod humorem talem recipiat, sponte corruit opinio, plures rationes nunc reticeo.

X. *Helmontii*, ejusque assectarum sententia infirmo quoque stat talo asserentium, LIENEM per vas breve fermentum acidum pro promovenda, & perficienda ciborum coctione ventriculo inspirare, quum sanguinis motus longe aliud ostendat,

dat, & hoc placidum evidentissime refutet; vas enim illud ligatum versus ventriculum intumescit, versus LIENEM autem detumescit, manifesto indicio nihil a LIENE ad ventriculũ transmitti: & quid fieret de ventriculo, si LIEN excindatur, nonne fermentatio ejus tali modo penitus aboleri deberet, quum tamen teste experientia canes post ejus exscisionem multo voraciores evadant?

XI. Non desunt, qui LIENEM pro sanguinis officina venditant, pro quo usu sequentibus argumentis militant: *ad quod viscus plurimum chyli defertur, illud potissimum est sanguificationis organum. Atqui ad lienem, &c. Ergo. Resp.* distinguendo: ad quod viscus plurimum chyli sub forma chyli, & nondum cum sanguine confusi defertur, illud est potissimum organum sanguificationis. Atqui. Ergo. Largior majorem, min. vero nego: quoniam clarissima ex anatomia habemus testimonia omnem chylum per manifestos ductus deferri ad cor, cui propterea primarium sanguificationis munus, non autem lieni est adscribendum, proin valde odiosum redditur vocabulum plurimum, quasi pars chyli ad cor, pars ad hepar, pars ad lienem deferatur.

XII. Excipiunt, quod teste *Helmont.* quadringentis arteriarum ramis gaudeat LIEN, adeoque mediante illo sanguine arterioso chylus copiosius ad lienem, quam ad reliqua viscera deferri: verum facile responsio dari potest; primo enim ille chylus non amplius est vere chylus, sed in corde in sanguinem conversus: secundo si hoc verum esset, sequeretur, quod omnia viscera sanguificarent, quamvis enim hoc quoad priorem responsionem negare nolim, multo chylo sanguinem, postquam cor est egressus, adhuc abundare, qui in itinere exactius adhuc cum illo permiscetur, inconcussum tamen manet primariam sanguinis officinam esse cor.

XIII. Alterum argumentum, quod pro sententia hac roboranda afferunt, tale est: *si spiritus animales sunt caussa efficiens principalis sanguificationis, sequitur, quod lien sit primarium organum sanguificationis. Prius est verum. Erg. post.* Resp. negando min. quoniam sanguificatio primario absolvitur a cordis fermento, quod nihil aliud est, quam portio sanguinis singulis pulsibus in cordis ventriculorum rimis relicta, cui se adjungit succus quidam valde agitatus, & commotus ex arteriis coronariis in cordis parenchyma transsudans, unde sanguinis rarefactio concurrentibus adhuc aliis quibusdam caussis sociis, de quibus alibi, dependet.

XIV. Receptui nunc canerem, nisi vexata illa tam apud Veteres, quam Neotericos quaestio, ne paululum adhuc subsistere juberet, ubi contendunt: *num LIEN absque vitae & sanitatis dispendio possit exscindi?* Fateor magnam inter homines coli superstitionem, quasi cursoribus LIEN sit exemtus; sicut enim vix datur religio, quae non suas etiam patiatur superstitiones, sic in medicina illis fere abundamus. Verum enim vero in homine talem operationem procedere posse non videtur, quum leve etiam lienis vitium in varias aerumnas oeconomiam animalem det praecipitem, nihil jam dicam, si totus auferatur: in canibus autem operationem hanc expectationi nonnunquam satisfacere inficias ire nequeo, quum ipse haud ita pridem ejusmodi processui in canicidio interfuerim; an tamen illi post LIENIS privationem exacta valetudine gaudeant, dubito, quia teste experientia ultra triennium rarius vitam protrahunt, mingunt saepius aliaque patiuntur incommoda. Ratio autem, quare in canibus haec operatio aliquo modo, in homine autem plane non institui possit, haec forsitan est, quia in canibus sanguis multo calidior, & tenuior est, quam in homine, cujus sanguis ne ad momentum quidem volatilisatione privari potest, quin non statim incrassescat, & melancholia infarciatur. Plura hac de quaestione vide *cl. Moebium & Diemerbroeckium.* Tantum.

DISPUTATIO XXVIII.

DE GLANDULAE PINEALIS STATU NATURALI & PRAETERNATURALI.

RESPONDENTE

JOHANNE WILHELMO BEUTLERO,
Reiskircha-Nassovio.

J. N. J.

§.I. INgeniosum antiquitatis commentum de cerebro parturiente, & ab hoc, obstetricantibus Vulcani ferramentis, nata Minerva altioris videtur esse indaginis, profundioremque hieroglyphico sub velo occultare sapientiam, quo detracto nullus dubito, quin magni laboris opus, Nosce te ipsum, hoc est functionum in nobis non tantum animalium sed aliarum longe nobilium radix, fundamentum & veritas facile in apricum duci queant. Quod calcar admovit cultro, & calamo, ut apertis hisce diebus variorum animalium craniis, & dissectis adstantibus aliquot studiosis, & amicis pro mea privata informatione cerebris ad imitationem recentiorum Anatomicorum, *Bartholinos* volo, *Stenonium, Willisium, de la Forge &c.* de glandulae pinealis (quam locus, partes a latere stantes, vasa, aliaeque circumstantiae prae aliis in cerebro commendare, & Regiam quandam majestatem stupendaque prae aliis praerogativam, vel tacite inculcare videbantur) statu, functione & morbosa, quam non raro patitur dispositione, impraesentiarum verba facere animum induxerim. Quod ut non aliter, quam veritatis indagandae conatum, & studium interpretari velitis, cujus ad manus pagellae sequentes pervenient, obnoxie rogito. Sin vero ob praejudicium, ut plurimum alteri parti praecludens aditum, vel superstitiosam quandam antiquitatis reverentiam, & temperamentum ad quemvis novitatis terminum exhorrescens impetrare id nequeam, hoc saltem contendo, ut meam tam diu sinas stare talo suo opinionem, donec tu contrariam alteri lanci imposueris, sic enim eventus brevi docebit, cujus caussae in re tam abstrusa dubia haec faveat alea.

§.II. Et magno profecto statim in limine se offert difficultas crucem figens calamo: habent enim quod objiciant quibus nova non placent, praetendentes: hanc de vilioris hujus corpusculi opinionem otiosi, & luxuriantis ingenii fastum esse, neque unquem inde quid expectari posse, quod Medicum in praxi vel doctiorem vel feliciorem reddat; hinc ut plurimum fieri, ut ex curiosis his nil nisi spinae, & quisquiliae colligantur. Adeoque quovis modo impedire potius satagunt, quo minus tyrones animum ad altiora haec applicent per tot retro saecula ipsis etiam Veteribus ignota, quorum tamen famam, & medendi peritiam ipsi admirari soleant Neoterici. Imo ab ipsis tyronibus (facile enim dulce instillatur ocium) ejusmodi querelae non raro audiuntur, quod nempe difficiliora haec ad praxin nihil conferant, majorique cum commodo ea addisci, quae saltem futuro practico sint utilia, & necessaria.

§.III. Verum enim vero non magno molimine opus est ad avertenda, & infringenda plumbea haec tela. Fateor equidem multa in medicina dari sterilia, quorum catalogum facile videri licebit, si vulgares Medicorum institutiones, & his inaedificata Candidatorum examina, si etiam scholasticas quaestiones in cathedris agi-

agitari solitas sub incudem vocare velis, quae eleganti ordine ad invidiam usque maximam partem recensuit *cordatus Ammanus*: his ut dica scribatur, utque ex foro Medico exterminentur, nunquam contrariabor, quin potius quantum in me erit laudabiles hos juvabo conatus; talia enim sunt, ut quocunque etiam modo coquantur, recoquantur, & nescio quibus macerationibus, extractionibus, & destillationibus vexentur, vix tamen ac ne vix quidem aliquid suppeditent, a quo lumen foenerari possit praxis, & vera scientia medica.

§.IV. Deinde praeter haec adhuc alia sunt scitu quidem necessaria, quibus neglectis plurima phaenomena medica nunquam ipsa experientia teste explicari possunt, quo pertinent inter alia globuli aetheri, materia subtilis, leges motus, & sexcenta alia ipsi etiam sanguini inexistentia, quorum tamen dignitati, necessitati, & veritati nequaquam quid decedit, si forte etiam a Medicis fuerint neglecta vel adhuc negligantur, qui nihilominus in ipsa praxi magnam acquisiverunt famam. Ipse *Paracelsus* plurima ignoravit, quae Medicus scire debet, curavit tamen morbos ab aliis pro desperatis habitos, quod exemplum in *doctrina de elementis* producit *Dn. Boyle*. Jam si quis inde scientiae, & eruditionis medicae vanitatem, & plurium rerum tum chymicarum tum anatomicarum inutilitatem inferre vellet, is iniquus esset in tot egregia Neotericorum inventa, imo injurius in ipsam naturam. Ipsius sanguinis in orbem reditus non parum concuteretur: vacillaret veritas, & dignitas vasorum lacteorum: corrueret doctrina de vasis lymphaticis spirituum animalium, & succi nutricii circulatione, &c. Quae omnia tanquam temporum fures accusari, & uno ictu non sine summae ingratitudinis, & supinae oscitantiae nota profligari possent. Et quae non incommoda, pericula aliaque absurda, & indecora solis Agyrtis impudica fronte, & temeraria manu in medicinam involantibus digna exinde nascerentur? Ut nunquam satis mirari possim illorum ingenia, qui animos veritatis cupidos ab his aliisque ad oeconomiae animalis cognitionem pertinentibus avocare solent, & omnibus viribus eo contendunt, quo theoretica ista, ut loquuntur, supprimantur.

§.V. His enim non obstantibus invictissimum manet argumentum, quod omnia illa, quae ad cognitionem fabricae, & machinae corporis nostri, quae ad descriptionem functionum partium, quae ad caussarum morbificarum meliorem explicationem, & quae ad subjecti morbi veraeque sedis indagationem, & declarationem faciunt, nequaquam Medicum dedeceant; neque oscitanter tractanda sint, quum inde in ipsam praxin egregii nunquam sine magna voluptate degustandi fructus redundent. Quae quum nunc *glandulae pineali* quoque conveniant, doctrinam hanc vel propterea mereri confido, quae orbi erudito exponatur, quaeque caput inter reliquas corporis partes extollat, quantum inter lenta solent viburna cupressi, cujus rei veritatem sequentes theses abunde satis testabuntur.

§.VI. Quod itaque ejus locum natalem sive stupendum situm, & admirandam fabricam attinet, optarem, ut qui haec legit, cerebri dissectionem vidisset ad eum modum, quem nobis commendat *de la Forge*, qui adeo facilis est, ut vel solis digitis explicari possit, quum alias si veterum, & ordinariam methodum sequi velimus, saepius fallamur, & nescio quod glaucoma oculis objiciatur. Offert se illico insignis quaedam in ipso meditullio cavitas aliquot hinc inde protuberantiis donata, quas corpora striata, nates & testes vocant: duos insuper habet processus, quorum primum *Veslingius*, quo jure nescio, vulvam appellat; alter vero anus dicitur, ad cujus foramen, quod ostium est nobilis ventriculi, glandula pinealis a figura sic dicta apposita est (quae aliis conarium vocatur) vasorum quodam contextu plexus choroides dicto undiquaque cincta, ut ipsis spiritibus animalibus innatare videatur, qui hoc in promtuario velut in alveo reservantur, ut infra docebitur.

§.VII. Est autem plane libera in apice, ast in basi fibris motricibus laxari atque con-

contrahi aptis, quas alii funiculos vocant: cerebro ita alligatur, ut neque nimium evagari possit, neque versus illas ad minimum partes reclinari posse desinat, quae respiciunt istas ventriculorum cerebri regiones, quibus nervorum occurrunt initia. Hae fibrae, si cultello parum saucientur, insignem toni relaxationem statim deprehendes, quale quid in mania incurabili saepius fieri conjicio: notatu enim dignissimum est, quod fibrillae motrices in ea basis glandulae puncta inserantur, ut eam semper in tono vel situ naturali servent, quì sursum spectat, vel potius antrorsum: hinc enim fit, ut quocunque modo inclinetur, semper tamen ad naturalem sibi statum redire conetur, quod facile observari poterit, si stylo leviter saltem concutiatur, & quaquaversum torqueatur.

§.IIX. Substantiam si consideremus, glandulosam esse dicimus; mollior enim est carne, sed cerebri medulla durior, & peculiari sua involvit membrana, quo tamen non obstante cito flaccescit, ut etiam in cadaveribus inveteratis raro apparere soleat.

§.IX. Colorem quoque diversum a reliquis cerebri partibut nacta est, qui magis obscurus videtur, & subluteus, forte a spirituum animalum copia post mortem in rorem abeuntium, quia vasa lymphatica simili fere praedita sunt colore, si liquorem quem vehunt adhuc contineant.

§.X. Magnitudinem tam accurate determinare nequeo, quia pro subjectorum varietate, & ipsa variare solet; in hominihus tamen vix pisi superat magnitudinem, quae major appareret, si cerebro adhuc existente calido eam investigare liceret. Major est in cerebro vitulino & ovillo, maxima in bovino.

§.XI. Figuram habet piniformem, hoc est pini fructum similitudine quadam repraesentantem, quae ex sphaerica, & oblonga componitur, unde sphaeroïdes vocatur; haec enim figura sola apta erat accipiendis, & determinandis tot diversis motibus, nec poterat alia arduo huic negocio tantopere accommodari, quod solidissimis probat rationibus *Craan in disputat. tertia de catalepsi.*

§.XII. Praemissa sic anatomica descriptione, operae erit pretium, ut de genuino usu *glandulae pinealis* pauca addamus, & quo praecipue munere in oeconomia animali fungatur, doceamus: neminem equidem negaturum persuasum habeo, ipsam sensationem in cerebro fieri, nec posse ab ullo objecto ipsam produci nisi impressio ab objecto facta ad cerebrum usque deferatur, id quod nervorum obstructiones, ligaturae, & cerebri vulnera evidentissime comprobant.

§.XIII. Neque tamen dici potest, totam cerebri substantiam ad producendum sensum, & motum requiri, quum utroque salvo manente portio cerebri tolli possit, quod praeter exempla ab *Hildano, Schenchio*, & *Marchettis* annotata confirmat funestus casus a *Diemerbroëckio* sedulo descriptus *in anatomia corp. human. lib. 3. p. m.* 580. Ergo nonnullis saltem ejus partibus hoc officium tribui debet. Verum nullae enumerari possunt, quae impressionem in nervos factam ultimo recipiant, quaeque spiritus animales determinent, ut huc potius excurrant quam illuc, sola excepta glandula pineali. Quamvis enim qui contrarium sentiunt diversis in cerebri partibus sensus internos locare soleant, non tamen audent partes illas distincte describere, de quo antea allegatus *Diemerbroëckius* consuli potest.

§.XIV. Facile etiam evincitur, ad motum, & sensum praestandum necesse esse, ut spiritus animales per certos tubulos, & meatus e cerebro excurrant, quae excussio placide & tranquille fieri nequit, nisi a certa cerebri parte moderetur, ipsique spiritus ita determinentur, ut potius hos aperiant poros quam alios. E quibus nunc colligo quod illa cerebri pars huic muneri consecrata debeat esse 1. mobilis, 2. spiritus animalibus undiquaque cincta, 3. in aequilibrio posita, vel saltem in conatu movendi, quemadmodum corpus sphaericum in fontibus artificialibus saepius ab aqua saliente in aequilibrio servatur, vide *Broechuysen oeconomiam animalem*. 4.

unica,

unica, ne unum objectum duplex appareat, quod requisitum prolixius traditur apud *des Cartes*, *de la Forge*, *Craanen & alios*.

§. XV. Praeterea insignis quaedam requiritur cavitas, in qua tanquam in promtuario, & receptaculo spiritus animales detineantur positi in indifferentia, quo levi nacta occasione eo versus potius fluant, quam versus aliud: tale autem ipsis assignandum est receptaculum, ad quod nervi totius corporis pertingant: unica enim ex enumeratis deficiente conditione motus, & sensus integri peragi nequeunt, sed nullum aeque in toto cerebro datur negocio huic aptum natum praeter cavitatem illam insignem, quam quatuor venticuli constituunt.

§. XVI. Et certum est mentem non immediate junctam esse spiritibus animalibus, neque illos se ipsos determinare, alias vis haec & potestas in affectibus soporosis, & morbis convulsivis facile se explicaret. Quum tamen contrarium potius observemus, adeoque potestatem illam mentis in corpus limitatam esse merito dicamus.

§. XVII. His tandem hoc adhuc addimus jamdum in confesso, hominem, si sua humanitate exuatur, resolvi in duas partes essentiales, substantiam immaterialem sive spiritum, & materialem sive corpus, hoc est animam & corpus, adeoque ex his duabus substantiis componi, quae nexum arctissimum inter se habent, ita ut corpus agat in mentem, & mens vicissim in corpus, unde mutuum illud oritur commercium, quod copulam, vinculum, conjunctionem, vel etiam vitam alii vocarunt.

§. XIIX. Quibus praemissis apparet luce meridiana clarius, glandulam pinealem conditiones superius enumeratas adimplere. Haec est sensus communis: haec verum imaginationis organum, omnesque actiones, quas corpus nostrum cum brutis communes habet: ab hoc sensorio tanquam praecipuo instrumento motus recipiente, & spiritus animales determinante dependere videntur: sed cum non sit hujus loci de his agere, neque scopus nostrae dissertationis id permittat, relinquimus usum hunc illis, qui in physicis ex professo de hac materia agunt, inter quos non prostremi sunt *Le grand in tract. de carentia sensuum in brutis & A. D. in tract. de l'Ame des Bestes*.

§. XIX. Alius enim longe nobilior usus hujus partis se in homine offert, dum ex omnibus rationibus in prioribus allatis non solum sed & actionibus tam vitalibus, quam animalibus palam fit, *glandulam pinealem* esse solium, tribunal & sedem mentis, pro cujus voluntate varias subit determinationes, varieque inclinatur: hinc certas semper cogitationes mentis juxta imperium, quod anima habet in omnes corporis partes certi etiam sequuntur motus. Sicuti enim Rex pro sua voluntate subditos gubernat, hique ejus alacriter exequuntur mandata, sic mens ceteroquin toti corpori juncta voluntatem suam, & imperium in corpus mediante hac glandula revelat, & vicissim hujus ope omnes motus inconsuetos corpori suo illatos percipit, adeoque vario modo *glandulam* hanc inclinando varie spiritus animales determinat, ut nunc hos aperiant nervorum tubulos, nunc vero alios; nec non prout *glandula* haec ob aliam atque aliam cursus spirituum animalium formam inclinatur, occasionem nanciscitur alias atque alias concipiendi ideas, ejusque motibus, vel determinationibus peculiares nectere cogitationes, ut de hoc imperio dicere possim, quod *Virgilius de AEolo* scribit:

—— Speluncis abdidit atris,
—— Molemque, & montes insuper altos
Imposuit; Regemque dedit qui foedere certo
Et premeret, & laxas sciret dare jussus habenas.

XX. Quod si absurdum tibi videatur mentis solium inter nates, testes aliasque par-

partes ponere vilioribus donatas nominibus, sciendum nomina haec externa esse nec ullam cum functionibus habere affinitatem, imo majus posse elici absurdum, si terminis inhaerere velimus, dum anima tota in toto esse dicitur; sic enim tota erit etiam in partibus ignobilioribus actionibus destinatis; unde argumentum hoc frivolum esse censeo, quod vix dignum sit, ut ad illud respondeatur.

§.XXI. Neque nostrae obstat assertioni, quod multi Medici spirituum animalium in ventriculis cerebri generationem in dubium vocent, variisque impugnent argumentis, quorum aliquot satis speciosa tradit *celeberrimus noster Willisius*. Si enim loci istius conditio spectetur, facile apparet, peculiari usui hanc cavitatem destinatam esse. Et vel solus ille arteriosus contexus nunquam alibi conspicuus, neque cerebro adhaerens evidenter demonstrat, sanguinem pro nutritione eo non deferri: quid enim opus erat tanta cavitate, cum succus nutricius torrentis instar omnes poros trajiciat, & per arteriolas per cerebri substantiam sparsas facile dispensari possit; is etiam qui residuus manet per vasa lymphatica levi negocio refluat, dum interea sanguis qua sanguis per venas cordi iterum adducitur.

§.XXII. Verum duo monstrosa nunc occurrunt exempla, quae assertionem nostram hactenus stabilitam de ponte dejicere conantur, & ipsa etiam, quibus tota moles incumbit fundamenta concutiunt, ut nil nisi ruina totius eadificii expectari possit, nisi maturo consilio impetus hic avertatur. Unum suppeditat nobis *Stenonius*, Florentia ita scribens: *in monstro vivente quatuor diebus defuit conarium. Testudo capite amputato reperta fuit, quae pedem movit suum quatuor post diebus. Hic nulla fuit cum conario communicatio. Et prout haec res videtur grave vulnus inflixisse dogmati Cartesiano, ita ejus sectatores hic locorum incumbunt vulneri illi curando*. Alterum desumsi ex *ephemeri. Gallorum*, quando *tomo tertio Denys* fatetur, quod dissecuerit caput infantis in partu laborioso extincti, in quo nec cranium nec cerebrum invenire potuerit, nisi quod crudam quandam massam in occipitio observaverit. Motus infantis hujus tempore gestationis, & aliquot diebus ante partum fuit ordinario vehementior, quem in ipso partu mater adhuc satis vegetum percepit, donec intra angustias suffocaretur. In his corporibus defuit conarium imo ipsum cerebrum, quomodo ergo haec glandula erit immediata animae sedes, & quomodo ab ejus inclinatione spiritus nimales determinari poterunt?

§.XXIII. Resp. notandum esse quoad prius, exilitatem hujus glandulae quaerentibus non raro fucum facere, & oculorum aciem eludere; nisi enim cerebrum adhuc calidum inspiciatur, saepius inveniri nequit, quanta quanta sedulitas etiam adhibeatur. Hocque facilius fit in infantibus recens natis, & animalibus junioribus, in quibus brevi tenues evanescit in auras, vel in lympham abit. Interim nec volumus nec possumus expertissimi hujus Anatomici fidem in dubium vocare, sed respondemus, quod idem hic contigerit, quod in defectu aliarum partium, & interiorum viscerum saepius fieri observatur, dum aliud quid substituitur vicem partis deficientis supplens; unde facile etiam fieri potuit, ut in monstroso hoc capite aliquid glandulae analogum alio in situ substitutum fuerit, quod spiritus animales in tantum, quantum motus ille obscurus requirebat, determinare potuerit. Quod testudinis motum attinet, ille non fuit ortus a spiritibus animalibus in partem illam determinatis, sed a vaporibus, & particulis aliis fluidis, per interstitia fibrarum adhuc natantibus, & facilius quidem tales motus post mortem in partibus adhuc cientur, quando vel calor accedit, vel partes acu punguntur, quod in viperis, lacertis & corde evulso manifeste videmus, quale quid in ovibus aliisque animalibus recens mactatis quoque observatur: sunt autem motus illi vagabundi, convulsivi & spasmodici, qui absque conario facile peragi queunt.

§.XXIV. Ad posterius allatum exemplum respondeo, in cruda illa & carnosa massa latuisse quid cerebro analogum, quod vel inde facile colligo, quia ipse historiae Auctor vasorum cordis cum vasis hujus massae carniformis anastomosin beneficio injecti liquoris exploravit. Si ergo vasa arteriae carotides, & jugulares venae eo abierunt, dubio procul adfuit locus qui spiritus animales recepit, & ex quo beneficio partis alicujus eos prementis, & determinantis pro motu praestando excurrere potuerunt. Quod si haec responsio tibi minus arrideat, audi alteram ab ipso Auctore datam, quod nempe spinalis medulla vicem conarii subierit, verba ejus haec sunt. *Pour ce qui est de la troisieme Question Scavoir d'òu proveneit le mouvement violent de cet Enfant. On peut dire en premier lieu, que n'y ayant point en de cerveau pour recevoir les Esprits, & pour les distribuer à toutes les parties, la Moelle de l'Espine ne laissoit pas de les recevoir par le moyen des Arteres carotides, & vertebrales qui l'arrosent, & ainsi elle pouvoit suppleer an defaut du Cerveau, & envoyer beaucoup. d'Esprits aux parties par le moyen des Nerfs qu'elle produit. Et cela est si vray semblable, que quand mesme le cerveau se trouve dans sa conformation ordinaire, la Moelle de l'Epine, qui n'est autre chose, que le Cerveau allongè, ne laisse pas d'estre l'origine de tous les Nerfs, & de fournir par leur moyen des Esprits aux parties, pour les entretenir dans leur mouvemens, ce qui se prouve, parce que ia seule inspection nous fait voir manifestiment, que tous les Nerfs immediatement de cette Moelle, c'est a dire ou de ses racines qui sont contenuës dans le crane, ou de son tronc qui est renfermè dans la cavitè des vertebres depuis le grand trou Sphenoide jusque aux lombes.&c.* Et paulo post: *Le Cerveau don ne servant qu'a cribler les Esprits & a les temperer avant que de les distribuer aux parties, nous pouvons-dire que n'y ayant point en de Cerveau dans l'Enfant, que novus avons dissèque les Esprits passoient des Arteres dans les Nerfs avec toute l'agitation qu'ils avoient reçeu dans le Coeur, C'est pour quoy ses mouvemens devoient estre plus violentes, qu'ils ne sont d'ordinaire.*

§.XXV. Vidimus hactenus statum *glandulae* naturalem, restat ut progrediamur ad statum *praeternaturalem*, hoc est, ut describamus quomodo a caussis morbificis a statu suo naturali deturbetur, & quid in nonnullis iisque gravioribus morbis capitis patiatur. Nolo autem hic crambem bis coctam apponere, & ad nauseam repetere, quomodo *glandula haec pinealis* se in somno, & vigiliis habeat, quod in physiologicis abunde satis inculcatur, & ab ipso *des Cartes* ejusque interprete *de la Forge in tract. de homine* evidentissime explicatur. Neque etiam hae sensuum affectiones praeternaturalem statum inducunt, nisi forte valde excedant, tunc enim machinam demum concutiunt, oeconomiam turbant, & functiones partium laedunt. Saltem haec est mea intentio, ut ostendam quomodo violentae *glandulae* concussiones, contumaces determinationes, obstructiones, aliaeque laesiones gravissima, & horrenda inducant symptomata, & quomodo stupendi quidam effectus per nostram hypothesin explicari possint, quae ab aliis vel omittuntur, vel ita declarantur, ut explicatio plures involvat difficultates, & majori egeat illustratione, quam res ipsa, quam per caussas explicare conantur.

§.XXVI. Ejusmodi symptomata in Maniacis, Phreneticis, Catalepticis, Ebriis, & qui tardioris sunt ingenii, & obtusi judicii frequenter in praxi occurrunt, quorum pauca brevibus declarabimus. Praemitto autem, *glandulam* hanc saepius in sinu suo calculos gestare, nonnunquam totam lapidescere, & in tophum mutari. *Celeberrimus Sylvius* diversis vicibus in illa invenit arenulas, semel etiam exiguum subrotundum calculum pisi quartam partem aequantem vidit: *& Florentius Schuyl in praefat. ad lib. des Cartes de homine* fatetur, se calculum plus quam dimidium glandulae occupantem in ea reperisse. Quae rariores observationes *Bartholino* inserviunt pro speciosa quadam objectione, cui respondet *de la Forge*,

poro

pororum structuram sufficere adhuc potuisse, ut spiritus animales illos permeantes non obstante duritie certam cursus sui formam servaverint. Quibus addimus: hos homines dubio procul fuisse in actionibus suis edendis pigros, & minus alacres, quod illibenter concedere videtur *Diemerbroëckius*. Vel humorem coagulantem in statu morboso paulo ante vel etiam post obitum demum glandulam occupasse ubi omnia turbata sunt, & peregrinae fermentationes admittuntur. Neque enim tantum temporis spatium ad calculi generationẽ requiri videtur, quum ipsi etiam lumbrici cito citius in morbis malignis generentur, & adolescant. Non minor quoque varietas in glandulae crassitie, & longitudine pro temperamentorum diversitate statuitur, ex quibus contingere videtur, quod homines saepius non aeque promti sint in actionibus animalibus, quod si fiat, ut haec successu temporis, & aetatis ratione mutentur, & ad statum naturalem redeant, tunc Boëtum in patria nati postea vero inter gentes quam maxime excultas adulti lauream reliquis non raro praeripiunt.

§.XXVII. In phrenitide (quod in ebrietate quoque contingit) spiritus animales jugum excutiunt, unde sublata ipsorum indifferentia *glandulam* impetuosius, & constantius non sine gravi mentis passione concutiunt, ut tandem mens non amplius sui compos non attendat ad suas perceptiones, sed obtorto quasi collo, & victa constantibus, & efficacioribus *glandulae* impressionibus, quas spiritus animales per cerebrum discurrentes, & vetera aperientes vestigia radiationibus suis super eam producunt, *glandulam* versus illam ventriculorum regionem determinat, qua nervi spectant istorum organorum, quae motus perceptionibus illis nexos exequi solent, non attendendo, quod ipsa machina in praeceps agatur, maximumque vitae incurrat periculum. Tragicum & commiseratione dignum casum memini mihi relatum fuisse Pragae Boëmiae, quem Medicus istius civitatis *Dobrensky de Nigro Ponte* inseruit *tom. 1. ephemer. Medicorum German.* Contigit ut in pago quodam illustrissimi Dn. *Comitis de Millesimo* quidam robustus vir febri maligna vel Ungarica corriperetur, qua incrementum sumente, tantum delirium successit, ut septem personae fortes habuerint, quod agerent cum aegro, ad eum continendum. Objectum autem delirii ejus erat, *ventrem suum scatere vermibus seu lumbricis*, unde se torqueri ab iisdem affirmabat. Post aliquot dies videbatur delirium remittere, unde ad quietem sese componente aegroto, adstantes quoque quiescere coeperunt. Interea patiens, omnes alto somno stertentes conspiciens, seque liberum ad motum persentiens, novo oestro delirii percitus, ventrem aggredi, & ut robustus erat, umbilico excerpto intestina continuato ordine extrahere coepit, in tantumque extraxit, ut jam medietas illorum educta fuerit. Interea nescio an casu aut studio unus ex adstantibus quid agat patiens aspiciens, eundem crudeli labori implicitum advertit convocatis sociis, adque impediendum aegrum sese accingentibus obtestatus eosdem est aeger, ut se sinant & non turbent in extrahendis e corpore suo lumbricis. Non diu perstitit sic aeger, sed sensim imminutis viribus crudelis laboris pertaesus obiit. Ego nullus dubito, quin hic aeger de vermibus olim cogitaverit, vel audiverit illos abdomen nonnunquam profodere, quum itaque hoc in morbo spiritus animales a veneno jam in motu suo placido turbentur, mirum non est, si in tale vestigium sua raritate altius, & distinctius cerebro impressum incidant, & similem metum eundemque constantem in *glandula* producentes mentem turbent, ut illa graviori passione victa omnia illa exequi statim insurgat, quaecunque a spiritibus mediante *glandula* suggeruntur, hinc desperata remedia ad avertendum minus aliquod incommodum malo consilio Consultori pessimo in subsidium vocat. Nec ob praecipitantiam ad caussam istius erroris agnoscendam redire potest, eoque ipso quo omnia sua ratiocinia non usurpat in miseriam hujus morbi incidit. Multo minus ad consideranda nova objecta

induciae conceduntur: hinc *glandula* a continui solutione, dum cruentae manus proprium in corpus involant, aliter determinari nequit, nec ipsi spiritus aliam radiationem suscipiunt, quum prior illa inclinatio multo constantior, & efficacior sit. Ubi Mero sanguis incaluit, similes perversi motus in ebriorum actionibus saepius observantur, de quo si plura desideres lege elegantem *Curtii disputationem de ebrietate.*

§.XXIIX. Iisdem ex principiis elucet nunc status *glandulae* in melancholia, quae vel haereditaria est, vel a morbo (atram bilem vulgo accusant) vel a sex rebus non naturalibus, ut plurimum tamen a terrore, metu & tristitia inducitur, utpote quarum passionum magna vis est in sanguinem. Peccant autem spiritus animales, quod vel crassiores sint vel vitiose moveantur, tunc enim radiationibus suis perpetuum quasi insomnium super *glandulam pinealem* excitant, ut ex male nexis radiationibus mens horrendas concipiat ideas, vel aliud quoddam phantasma nullibi existens veluti praesens contempletur, cujus rei plura exempla adduci possent. Remittimus autem lectorem brevitatis gratia ad *Brocuysen*, qui sua a *Craanenio* hausisse videtur.

§.XXIX. Et quum melancholia facile quoque degeneret in maniam, videndum nunc porro, quid *glandula* hoc in affectu patiatur. Deprehenditur autem major irregularitas partium tum sanguinem tum spiritus animales constituentium, unde *glandula* instar campanulae petulanter agitatae a fortioribus irruentibus spiritibus animalibus sine ullo ordine concutitur, ex quo inordinato in *glandulam* impetu mille oriuntur in mente cogitationes, & innumerae saepius absque ulla connexione eliciuntur ideae, juxta quas incongrui sermones, incompositi gestus, cantus, versus, aliaque sexcenta stupenda proferuntur. Prout nempe spiritus a vestigiis, vel imperio mentis cerebro impressis, vel etiam a solis spiritibus ab objectis olim determinatis factis, in cursu modificantur, & aliam atque aliam suscipiunt radiationem. Quod si *glandula* in tantum vexetur, ut fibrillae motrices dilacerentur, perpetuum oritur delirium, & mania redditur incurabilis, tuncque

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Quum caeteroquin per intervalla recurrere soleat, & toties novum inducat paroxysmum, quoties novum superveniens fermentum, vel alia etiam materia aetherea sanguinem, & spiritus impetuosius moveat.

§ XXX. Tandem de catalepsi agendum erit, de cujus caussa Medici acriter contendunt. Nos dicimus libertatem quaqua versum determinari *glandulae* ab obstructione a particulis viscidis illam cingentibus vel unum saltem latus occupantibus denegari. Et tunc determinatio ante obstructionem facta jus suum tam diu retinet, donec mobilitas glandulae convenientibus remediis restituatur: hinc corpus talem quoad omnes partes retinet situm in quo tempore invasionis erat. Qua posita caussa omnia phaenomena hoc in affectu apparentia eleganti ordine explicari possunt, quod ante plures menses doctissimus quidam juvenis hac in cathedra cum omnium applausu tentavit. Novi quidem aliis haec non placere, qui propterea spirituum animalium coagulationem, vel etiam quandam eorum congelationem fingunt. Verum adeo multis se implicant contradictionibus, ut merito illas cruditates ipsis digerendas relinquamus.

§.XXXI. Mediante hac *glandula* potest Daemon horrendas corporis concussiones, convulsiones, contorsiones, ululatus aliosque perversos gestus in obsessis excitare, si illi se jungens ex Dei permissione spiritus animales mille modis determinet, salvo interim manente liquore vitali, & per vasa sua circulante.

§.XXXII. In curatione praedictorum morborum hoc observari velim, medicamenta facile ad ipsam *glandulam* deferri posse mediante sanguine, & spiritibus animalibus, quibus innatantia ad glandulam usque deferuntur, eamque pro rei

ne-

necessitate ab obstructione liberant, vel partes nimis volatiles figunt, vel fixas volatilisant. His scopis satisfacere quoque possunt venae sectio & scarificatio, praeprimis si arteriae temporales incidantur, & aures frequenter scarificentur, de quibus plura in Collegio practico.

Nos receptui canimus, & Deo pro sua gratia immortales dicimus gratias, qui sit benedictus in saecula saeculorum amen.

DISPUTATIO XXIX.

DE GENERATIONE HOMINIS IN OVO.

RESPONDENTE

DOMINICO BEDDEVOLE, Genevensi.

THESIS.

I. **D**E generatione hominis acturus in antecessum ab omnibus notari velim, solum corpus humanum generatione produci; illud enim generatur, quod ex praeexistente materia producitur, at solum corpus ex praeexistente materia producitur, quum mens utpote immaterialis ex praeexistente materia oriri nequeat. Quocirca immediate a Deo producitur, & creationis ope existit; ac proinde generationi cuidam naturali, sicut corpora naturalia, ortum suum non debet. Nihilominus homo generari dicitur, quamvis pars ejus principalis creatione oriatur, quia corpus generatum est caussa occasionalis mentis humanae, illiusque unionis, qua duae istae substantiae toto coelo discrepantes inter se ita conjunguntur, ut compositum quoddam, hominem nimirum constituant.

II. Unde colligas creationem mentis humanae a lege quadam naturali, Deum legislatorem habente, pendere; qua quotiescumque solito naturae cursu corpus humanum generatur, mentem creare, eamque isti corpori unire constituit.

III. His praemissis hominis generatio non erit explicatu perdifficilis: quoniam solummodo sufficit, si quomodo corpus humanum generatur, probe cognoscamus, ut mentis illius, quae ipsi unitur, origo clare nobis innotescat. Nam positis iis, quae superiori thesi diximus, mens humana a corpore, & a Deo quodammodo procedit: a corpore quidem tanquam a caussa occasionali, a Deo vero tanquam a caussa efficiente & producente; hoc corpus non est caussa efficiens mentis humanae, sed occasio duntaxat, quae Deum ad productionem mentis invitat juxta leges ab ipso in rerum natura positas.

IV. Ad unionem autem mentis cum corpore quod spectat, eam ex eadem caussa mens proficisci statuendum est: nulla enim inter corpus & spiritum intercedit essentialis connexio, quapropter illa unio mentis cum corpore hominem constituens a natura mentis, aut a natura corporis emanare nequit: quo circa ab ipso Deo, qui duas istas substantias conjungit, eam unionem & conjunctionem produci existimandum est; qui ad mentis humanae creationem generatione corporis invitatus, ab eadem corporis generatione invitatur ad mentem corpori uniendam.

V. Quae quum ita sint, primo videndum erit, quomodo generetur corpus, postea quomodo mens a Deo producta isti corpori uniatur, quo peracto productionem hominis nos satis exposuisse existimamus.

VI. Neminem vero latere puto, corpus humanum esse machinam tot tubulis, vasis, elateribus, humoribus, &c. constantem, ut ea, quae de illa Anatomorum industria, & experientia detexit, sint minima pars eorum, quae adhuc detegenda

genda supersunt; propterea opus arduum sane aggredimur, istius machinae generationem explicare tentantes, quod tamen summi Numinis auxilio nos absoluturos esse confidimus.

VII. Neque enim hic prolixe demonstrabo, ex qua materia producatur corpus humanum; an ex spermate utriusque sexus inter se commistis, ut vult Medicorum vulgus? an ex sanguine menstruo, ut censuit Aristoteles? an ex ovo contagio quodam spermatis virilis in utero producto, ut arbitratur Harvaeus: an denique ex vesiculis illis, quae in testiculis mulierum existunt, & quae a variis Anatomicis ovorum nomen sortitae sunt, ut existimat Regnerus de Graaf, fiat & oriatur? sed ultimam sententiam statim assumam, tanquam rationi & experientiae magis consentaneam. Argumenta autem quibus nititur, & experientias quibus fundata est, in dissertatione, quam auxiliante Deo disputationi praemittam, coram auditoribus enarrabo.

IIX. Unicam interim in scenam introducam rationem, quae aliorum sententias evertere, & uno ictu profligare videtur. Equidem non possum admittere sententiam illam, quae ex commisto utriusque sexus spermate corpus humanum oriri statuit: ex eo quod illa commistio, seu potius confusio spermatum informi cuidam corpori producendo magis, quam corpori humano originem praebendo, apta videtur. Hinc istius sententiae fautores virtutes plasticas, omnibus facultatibus occultis magis occultas, in subsidium vocare coacti sunt, ut quomodo ex confusione duorum liquorum corpus humanum oriatur, explicare valeant. Praeterea hanc sententiam aeque ac sententiam Aristotelis, Harvaei experimenta funditus evertunt, qui duobus fere primis a coitu mensibus in damarum & cervarum utero, ne vestigium quidem spermatis, aut sanguinis invenit: adeo ut exerc. 68. lib. de generatione animal. dicat: *in canibus, cuniculis. aliisque plurimis animalibus, expertus sum nihil prorsus in utero post coitum per aliquot dierum spatio reperiri.*

IX. Ad Harvaei vero sententiam quod attinet, nimirum in utero efformari ovum, ope contagii cujusdam spermatis virilis, veritati non esse consentaneam ex eo manifestum evadit, quod in avibus, aliisque animalibus oviparis, ova ex coitu cum maribus non generentur. sed in ovario existentia potius foecundentur, quod vel in vulgus notum. Si igitur contagio spermatis maris ova foecundentur, non vero producantur, quare in utero mulieris spiritus e spermate viri exhalati post multorum dierum spatium ovum aliquod producent; quomodo fiet hujus ovi germen, & tandem formabitur foetus? Sane quamvis corpus humanum re ipsa formetur ex ovo, attamen haec sententia Harvaei de productione ovi in utero materno animum difficultatum laqueis irretitum expedire nequit.

X. Quo circa existimamus nos vesiculas illas, quae in mulierum testiculis reperiuntur, esse vera ova, e quibus, & in quibus generatur corpus humanum; quod propter hasce tres rationes potissimum asserimus. Prima est, quod a testiculis in uterum non dentur vasa, per quae sperma in uterum deferri possit: quippe corpora illa nervea, quibus testiculi uteri fundo annectuntur, sunt potius ligamenta, testiculos in suo legitimo situ detinentia, quam vasa deferentia, ut quidam arbitrantur; hoc patet ex eo, quod nulla cavitate excavata sint, cujus beneficio humor aliquis e testiculis in uterum transmitti queat. Tubae Fallopianae dictae, talia vasa esse non possunt, quia nullam communicationem cum interioribus testiculorum partibus obtinent, sed parte foliaceae extremitatis membranae testiculorum duntaxat adhaerent. Atque hoc argumentum ex anatomia desumtum, eorum sententiam refutat, qui sperma muliebre cum spermate virili in uterum effundi autumant.

XI. Secunda ratio ex eo desumitur, quod in cuniculis postquam foemina in maris amplexus venit, circa eas vesiculas, quae intra testium membranam continen-

tinentur, corpora quaedam glandosa oriantur, quae ipsam testium membranam quoque afficiunt: hinc quodlibet eorum in parte sui posteriore, & testiculi partem interiorem spectante crassius evadens, ovum, sive vesiculam, quam undique circumambit, e corpore testiculi educit: quo modo ova foecunda e testiculis educuntur, & in tubas Fallopianas tunc temporis testiculis adhaerentes deponuntur. Quamdiu autem nullum in utero existit conceptionis vestigium, ut primis post coitum diebus contingit, vesiculae, sive ova in suis corporibus glandosis reperiuntur: si vero jam aliquod conceptus primordium in utero existat, corpora illa glandosa testiculis quidem adhaerent, sed cavitas eorum media sua vesicula, sive suo ovo destituta conspicitur, ut ex observationibus Regneri de Graaf manifestum fit. Idem quoque in aliis brutorum corporibus observatum est: si autem corpora brutorum generentur ex ovis in testiculis foeminarum collatis, & eadem ova in testiculis mulierum reperiantur, cum organis essentialibus eodem modo dispositis; quidni statuemus corpus humanum easdem naturae leges agnoscere, quas caeterorum animalium corpora in sui generatione agnoscere solent.

XII. Unde sequitur in utero post coitum per aliquot dierum spatium nihil reperiri debere; quia quandiu ovum in testiculo adhuc existit (ut ibi commorari debet, donec formato corpore glandoso in alterutram turbarum uteri deponatur) in utero nullum conceptionis vestigium apparere potest. Ex eo autem ratio redditur, quare primo a coitu mense in damarum, cervarumque utero nihil prorsus invenerit Harvaeus; nam in iis animalibus integer mensis consumitur, donec corpus glandosum formatum ovum e testiculo expellat, & in alterutram uteri tubam deponat.

XII. Tertia denique ratio, quae nostram sententiam confirmat, ex variis anatomicorum observationibus petitur; nam non solum sub forma vesiculae, sive bullae primordia foetus in utero reperiri memorant Hippocrates, Harvaeus, Kerkeringius, Diemerbroëck, & de Graaf; verum etiam aliquando mulier reperta fuit, quae foetum in tuba gessit, ut Riolanus ab aliis observatum meminit, & Harvaeus propriis oculis conspexit.

XIV. Si igitur a testiculis mulierum in earum uterum sperma humoris sub forma appellere nequeat; si post venereos amplexus tubae testiculis extremo suo foliaceo adhaereant; si corpus aliquod glandosum circa unum ovum generetur, si unus foetus produci debeat: si corpus illud glandosum in tubam sibi adhaerentem ovum circumcinctum deponat; si ovum, quando non est in corpore glandoso, in tuba aut utero reperiatur; denique si foetus in uteri tuba interdum conspecti sint, qui quaeso, impediri potest, quo minus in ovis in testiculis existentibus, & post foecundationem ad uterum delatis hominem generari existimemus?

XV. Statuimus ergo cum Regnero de Graaf, vesiculas illas, quas testiculi muliebris tunica involvit, esse vera ova, e quibus & in quibus generatur corpus humanum; quae ova spiritibus e sparmate virili exhalatis foecundantur, & beneficio corporis glandosi in tubas deponuntur, per quas ad uteri cavitatem pervenire solent.

XVI. Hinc colligere licet ova in mulierum testiculis semper remanere debere, donec aura seminali spermate virili inclusa foecundentur: quippe testiculi membrana nullibi perforata est, ac proinde ovo exitum concedere nequit; ubi vero aura seminali foecundatur ovum, circa illud corpus quoddam glandosum excrescit, quod membranam testiculi afficiens, ovum ex eo educit, eo modo quo supra dictum est. Quo peracto successu temporis corpus illud glandosum evanescit, & testiculus muliebris ad priorem statum reducitur.

XVII. Itaque constat hominem fieri in ovo. Nunc quomodo absolvatur praeclarum hoc phaenomenon videndum est. Ut autem propositum nostrum assequamur,

quamur, quaenam sit natura ovi hic disquirere consentaneum videtur. Itaque avium, sicut & caeterorũ animalium ova nihil aliud esse vidētur, praeter humores membranis quibusdam peculiaribus involutos, in quibus germen aliquod existit, ex quo producitur animal. Hujus definitionis veritas omnibus manifesta evadet, qui generationem pulli ex ovo contemplari non dedignabuntur. Hi enim asserent, ovum avium albumine, & vitello constare; vitellus est humor, sive liquor flavus albumine crassior in membrana quadam tenuissima contentus, & albumine undique circumcinctus; in ejus superficie duae chalazae sibi invicem diametraliter oppositae collocatae sunt, quae secundum Harvaeum sunt nodi ex substantia membranae vitellum continentis exurgentes, eamque tensam detinentes: cicatricula quoque quapiam vitelli superficies affecta est, quae nihil aliud, quam ovi germen constituit: ut incumbationis ope manifestum fit: quippe ex observationibus Harvaei circa cicatriculam illam bulla generatur, humore limpidissimo repleta, & sua peculiari membrana circumcincta, in ista bulla quarto incubationis die punctum saliens apparet, quod in diastole sese conspiciendum exhibet, in systole vero omnes sensus fugit. Albumen quoque ovi est humor sua peculiari membrana circumductus, qui primum in humorem bullam lympidam replentem abit, quem humorem colliquamentum nuncupavit Harvaeus.

XIIX. Duo illi humores, albumen scilicet & vitellus, in omnibus ovis non reperiuntur, quia omnia animalia ovipara non tamdiu, dum fiunt, in suis ovis commorantur, ut pullus gallinaceus in suo commorari solet: quapropter vitello sive crassiore humore non indigent, qui in alimentum crassius & solidius abeat, ut eo pullus jam robustus nutriri possit. Neque etiam opus est, ut in ovis viviparorum albumen & vitellus existat, quia alimentum suum a matre desumunt, ac proinde vitello in membrana & capacitate ovi contento non indigent, ut robusta facta eo nutriantur. Quo circa quamvis in vesiculis in testium mulierum substantia existentibus, duo humores non reperiantur, concludendum est eas revera non esse ova, ex quibus generatur corpus humanum. Quod obiter hic monendum venit.

XIX. Existimamus ergo, vesiculis, de quibus mentio jam toties facta est, germen inesse, ex quo corpus humanum pullulat; quum scilicet adveniente aura seminali maris ad istam pullulationem germen disponitur; quae dispositio ovi foecundatio, sive conceptio vocatur.

XX. Quoniam autem a nullo Auctore, quod sciam, in quo consistat conceptio, clare & distincte explicatum sit, operae pretium ferre arbitror, si quinam sit hic egregius naturae effectus assequi valeam. Ut autem scopum nostrum assequamur, quodnam sit germen illud, quod post foecundationem pullulat, examinandum venit; postea quid per adventum aurae seminalis huic germini adveniat, sedulo quoque erit inspiciendum. Ad primum quod spectat, germen illud nihil aliud esse, quam corpus animalis formatum existimamus, cujus partes in quiete positae sunt, & eo modo affectae, quo in corpore animalis mortuo, nullum detrimentum quoad sensibiles partes habente, eas esse concipimus: cui in cordis ventriculis sanguinis effervescentia deest, ut non secus ac aliud animal vita plenum existat. Quo circa jam corpus animalis ex ovo oriundi in germine integrum cum omnibus suis partibus continetur, cui nihil aliud deest, ut sese conspiciendum praebeat, quam ut partes ejus praeparato succo nutricio apto ad sensibilem magnitudinem crescant.

XXI. Hic enim non opus est, ut nostram sententiam ulterius explicemus, quia satis clare animo attente legenti patebit; quamobrem ab ulteriore ejus explicatione supersedendo, rationes quibus nititur in apricum deducam.

XXII. Ac primo quidem si considerem auram illam seminalem esse corpus parti-

particulis exilibus, tenuibus, subtilibus, & fermentativis constans: ovum vero humoribus, germine, & membranis constare impossibile est, ut adveniente aura seminali corpus animale, omnium totius naturae corporum maxime compositum ex commistione aurae seminalis cum humoribus ovi exsurgat, nisi in ovi germine omnes animalis partes quasi in compendio existant.

XXIII. Secundo aura illa seminalis varios motus solummodo in ovo, ejusque germine excitare potest: jam autem quomodo, quaeso, corpus animale, in cujus constructione tanta symmetria, tantus ordo, tantaque regularitas observatur, a motu confuso, inordinato, & vario quorundam humorum oriri poterit. Sane si partes totius corporis animalis in ovo jam dispersae existerent, id est, situ & unione: sive cohaesione inter se carentes, ac proinde omnino confusae, motus ille in ovo ab aura seminali productus confusionem potius adaugeret, quam iis tantum ordinem, tantam dispositionem, & adeo regularem inter eas situm, & connexionem conciliaret, ac post generationem animalis habent. Quod quum ita sit, non immerito corpus animale compendiose in germine contineri asserimus.

XXIV. Tertio in seminibus plantarum, inter quorum corticem germen reconditur, plantae illae, quae ex iis produci debent, jam compendiose existunt; ut solertiores naturae scrutatores, se microscopio conspexisse meminerunt. Jam autam si plantae, in quibus tanta symmetria ac in corpore animali non observatur, beneficio ejusmodi germinum producuntur, quare corpus animale eodem modo non fiet? Si pyrus ex. gr. fieri ex semine non posset, nisi in semine illo pyrus jam compendiose existat? qui, quaeso, efficere potest, ut pullus gallinaceus ex ovo gallinaceo, & non alio semper producatur, nisi in eo ovo jam compendiose contineatur: idem de ovis, e quibus generatur corpus humanum dicendum venit.

XXV. His semel positis quid sit conceptio, & quaenam sit ovi in testiculis existentis foecundatio explicatu perdifficile non erit. Quippe quum sperma virile in vaginam uterinam, aut in uterum effunditur, aura seminalis statim exhalatur, & per tubas uteri tunc temporis testiculis applicatas ad ipsos testiculos pervenit, eos subit, pervadit, & ova in iis existentia penetrat, per totamque eorum substantiam diffunditur: si autem ex omnibus ovis unum occurrat, in cujus germinis corculo humor dispositus ad fermentandum cum aura seminali reperiatur, statim incipit ista effervescentia, quae per producendi corporis vitam durare debet; & tunc mulier concepisse sive ovum foecundatum fuisse dicitur. Fermentatione illa semel in corde incepta humores per vasa insensibilia istius animalis insensibilis circulare incipiunt: hinc circa ovum illud corpus glandosum informe producitur, quod procul dubio a partibus ex ovo transpirantibus oriri solet, & quoniam nullae partes transpirantes a parte ovi posteriore, interiorem partem testiculi spectante, in auras abeunt, mirum non est, si in ista parte corpus illud glandosum crescat, donec ovum e testiculo educet, & in tubam uteri deponat: neque etiam mirari debemus, si corpus illud glandosum dum ovum complectebatur crescens, postquam illud amisit, singulis momentis decrementum patiatur, & tandem evanescat; quia ab ovo suum alimentum accipiebat; quum autem non amplius ovum continent, ipsi alimento deficiente, sensim & sine sensu etiam deficere & evanescere debet.

XXVI. Ovum ita foecundatum per tubas Fallopianas ad uteri cavitatem pervenit: hic admodum augetur humoris copia, adeo ut sub forma bullae indesinenter incrementum patiatur; crescit autem bulla, & amplior evadit, quia partes, quae per insensibilem transpirationem ex utero abire solent, per ejus membranae poros transeundo, in eam ingrediuntur; ibi propter occursum humoris ovum, sive bullam constituentis pedem figunt, & partem bullae constituunt. Hinc fit, quod primordium foetus in omnibus animalibus bullam esse observaverint plerique inter peritiores Anatomici.

XXVII. Quae quum ita sint, in corculo germinis semper praeparari credimus humores circulantes; hinc circa ipsum germen fit alia bulla in medio majoris bullae existens, quae humore lympidissimo repletur; membrana vero, quae humorem illius interioris bullae continet, amnion constituit, & illa quae totam majorem bullam complectitur, chorion a Medicis vocatur. Atque hunc esse ortum, tum humorum, tum membranarum foetum involantium existimamus.

XXIIX. Praeterea ex ista bulla particulis quibusdam transpirantibus, sive effluviis continuo exhalatis, generatur placenta uterina, ad quam postea vasa umbilicalia sese extendunt: haec placentae generatio fit eodem modo, quo superius corpus glandosum circa ovum foecundatum in testiculo generari diximus: partes enim illae, quae per sensibilem transpirationem ex ovo sive bulla abeunt, in uteri fundo condensantur, & in corpus, quod propter figuram placentam uterinam vocant, concrescunt.

XXIX. Praeparatis humoribus foetus singulis momentis grandior fit, & post aliquod temporis spatium corculum ipsius sub forma puncti salientis sese conspiciendum exhibet; quod successu temporis cum aliis partibus continuo crescens de se venas, & arterias emittit; hinc vasa umbilicalia sese in humorem primo extendunt, deinde membranas perforantes ad placentam uterinam usque progrediuntur, quam deinde innumeris ramificationibus penetrant, & pervadunt in usum mox dicendum.

XXX. Foetus robustior factus alimentum viribus suis proportionatum requirit, propterea vasa sua umbilicalia in placentam emittit, qui in eam sanguinem afferendo, ejus substantiam nutriunt & augent, ut ejus corpus crassius factum majorem copiam chyli a sanguine materno separet, qui chylus sub forma lymphae membranas pertransit, & intra earum cavitatem effunditur; isto chylo ore assumto nutritur foetus, non vero sanguine materno, ut hactenus existimarunt Medici. Nam vasa umbilicalia in placentam non transeunt, ut ex ea sanguinem foetui nutriendo convenientem depromant, sed potius, ut sanguinem in foetu praeparatum ad eam deferant, ut nutriatur, & ad requisitam magnitudinem perveniat.

XXXI. Atque haec est historia generationis corporis humani, quae proprie loquendo nihil est, quam ortis in partibus requisitis fermentationibus ejus augmentatio: quippe jam totum corpus in germine continetur cum omnibus suis partibus, sed ita exilibus & subtilibus, ut omnem sensuum aciem prorsus fugiant: jam adveniente aura seminali accenditur in corde ignis ille vitalis, qui nihil aliud est, quam fermentatio, & rarefactio humoris per cordis ventriculos transeuntis: hinc succi nutricii fit praeparatio, & humor fermentum ventriculi constituens in illa officina cuditur; hinc crescit foetus & grandior factus sese conspiciendum exhibet.

XXXII. Peracta explicatione productionis corporis hominis, superest, ut de productione illius mentis aliquid dicamus. Itaque non existimamus mentem humanam produci, eo modo quo corpus oriri superius dictum est: quippe quum mens hominis sit res immaterialis, non extensa, & solum substantia cogitans, impossibile est, ut eo modo oriatur ac corpus naturale: nullum germen est, ex quo originem suam trahat, nihil in spermate viri, nihil in ovo mulieris existit, quod principium ejus internum constituat: quo circa eam a Deo immediate oriri censemus; qui sibi hanc legem imposuit, ut quotiescumque ordinario naturae cursu generaretur corpus humanum, mentem humanam, sive substantiam cogitantem crearet, quam creando illi corpori uniret, ut inde oriatur homo.

XXXIII. Inde colligere licet, corpus sive generationem corporis esse caussam productionis mentis tantum occasionalem; id est, esse caussam sive occasionem,

quae

quae Deum ad producendam, sive creandam mentem invitat; non vero esse caussam, quae mentem producat, vel ex qua mens producatur.

XXXIV. Jam vidimus quaenam sit origo corporis & mentis, quae sunt duae illae partes, ex quibus componitur homo, nunc coronidis loco aliquid de compositione, sive unione utriusque illius partis dicendum est. Non existimamus igitur primo mentem corpori unitum iri per mutuum superficierum contactum, quae unio corporibus solum est propria; quia quum anima extensione careat, superficiem habere nequit, ac proinde non potest tangi. Secundo unio mentis cum corpore in mutuo consensu voluntatum posita non est, quia ista unio spiritibus sive substantiis cogitantibus solum convenire potest, ac proinde corpori, utpote voluntate carente, competere nequit. Sed unio mentis cum corpore in connexione quadam consistit, quae inter affectiones corporis, hoc est, motus, & affectiones mentis, hoc est, cogitationes intercedit, qua ad certum corporis motum certa quaedam in mente oritur cogitatio, & ad certam quandam cogitationem mentis, certus quidam in corpore oritur motus. Nulla enim alia est mentis cum corpore unio, & in ea connexione corporis motuum cum cogitationibus mentis, & mentis cogitationum cum motibus corporis consistit illa unio, quae hominem constituit.

DISPUTATIO XXX.

DE CAUSSA PARTUS MONSTROSI, NUPERRIME NATI, HUJUSQUE OCCASIONE DE MONSTRORUM HUMANORUM CAUSSIS IN GENERE.

RESPONDENTE

CHRISTIANO KURSNERO, Marburgensi.

Q. D. B. V.

§. I. MOnstrosus iste partus, quem non ita pridem sub cultro anatomico vidimus, maxima sui raritate spectatoribus admirationem, mihi stimulum peperit, & calcar subdidit, in veras hujus aliorumque monstrorum inquirere caussas, & insolitum hoc argumentum in cathedra physica sub examen vocare. Eum in finem praesentem exhibeo dissertationem, qua breviter ostenditur, quam facile ipsa etiam natura monstrosos in generationis negocio committat errores, dum pulcherrimam, & ab omni parte perfectam intendens machinam, vel inconditam & indigestam molem, vel deforme quoddam corpus, monstri quid alens, non raro producit. Sicuti enim artifices non semper opera perfecta edunt, sed spe sua excidentes saepius titubant; ita ipsa etiam natura subinde in operibus suis a scopo invita aberrat, & quandoque hic bonus dormitat Homerus. Contendimus autem hos naturae defectus mechanice impraesentiarum explicare, ne cum aliis necesse hebeamus, caussas non intelligibiles, e longinquo accersere, vel nescio cujus virtutis plasticae graviorem accusare lapsum. Quod dum facio, spero fore, ut lector benevolus ea quae dicturus sum, non solum castis & faventibus auribus sit excepturus, sed hallucinanti etiam eo facilius veniam sit daturus, quo plures hoc in pelago exsurgunt scopuli, quibus de his naturae arcanis philosophaturus impingere potest.

§. II. A nominis explicatione exordior. Monstrum alii a monstrando derivant, quod vel aliquid monstret, hinc *Cicero lib. 2. de natur. Deor.* statim sub principium

 cipium

cipium vult, quod monstra sint quaedam praesensiones rerum, & quod hominibus ea, quae sunt futura quasi monstrent, & depraedicent, adeoque Dei sint monita, quibus de instanti graviori aliqua calamitate miseri terrae incolae certiores redduntur, unde Poeta *lib. 3. Aeneid.*

Monstra Deum refero.

Vel quod ab aliis ceu portentum, aut prodigium quoddam cum admiratione ab hominibus monstretur, ea namque est hominis natura, ut si quid rarum, vel in coelo vel terra, & praeter consuetudinem occurrat, alteri monstremus. Adeo, ut SENECA *dicit lib. 7. quaest. nat. cap.* 1. naturale est, magis nova, quam magna mirari. Sed nolo crambem hanc toties coctam hinc in limine diutius apponere, neque sub litem vocare, an nominis haec derivatio firmo stet talo, quum ejusmodi bellaria Grammaticorum labris potius digna censeam.

§. III. Describuntur autem monstra a Physicis, quod sint corpora naturalia, a primario naturae instituto propter aliquod impedimentum in caussis circa originem degenerantia, nec ita frequenter ut caetera perfecta corpora existentia, & videntibus ob novitatem, raritatem, & deformitatem horrorem cum admiratione adferentia. Vel brevius: quod sint effectus naturales cum insigni deformitate a caussâ deficiente, & aberrante producta. *Vide Colleg. phys.* EICHSTADII *p. m.* 271. *theor.* 18. & SPERLING. *phys. p.* 207.

§. IV. Et quis inficiabitur dari monstra in rerum natura, quum ea in triplici hujus universi regno quotidie oculis usurpentur. Sua alit monstra regnum vegetabile, & in stirpium genere quandoque errores lapsusque naturae contingunt, id quod jamdudum ab *Aristot. Plinio, Porta, Alpino, & Scaligero* fuit observatum. Multo tamen rarius vegetabilia haec monstra spectantur, quod juxta EICHSTADIUM, in praecedenti thesi allegatum, plantae simpliciorem naturam, rudioraque instrumenta obtineant, quae crebram, magnamque peccandi occasionem in natura vegetabili impediunt. Ejusmodi monstrosarum plantarum iconibus recentiorum Physicorum & Medicorum volumina superbiunt, inter quos videri merentur TULPIUS *in suis observ.* Et NATURAE CURIOSI in *ephemerid.* Si regnum minerale intremus, & mundum subterraneum contemplemur, quae non monstra ibi nobis fiunt obvia? Hic diversi succi metallici in monstrosum coeunt chaos. Alibi mineralia & lapides concrescunt, & monstrosam induunt faciem; saepius metallum a natura sua degener factum in tertium abit, de quibus legi potest KIRCHERI *mundus subterraneus.* Non jam dicam de Pseudo-chymicis, quibus obstetricantibus quandoque ex metallis non metalla fiunt, hoc est monstra, cineres, & terrae, dum nempe sua dilapidant omnia pro lapide, ut venuste cecinit OWENUS *lib. 2. epigr. 9.* Frequentius ipsa etiam monstra in regno animali observantur, quorum historias ego nunc recensere supersedebo, ne illis, quae ad satietatem jam dum ab aliis sunt scripta, nauseam, & taedium lectori pariam. Exempla passim apud Auctores occurrunt, quae elegenti ordine a SCOTTO *in physica sua curiosa per compendium exhibentur.* Videbis ibidem monstra acephala, polycephala, cum brachiis multiplicatis, manibus truncatis, pedibus anserinis. Monstra bicorpora variis modis conjuncta. Infantes cynocephalos, sine collo, monoculos, &c. reperies aves monstrosas, pisces monstrosos, aliaque innumera.

§. V. Verum quum eo non tendat mea dissertatio, ut catalogum monstrorum exhibeam, quod ad caussae investigationem nihil conferet. Sed velitationis meae scopus sit de gemellis monstrosis foeminini sexus nuperrime natis, quas hic delineatas cernis, verba in praesentiarum facere, & in caussas monstrosorum partuum inquirere, in eo meam locabo operam, ut ostendam, quomodo monstrosi errores circa foetus humani formationem in utero materno a natura, vim aliquam a caussarum externa tum interna passa, quandoque committantur. Quae quum

vix

vix intelligi possint, nisi quaedam de natura seminis, de partium delineatione mechanica, & de gemellorum generatione, praemiserim, faciam, ut haec aliaque ad arduum hoc negocium spectantia, quantum per injunctam licebit brevitatem, prius proponantur, quo eo alacrius per viam magis expeditam scopum mihi praefixum attingere queam.

§. VI. Itaque quod seminis, ex quo corpus humanum producitur, attinet naturam, puto rem hic longe aliter se habere, quam in regno vegetabili; in vegetabilium enim semine totum illud jam latet, quod inde germinare debet, sic in semine cucumeris latet cucumis jam delineatus, in nucleo cerasi cerasus, in pini pinus, &c. ita ut nihil novi postmodum generetur, sed partes in ipso semine jam dum delineatae ob succi nutricii e tellure suppeditati adventum ejusque convenientem assimilationem in dies incrementa capessant, dum quaelibet succi nutricii particula ob similitudinem configurationis eo quo secundum leges motus ire debebat, tendit & apponitur, quae omnia accuratissime tractantur a MALPIGHIO *Italo*, & NEHEMIA GREW *Anglo in anatomia vegetabilium*. Verum tale quid de semine humano dicere velle ridiculum esset; quis enim credet, corporis humani partes in semine masculino praeexistere? quis opinabitur, in semine muliebri fabricam totius jam depictam, & adumbratam esse? quum neque ex semine masculino foetus producatur, neque ex semine muliebri partium primordia prodeant, sed tum demum generatio fiat, quando duo hi liquores genitales commiscentur, & unum verum semen constituant.

§. VII. Quamvis autem me non lateat, plures hodierno hoc reperiri tempore Philosophos & Medicos, qui constanter negent, non dari semen muliebre, illudque ceu figmentum quoddam ad Anticyras ablegent, non possumus tamen illis assensum largiri, quum mulieres omnes habeant partes seminis generationi in viris dicatas, quas non frustra a natura datas esse, sed eodem fungi munere existimo, ita ut haec opinio vix ulteriorem videatur mereri refutationem, cujus contrarium vel patribus familias abunde satis innotuit, qui sues per excisionem testium & castrationem ulteriorem prolificationi ineptas reddere norunt. Verum circa hanc sententiam prudenter agendum est, ne madorem illum, quo muliebria frequentius humectantur pro semine habeamus, id quod multis imposuit, quum verum semen extra uterum in ipso ovario recenter dissecto apud succiplenas reperiatur, quod non semel vidimus.

§. VIII. In utroque sexu, & masculino, & muliebri liquor hic genitalis ex subtiliori sanguinis parte eaque valde fermentescibili componitur, cui liquor animalis pondus superaddit, & efficaciam largitur; duo enim hi liquores genitales in mutuum abeuntes consortium colliquamentum illud constituunt, a spiritibus animalibus usque adeo ideatum, ut omnium partium foetum constituentium rudimenta in sinu suo voveat. Ideae illae ope caloris admodum proportionati mediante fermentatione sensim se explicant, ita ut omnes partes a materia lactea per uteri glandulas cribrata paulatim secundum figuram semel delineatam augmentum suum accipiant, & quotidie increscant.

§. IX. Perinde etiam est, sive dicamus cum Neotericis generationem fieri ex ovo, sive ex colliquamento seminali. Quod enim alii semen in testibus muliebribus vocant, hoc recentiores ovum vel ova appellant, quia ipsum semen in innumeris capsulis collectum asservatur, ova non obscure aemulantibus. Modum vero quo ova foecundantur, & in ipsum uterum ad colliquamentum seminale constituendum delabuntur describit Auctor Pansophiae Enchireticae his verbis. Ovarium muliebre, dicit, foeminis tam humanis, quam pure brutalibus competit, & quod antiqui putabant esse testiculos muliebres seminales, moderna anatomia invenit vesicularum aut globorum liquorem aliquem in se continentium esse con-

ge-

geriem, in quibus non aliter, ac ova gallinarum aliarumque animantium, in ovario suo generantur; in magnis, & praestantioribus animalibus, maxime vero homine videtur esse certus numerus, quae natura puella in cellis suis generantur tot, quot paritura est mulier proles: hinc foecunditas mulierum, quorum plus lucis, & sulphuris continentia masculino sexui, aquosiora foemineo debentur. Quando autem mulier in membranis uteri titillationem concipit, mox lubricans liquor ex vagina prorumpens orgasmo libidinoso facit turgere mulierem, unde omnes partes ejus uterinae spiritu seu tenuissimo vapore salino inflantur, ut ita in ovario spatium non sufficiat distensis ovis. Quare mox unum avellitur, aut duo, sed rarius, aut tria aut plura, sed rarissime, & in uterum mulieris per tubas Fallopianas descendunt lentore quodam obducta. Verum res eodem recidit, si dicamus semen muliebre foecundari in congressu ab aura seminali virili: certum equidem est, crassamentum illud seminale, quod in arvum naturae ejaculatur, nil nisi contagium ibidem exspirare, quod per certos ductus ad ovarium muliebre sive testes evectum, & semini ibidem in vesiculis delitescenti afflatum illud foecundat, hoc est, fermentescere facit, usque adeo, ut mole sua turgescens tandem (elapsis nempe aliquot diebus) in uteri ruat cavitatem, & hoc est quod colliquamentum superius vocavimus. Ex quo apparet seminis virilis partem subtiliorem habere se instar contagii, reliquum vero crassamentum ceu inutile terrae pondus sub liquaminis forma ex ipso utero denuo foras eliminari.

§. X. Primaria itaque conceptionis caussa erit fermentatio, a commistione duorum liquorum genitalium introducta. Continua haec inter partes seminis valde activas, lucidas & fermentescibiles, agitatio & concussio efficit, ut aliae partes crassiores, & magis terrestres versus superficiem, & ad latera protrudantur, ibidemque corticem quasi & pelliculam constituant, quo intra terminos & limites reliqui valde mobiles, & facilius detineri possint. Haec illa est pellicula, quae postmodum grandiore jam facto foetu secundinarum nomine venit.

§. XI. Interea aliae partes subtiliores valdeque activae hoc est (acidae & alkalicae) ope materiae mundi subtilissimae sive primi elementi tanto inter se invicem agitantur fervore, ut aliam & a priori longe dissimilem acquirant texturam, & in figura, situ & magnitudine mirum quantum mutentur; quae enim antea sub vestimento candido, & lacteo incedebant, nunc purpureum induerunt colorem, & punctum quoddam saliens constituunt, id quod est primum illud vivens, & ultimum moriens, auctor & principium totius massae sanguineae. Quo ipso facile componere possumus litem, hactenus de praerogativa partium motam, quod enim *Aristoteles cordi tribuit, hoc merito sanguini acceptum referimus*, viventi etiam antequam ulla alia pars solida sit delineata. Neque difficile est subitaneam hanc explicare metamorphosin, quum in re chymica & domestica nil fere frequentius sit, quam liquore ope digestionis, & fermentationis rubicundo tingere colore, & fructibus antea albicantibus solius caloris ope rubicundam conciliare tincturam.

§. XII. Porro alium nunc proportionatae fermentationis deprehendimus in colliquamento effectum; nempe in ambitu guttulae istius salientis, ramosae & irregularis figurae partes a centro sui motus protrusae denuo coëunt, & frequentioribus subsultibus sibi invicem implicitae prima parenchymatis cordis, quod rectius musculus diceretur, rudimenta constituunt. Verum quum a subtilioribus secundum lineam rectam progredi conantibus vim patiantur, coguntur valde spirituosis & mobilibus transitum concedere, quae alacriter qua data porta progredientes in superiori colliquamenti parte vesiculam producunt, ubi postmodum cerebrum generatur. Non poterant enim non partes istae spirituosae in centro stare nesciae alias quasdam crassiores secum abripere, quarum quaedam ceu in torren-

ren-

rente fieri solet ad latera in itinere depositae tunicas constituunt, quibus spirituosae istae partes cinguntur & arteriae postmodum vocantur; quaedam vero emenso jam destinato spatio, quum ad centrum regredi nesciant, cerebrum, alibi vero partes cartilaginosas, carnosas & omnia reliqua viscera efformant.

§.XIII. Quippe quum singulis pulsibus ex arteriis partes quaedam sanguinis egrediantur, hae in coagulum abeuntes hapati, in latere sinistro lieni, paulo inferius renibus aliisque partibus ibidem sitis, imo ipsis etiam ossibus prima sua stamina suppeditant, quumque ipsa fermentatio paulatim fiat fortior, particulae molles & lubricae tandem exhalant & dissipantur, reliquae vero majorem duritiem acquirunt, quae omnia usque adeo clara sunt, ut a quovis facile intelligi possint.

§.XIV. Sed videndum nunc est, quid novi circa cor contingat. Quum enim arteriae ibidem sint breviores, & sanguis recens rarefactus valde spirituosus adhuc existat vix omnem ferre possunt impetum. Verum pluribus prae fervore spumantibus in maxima sui distensione transitum concedere coguntur, quae bullas istas, & cellularum congeriem, e quibus pulmones conflati sunt, componunt: quorum fabrica a recentioribus ope microscopiorum depicta accuratissime huic fabricandi modo respondet.

§.XV. Deinde ipsius cerebri mentis metropolis admiranda structura sese nostris subjicit oculis. Diximus autem ejus infantiam, sub exigua quadam vesicula latere, hujus enim partes aquosae oppido liquidae, vel saltem non adeo viscidae, a spiritibus animalibus continuo eas permeantibus dissociantur quidem ac divelluntur; quae tamen ob nimiam lubricitatem statim collabuntur, ita ut nulla interstitia firma nec stabiles pori in primordiis generationis ibidem formari possint. Ast quamprimum partes istius vesiculae viscidiores, & crassiores cranium, & meninges ceu moenia ipsum cerebrum cingentia constituerunt, reliquaeque interiores spissiores factae semel elevatae constantem talem inter se servare possint situm, & ordinem, nec amplius collabantur, facile quidem fieri potest, ut spiritus animales a cordis motu propulsi ad superficiem excurrant; sed quum ob duritiem meningum, & cranii reflectantur, ita ut vel per eandem regrediantur viam, eademque legant vestigia, quod tamen impossibile videtur vel novas sibi adaptent vias valde obliquas & interruptas, necesse quoque est ut poros etiam valde intortos, & tubulos interruptos efforment, id quod forte in caussa est, quod cerebri cortex cineritium prae se ferat colorem, magis ad nigredinem ob radiorum luminarium in illud incidentium suffocationem vergentem. In interioribus autem cerebri partibus res aliter se habet, quum enim spiritus animales quaqua versum secundum lineas rectas obvolitent, partes cerebri nunc spissiores factas facile propellunt, & in medio earundem ingentem cavitatem, quam cerebri ventriculos vocant, exstruunt, id quod eo facilius fieri ibidem potest, quo plures eo in loco reperiuntur arteriae, spiritus majori in copia advehentes.

§.XVI. Majorem autem difficultatem deprehendo in explicando, quomodo venae & vasa lymphatica generentur, quum per illa vasa humores non evehantur a centro, sed revehantur. Itaque observari velim, vasa illa ex partibus chylosis efformari, videlicet quando sanguis in primordiis generationis a centro ad superficiem colliquamenti tendit, eo ipso momento partes chylosae per uteri glandulas cribratae ejus locum occupare contendunt, quum impossibile sit, dari in rerum natura vacuum; chylosae istae striae toto vitae decursu sibi invicem connectuntur, & tunicas istas efformant, quae postea sua peculiaria sortiuntur nomina.

§.XVII. Ita enim res sese habet in corpore nostro, ut quoties in aliqua corporis regione cavitas reperiatur, quoties cogitare debeamus, in prima generatione ali-

aliquid continuo ibidem oberrasse, quod impedimento fuerit, quo minus parietes coaluerint. Sic ipse canalis intestinalis suam inde nactus est cavitatem, quod chylus ore assumtus parietum collapsum impediverit, qui ad latera protrusus ipsa quoque vasa lactea fecit pervia.

§. XIIX. Quibus praemissis non amplius difficile erit, caeterarum etiam partium generationem, quantum quidem per nostram imbecillitatem licebit, delineare. Sed quum paucae hae pagellae operi huic absolvendo non sufficiant, quo plura enim dicentur, eo plura dicenda occurrent: hinc vela contraho, praesertim quum ea quae forte non attigi, tum ex nobilissimo naturae cultore DES CARTES *in tract. de Foetus formatione*, tum ex subtilissimi CRAANII *theoria* facile hauriri possint.

§. XIX. Hoc unicum adhuc addo, quod motus iste particularum, qui hoc in negocio omne fert punctum, & totius rei caput est, non sit infinitus: omne enim corpus semel motum, tamdiu moveri pergit, donec ab alio impediatur. Atque quo sanguinis particulae longius a centro sui circuli, quem describunt, recedunt, eo plus de suo amittent motu: hinc circa ambitum colliquamenti sanguinis partes valde induratae, vel etiam petrificatae quales sunt osseae, reperiuntur. Imo ipsa cutis, qua foetus cingitur, nullo alio generari potest modo, quam illo, qui legibus naturae est accommodatus.

§. XX. Jam si generationis negocium tanto instituitur apparatu, quomodo quaeso gemelli generantur? ut itaque ordinis habeatur ratio, paucis de ipsorum formatione quoque agam. Quaeritur autem apud naturae symmistas, an gemelli in unico congressu concipi possint, an vero ex superfoetatione suos trahant natales? De hac peculiarem olim scripsit tractatum HIPPOCRATES, & eam sequentibus verbis describit: *superfoetant*, dicit, *part. 2. p. m. 645. §. 2. mulieres, quarum stomachus id est uteri os, post primum conceptum non clauditur ita valde, idque apparentibus signis constat, clauditur autem post superfoetationes, quae posterius insuper patiuntur. Si superfoetatio nondum partium discriminationem habeat, sed caro sit, non quidem intumescit, sed putrescit, donec ex utero exeat*. Ex quibus constat, in ipso utero foetu jam gravido nihilominus novam fieri posse conceptionem. Verum eo ipso nondum evincitur, gemellos superfoetationi acceptos ferendos esse, quicquid etiam hic in contrarium dicat PLINIUS, qui ut suam vendicet sententiam nempe impossibile esse, gemellos in uno congressu concipi, sed unum ex his quoad conceptionis terminum altero necessario fore priorem, argumenta quaedam in scenam introducit, a formae externae diversitate desumta. Videlicet natos esse dicit gemellos, quorum unus parenti, alter adultero similis erat, quo ipso obtinere vult, gemellos non in uno concipi coitu. Verum non videtur operae esse pretium, his argumentis refutandis immorari, nam posito tale quid aliquando factum fuisse, nequaquam tamen evidenter concludere licebit, in diversis congressibus hos gemellos fuisse conceptos, quum faciei similitudo aut dissimilitudo potius imaginationi in stupendo hoc naturae opere efficacissimae, ut paulo post videmus, tribuenda sit.

§. XXI. Vero similius videtur, auram genitalem duo ova uno eodemque tempore & uno in coitu foecundare, quae vel per unicum ascendens ad ovarium canalem suo fungitur munere, vel in bivio constituta per utrumque ipsis testibus afflatur: quod si tunc accedat fermentatio proportionata, & pro rei conditione sufficiens concedatur spatium, gemelli generantur corporis & animi constitutione saepius sibi similes. Mira profecto saepius reperitur inter illos similitudo, specie, vita, moribus, aliquando enim dum alius ridet, flet aut aegrotat, alter etiam laetatur, aut morbo tenetur aliquo. Vid. doctiss. Philos. Schmid. dissertat. de gemellis. Quod si unus post alium conciperetur, non video, quomodo ambo perfecti, & vitales uno tem-

tempore nasci possent. Et quid multis opus est. Bruta marem vel semel admittentia nonne saepius gemellos pariunt? Neque tamen inficiamur ipsam superfoetationem, utpote quae ex caussis, Medicis magis quam Philosophis notis, contingere potest, de qua, si sit officii tui legi meretur *Mauriceau* de morbis gravidarum.

§. XXII. Atque sic luce meridiana erit clarius, corporis nostri formationem, & ortum non a fortuito atomorum, vel particularum confluxu dependere, multo minus illud sine ullo consilio ex accidenti quasi e variis corpusculis combinari, quod impium esset & blasphemum: quis enim erit ingenii adeo vesani, ut hic Dei digitum agnoscere nolit? Quis adeo stupidus, ut non videat elegantissimam hanc machinam juxta constantes leges naturae ab ipso Deo, qui est Deus ordinis latas construi. Recte scriptor *Romanus Seneca* dicit: hominem non esse tumultuarium, & incogitatum opus: nam inter maxima rerum suarum natura nihil habet, quo magis glorietur, aut certe cui glorietur. Cogitavit enim nos ante natura quam fecit: nec tam leve opus sumus, ut illi potuerimus excidere. Nullam hic sibi vendicare potest potestatem Archaeus, vis plastica, vel nescio, quae virtus insita. Auctor naturae ut ubique ita hic claves tenet, omnia gubernat & suum cuique tribuit. Unde non possumus non mirari, quod praestantissimi quidam Philosophi ausi sint, summam divinae providentiae sapientiam, quam in pulcherrima hominis fabrica exhibuit summus omnium Opifex, praefracte negare. Et condonare quidem possemus Poëtis ingeniorum suorum lusus, quando nunc e saxis a Deucalione, & Pyrrha post terga actis homines natos fuisse canunt: nunc Jovem precibus AEnei filii virique optimi commotum formicas, quae in annosa quercu vagabantur in homines mutavisse, dicunt. *Vid. metamorph. Ovid. lib.* 7. Quis enim talia Poëtarum portenta credet? Verum quum nec ipsi Philosophi meliora attulerint, nec alias profecto quam Poëtae fabulas finxerint, operae erit pretium sententiam illorum paucis cum celeberrimo *Parckero* refellere. Nemo vero uberius fabulas has enarravit quam Diodorus Siculus, & Censorinus. Fuere qui sempiternum hominum genus extitisse statuerunt. Alii hominem e terra fortuito, & sine Architecto prodiisse referunt, in qua, quum Mundi initio mollis & lutosa fuerit, atque post inflatam ac quasi fermentatam solis calore superficiem, pustulae quaedam subtilibus pelliculis circumdatae intumuerunt, e quibus tandem, quum maturum accepissent incrementum, omnia animantium genera eruperunt. Quum vero terra subinde magis ab igne solis constiparetur, nihil amplius majorum animalium in vitam producere potuit, sed ex mutua commistione singula generari coeperunt. Censorinus autem repetitis prius Poëtarum fabulis, *de die natali lib.* 1. *cap.* 4. sic pergit: *Quidam ex ipsis sapientiae Professoribus nescio an magis monstrosas certe non minus incredibiles rationum suarum proferunt opiniones. Anaximander Milesius, videri sibi ex aqua terraque calefactis exortos esse sive pisces, sive piscibus similia animalia, in his homines concrevisse, foetusque ad pubertatem intus retentos, tunc demum ruptis illis viros mulieresque, qui se jam alere possent processisse. Empedocles autem primo membra singula ex terra quasi praegnante, passim edita deinde coiisse, & effecisse solidi hominis materiam igni simul & humori permistam. Haec eadem opinio etiam in Parmenide, pauculis ab Empedocle dissensis. Democrito vero Abderitae ex aqua limaque primum visum est homines procreatos. Seu* (uti refert Lactantius) *vermicularum modo de terra, nullo ductore, nullaque ratione effusos. Nec longe secus Epicurus. Is enim credidit, limo calefacto uteros nescio quos radicibus cohaerentes, primum increvisse, & infantibus ex se editis ingenium lactis humorem materiam ministrantem praefuisse, quos ita educatos & adultos genus hominum propagasse. Id quod quoque cecinit Lucretius.*

Crescebant uteri terrae radicibus apti &c,

usque adeo delirarunt Philosophi! non videntes, quod si hominum genus ab

aeternis saeculis genitum esset, factum id esset, vel a caussa rationis compote, quam Deum appellamus, vel experte: sed quis credet, membra singula primum e terra edita fuisse tum deinde in corporis humani figuram coivisse? At quo semine orta sunt, aut quis cujusque membri fabricationem perfecit? Quis enim in brachio tam commode musculos extruxit, ut omni motus rationi inservirent? Quis ejus extremitatem in digitos distinxit? Quis digitorum internodiis musculos perforantes, & perforatos inseruit? Atque quum e terra emerserit, cur potius humero se applicuit, quam capiti aut coxendici. Et denique qui cum magno illius osse articuletur? At tam excors esse nequis, qui credas singulis membris vitam aut motum aut quamvis functionem inesse posse, antequam totius fabricae aptentur. Sed si nos e mari emersisse dixeris? Intuere quaeso humani corporis fabricationem, intelliges, illud nullo modo sine opifice extrui potuisse. Quorsum itaque fabulas fabulis accumulare pergas? Cur enim non ab initio terrae incolae gignantur. Novum monstrum est, ut e bestiis aquatilibus fiant terrenae, atque ut pisces dum terrae se assuescunt, tandem in homines mutentur. Sed quid de Epicuro dicemus, homine, qui omnes vitae rationes in ipso posuit ventriculo, nec unquam coelestis felicitatis sedem explorare cogitavit. Mirum quod non crediderit, infantes in hortulis nasci, vel ex puteo extrahi, ut nobis pueris nutrices persuasisse memini. Tu vero Democrite, quem non modo virum doctum & acutum, sed & anatomicis dissectionibus maxime exercitatum ajunt, tu, inquam, qui omnium animalium viscera inspexisti, tu qui venas, qui medullas, qui abditas quasque partes perscrutatus es, nihilne tu videre poteras, quod opificis rationem efflagitaret? An quid imprudenter, quid non concinne, quid non affabre, quid non optime constitutum reperias? quid quaeso in corpore humano sunt machinae, quam praeclara cujusque partis officia, quae innumerabilis partium varietas, quantus organorum apparatus, quae congrua singulorum magnitudo, figura, situs & dispositio, quam apta ad invicem connexio, ut tametsi tot innumera concurrant organa, tamen tantum abest, esse alterum alterius impedimento, ut quodque mutuo cujusque auxilio adjuvetur. Quid ergo Artificis solertiam laudare posset, quod in hac summa machina non reperitur? Quid tu ipse desiderares? an elegantiam, an utilitatem, an varietatem, an symmetriam? dicas ergo qui tu ipse quicquam nisi in deterius immutare possis. Quod si in mundi initio locis quibusdam paludosis tumores sive uteri quidam e limo calefacto increverunt, quibus tandem perruptis omnium animantium genus etiam, & homines editi fuerunt. Cur id solo mundi initio? cur non postea? cur non hodie? cur, quaeso tam subito deferbuere naturae vires, ut quae primo saeculo omnia animalium genera procrearet, omnibus quae secuta sunt, nulla posset. Quae enim sponte (ut ipsi opinantur) insecta, arbores, plantas atque id genus alia genuit, nunc quoque eadem gignit: cur igitur in homine tantum deficeret, ut per tot saeculorum series, nullum sui operis vestigium, specimen nullum exhiberet. Neque solo in homine, sed in omnibus aliis animalium speciebus obtorpuit vis illa procreatrix. Num enim non mirum videatur equos, boves, elephantes, aliaque immensae molis animalia adeo ubertim e terra olim effundi, per tot tamen saeculorum series ne quidem aut felem, aut canem, aut passerem inde erupisse. Sed nugae hae vix dignae sunt, ut operosius refutentur. Nulla enim ratione nituntur, nulla experientia confirmantur, sed se sola impudentia, & anicularum superstitione tuentur.

§. XXIII. Delabimur nunc ad eam quaestionem, an infans in utero materno sui sit juris, & propriam vivat vitam; an vero ita subjectus sit matris imperio, ut quasi unum totum cum illa constituat, & non nisi in lucem editus proprias suas functiones exercere possit? Ita enim vulgo statuunt matrem, & infantem unam vivere vitam, quum videamus, quod foetus mediante placenta uterina utero firmiter

miter adhaereat, & ceu alia corporis pars omnem suam vitam, & alimentum a matre hauriat. Ut non male dixerit SENECA, maxima beneficiorum esse, quae a parentibus accipimus, dum aut nescimus aut nolumus. Verum enim vero, quum primo duo distincta videamus corpora, matris videlicet, & infantis. Secundo duae quoque distinctae mentes adsint, quarum una juncta est corpori matris, altera corpori infantis, non video, quomodo communis haec vita solide demonstrari possit. Nonne enim saepius experimur, matrem in partu extingui, foetum autem salvari; & ipsum infantem in suo ergastulo quandoque exspirare, ipsa matre manente salva & superstite? Varia profecto nativitatis posthumae prostant exempla, tum apud antiquos, tum apud recentiores, *in Florileg. Var. epigram. lib. 3. cap. 12. num. 42.* de tribus narratur liberis defuncta matre editis. Exempla recentiora suppeditant SCHENCk. & MARCELL. DONAT. Raram illam historiam, *Bruxellis* olim agitatam, & Medicis propositam, describit BARTHOL. *in actis Haffniens.* quae vide. Attamen haec non tollunt mutuum istud, quod exercent mater, & foetus, commercium, id quod in his potissimum consistere existimo: (1) quod uno eodemque alimento nutriantur: (2) quod spiritus matris impressionem facere possint in sanguinem, & humores infantis: (3) quum graviores animi passiones matris certa comitetur spirituum radiatio, non potest haec infantis spiritibus imprimi, ut non insimul illa, invita etiam matre, infanti communicetur. *Jam si porro attendamus, quam facile certi motus certis cogitationibus alligentur, & quod certos motus certae in mente sequantur cogitationes*, omnis in posterum sublata erit difficultas, in explicandis naturalibus illis aversionibus & inclinationibus, quibus multi a prima nativitate sunt obnoxii, dum caseum vel feles usque adeo aversantur, ut vel ad conspectum, vel ad odorem, graviori animi deliquio corripiantur. Imo si insciis caseus ingeratur, spiritus brevi post tanta exardescunt ferocia, ut post multas anxietates, tandem haemorrhagia narium exoriatur. Ita in contrarium nituntur spiritus, ut ipsi etiam humores limitibus suis coërceri nequeant, sed qua data via cum impetu prorumpant. Neque enim in nostra est potestate, turbas illas, vel impedire, vel tollere, sed quoties similes in corpore nostro cientur motus, toties eaedem recurrent cogitationes, sive inde oblectamentum, sive taedium, vel molestiam olim perceperimus.

§. XXIV. Sed redeundum nobis est in viam, unde digressi sumus. Tot autem statim in limine de caussis monstrorum sese offerunt sententiae, quot fere in rerum natura sunt monstra, quae, censente SCHOTTO, quandoque ipsis monstris sunt monstrosiores. Nobis impraesentiarum sermo erit de monstris, quae ex caussarum naturalium serie prodeunt: illa enim quae ceu ostenta & prodigia a Theologis soli Dei voluntati immediate, malitiae daemonum, aut magorum incantamentis adscribuntur, ad nostrum forum non spectant. Egregie DANAEUS *part. 2. Phys. Chistian. p. m. 6.* Totius formae internae depravationis caussam duntaxat unam esse dixerim, ipsum nempe Deum, qui immediate talia portenta in ipsa rerum natura edit ac existere vult, tanquam magnae irae suae in hunc Orbem indicia, & ipsius etiam generis (in quo talia monstra nascuntur) ludibrium & apertum despectum & contumeliam: hujusmodi monstra quaedam accidisse in populo Dei nusquam commemorat S. Scriptura. Josephus tamen lib. 7. de bello Judaico cap. 12. unum accidisse recitat. Inter suos autem saepe apparuisse scribunt ipsi profani, imprimis C. Sueton. in libello de prodigiis. Formae vero externae deturpationis in monstris duplex est caussa, Deus quidem ipse velut summa & remota caussa: deinde caussae quaedam naturales: & quamvis tanta harum caussarum possit esse varietas, quanta forte monstrorum, conabimur tamen potentiores, & frequentius occurrentes in medium proferre, sive deformitas illa in partium excessu, sive in earundem defectu, sive in mala conformatione aut etiam insolito situ

steterit. Antiqui Philosophi hic seminis tum copiam tum inopiam frustra accusant, dicentes, seminis defectum facere, ut foetus aut non omnia necessaria nanciscatur membra, efformeturque sine manibus, pedibus, brachiis, cruribus, naso, capite &c. aut eadem membra non pertingant ad debitam magnitudinem. Abundantiam vero, & superfluitatem facere, ut foetus vel plura acquirat membra, aut sex digitos, tres aut quatuor manus, pedesve, duo capita &c. vel solito majora. Quorum opinio labili innititur fundamento, quum ex spermate virili tanquam materia partes corporis humani nequaquam generentur, ut jam supra ostendimus. Idem sentiendum est de vitiosis seminis qualitatibus in crassitie, & fluiditate, dum existimant, virtutem genitalem ac formatricem in crassiore spermate ita obrui, ut formationi foetus minus commode famulari queat. In molliori vero ossa, nervos, venas, arterias, aliasque partes solidiores efformare non possit. Praeterquam enim, quod terminos non intelligibiles audiam, hoc etiam obstat, quod hujusmodi vitiosa seminis qualitas sterilitatem potius inferre deberet, & conceptionem impedire, quam ut partes solidae inde formari possint.

§.XXV. Rectius itaque alias accusamus caussas, quarum prima nobis erit fermentatio formationi foetus non proportionata. Nempe quatenus vel in excessu vel in defectu peccat. Seu (quod idem est) quando vel nimis aucta est, vel nimis imminuta. Si enim fermentatio ob particularum fermentescibilium, tum in toto sanguine, tum in humoribus & ipso colliquamento in utero contentis, copiam nimis aucta fuerit, facile fieri potest, ut particularum colliquamenti seminalis ordo turbetur, vel plane pervertatur, dum partes tanto cum impetu sursum deorsum vibrantur. Quandoquidem tumultuarius ille motus plures partes de statu suo deturbat, quae aliis fortioribus occurrentes in motu suo praepediuntur, ut tot informandis partibus committantur errores, dum quaedam, quae debebant esse divisae, monstrose combinantur, aliae vero quae eleganti connexione in unum abire debebant, separantur. Unde abunde satis demonstrari potest, homines quosdam natura sua proclives esse prae aliis, ut foetus vel imperfectos vel monstrosos generent.

§.XXVI. Quod si fermentatio plus justo sit imminuta, id quod fit ob sanguinis visciditatem, & spirituum crassitiem, & inertiam ideae seminales sese convenienter explicare nesciunt, neque quaelibet particula convenientem suum obtinere potest situm, quo admisso, natura vel invita aberrabit a semita, & foetum mancum, & mutilum efformabit.

§.XXVII. Imprimuntur autem ideae eo ipso quo aura genitalis semen muliebre impraegnat, quod si postmodum ordo ille semel introductus ob caussas in prioribus thesibus enarratas, turbetur, natura spe sua excidet, ut vel plane nihil, vel inconditam & deformem speciem generet. Veritatem assertionis hujus non parum confirmant ova subventanea dicta, quae ob aurae genitalis defectum ad generationis negocium inepta sunt, quamvis convenienti calore incubantis gallinae foveantur. Verum si mediante congressu cum gallo idearum congeries introducatur, ova autem postmodum fortiter concutiantur, statim sterilia, & effoeta fient, nullam aliam ob caussam, quam quod per illam agitationem ordo destructus, & character idealis antea impressus extinctus sit. Solet enim natura lento gradu in generationis negocio progredi, nec uno quasi spiritu partes producere, sed unam post aliam efformat, id quod jucundo spectaculo videri potest in ovis incubatis, si ad MALPIGHII vel STENONIS imitationem quotidie perlustrentur. Similem ordinem observavit etiam JACOBOEUS in ranarum genesi, quam laudabili curiositate descripsit in *actis Haffniens. anni 73. p. m. 109.*

§.XXVIII. Secunda caussa est constans aliqua imaginatio matris, quae saepe absurdas, peregrinas, penitusque monstrosas formas, quas mente volvit, foetui im-

imprimit. Id quotidiana confirmat experientia, nec opus erit eam multis testimoniis, & exemplis roborare. Lento autem gradu sua ludit dramata. Quando enim gravida horrendum quoddam objectum attentius intuetur, vel tragici alicujus casus frequentius recordatur, spiritus animales constantem nanciscuntur radiationem, graviori animi passioni conjunctam, quae mediante sanguine, & humoribus circulantibus a matre in infantem transit, ut non solum infantis spiritus animales in ipso cerebro eandem suscipiant radiationem, sed etiam sub tali cursus forma extra cerebri pomoeria ad eam excurrant partem, sive jam formatam sive adhuc formandam, de qua gravida sedulo cogitavit, ipsique peregrinam, & monstrosam figuram imprimunt, dum chylosas particulas parti formandae apponendas eo usque torquent & turbant, donec sese ad conceptae imaginis modulum composuerint.

§.XXIX. Alii conantur hanc caussam de ponte dejicere, ceu minus validam. Si tantum, dicunt, potest imaginatio, quantum posse nonnulli ariolantur, huic quantam fenestram ad monstrorum generationem patefaciemus? Nulla dies, nulla hora, nullum momentum absque alicujus monstri ortu transigetur: quae tamen tam de raro visuntur, ut non ob aliam caussam tantam nobis admirationem incutiant: in quot enim absurda, Deus bone, labitur in horas, & momenta praegnantium imaginatio. Verum telum hoc plumbeum facili negocio infringi potest. Non quaevis imaginatio infensa est foetui, sed constans cum attentione, & graviori animi passione, quibus circumstantiis positis, non potest non infans ob rationes in priori thesi adductas graviorem aliquam inde accipere plagam.

§.XXX. Tertiam caussam (quae tamen a priori non multum differt) dicimus esse subitaneum aliquem, & insignem terrorem, a rei alicujus insolitae aspectu conceptum cum vehementi & animi & corporis perturbatione. Haec fulminis instar corpus percellit, & ob spirituum agilitatem celeri pede suo fungitur officio. Quum enim spiritus animales habeant in matre corporis continui rationem, quamvis ex se & sua natura sibi saltem sint contigui, in momento quasi radiationem semel susceptam tenero infantis corpusculo communicare possunt, idemque sigillum spiritibus animalibus imprimere, ut leges formationis foetus in utero praevaricentur, ipsamque naturam, in evolvendis ideis nunquam otiosam, in opere suo turbent, & in errores praecipitent. Nolo jam varia recensere exempla, quae passim tum apud veteres, tum apud recentiores sunt obvia. Ad manus sunt quae propriis his vidimus oculis, aliaque nostro hoc tempore a viris integrae fidei sunt suppeditata testimonia omni exceptione majora, de quibus in *tom. 1. Zodiac. Gallic.* prolixius agitur. Hac vice unico contentus ero exemplo, quod celeberr. BORRICHIUS in juvencula non ita pridem observavit. Quae quum quarto gestationis mense aream palatii Regii incauta perambularet, conspexit ad pedem Byrsae egenum mendicato viventem, qui ut miseria sua misericordiam transeuntium evocaret, truncam manum suam, & pedem mutilum late ostendit, juvencula viso infeliciter ostento ita cohorruit, ut domum revertens marito tristitiam inde conceptam significaverit, & de frigore dorsi circa os sacrum conquereretur. Ille frigidulam auram, viaeque longioris molestias caussari, & alia atque alia laetitiae argumenta conquirere, ut erat sagax & non inscius futuri, si imaginatio constantius uxori adhaeresceret. Quid multis? perit tandem facti memoria, & animus gravidae a solicitudine revocatur ad quietem. Interea ex horaria speculatione turbata foeminae imaginatio eas jam in embryone duxerat lineas, eos signaverat characteres, qui totis sex mensibus nescirent obliterari. Prodiit enim justo tempore misellus infans, & easdem infelicitatem infelicitates, manu pedeque, quas in mendico spectaverat mater, in auras vitales secum exportavit.

§.XXXI. Caeterum, si de agendi quaeratur modo, eum valde intricatum esse;

nemo

nemo non dixerit. Praesertim quum Auctores in tot diversas abeant sententias, ut qua in tanta viarum, multitudine eundum sit, merito dubitetur. Sunt quos non pudet suam confiteri ignorantiam, quum sapientiae pars sit quaedam aequo animo nescire velle. Alii saltem in refellendis aliorum ratiociniis suam impendunt operam, interim nullas alias praeter jam excogitatas rationes in medium proferunt, verentes, ne in ardua hac imaginationis virium reddenda caussa, dum ab aliorum judiciis recedere volunt, in novos errores impingant, atque idem illis contingat, quod AEmilio Parisano accidisse fertur, de quo in *campo Elysio jucund. quaest. p. m. 637.* Is argumentorum vi devictus ex eo quod imaginatio in praesentia objecti non operetur, nec ens rationis solum speciesve intentionales, & immateriales per imaginationem repraesentatae aliquid operari possint materiale, ut stigmata sunt, quia materiale ab immateriali produci non potest; credidit nec per visum, aut auditum, aut aliter a memoria vel phantasia conceptas, aut repraesentatas species aliquid simile in foetu producere posse: quare statuit materiam realem necessario dari debere, quae contractis in foetu notis caussam exhibeat; illam vero non aliam esse, quam vaporosam substantiam a concupitis rebus elevatam, quae per olfactus organum obrepat, simulque una cum speciebus concupitae rei adjunctam appetricem movere, deinde cum spiritibus, & sanguine ad jecur pervenire, sed tamen illinc explodi tanquam ad illius usum non conducat, quare ad communem cloacam; nempe uterum pertrudi, unde tandem signaturae veram, & materialem substantiam praestet: sicque ex uno absurdo in aliud incidit.

§. XXXII. Qui HELMONTII imbuti sunt principiis, primas hic deferunt animae sensitivae matris, ita tamen de hoc loquuntur negocio, ut vel intelligi nolint, vel non possint; audiamus Auctorem Pansophiae Enchireticae. Quando *mater* inquit p. m. 277. *fortiter apprehendit aliquam rem cum desiderio habendi, sic anima matris in se ipsa phantastice format sibi figuram rei desideratae, ab illa cogitationes non removens, similem phantasiam in anima infantis suscitat, & quia haec phantasia infantis Archaeum in formatione format & commovet ab hac liberari se satagens, illam non potest, quamdiu mater simili cogitationi inhaeret, & infantis animae insit adhuc brutalis appetitus. Idcirco si tum mater in cogitationibus haerens aliquam partem sui corporis tangat (nam ex toto corpore matris anima sensitiva in uterum radios corporeos emittit, qui membris infantis correspondent, & proprietates, defectus, aliaque mala membris infantis invehit) in similem corpusculi sui partem anima infantuli formam istam excutit & illa ita suam phantasiolam liberat, & corpus unum desiderii matris portat, ille vero pergit in suo opere. Ast mirabilius illud, quod mulier quaedam foetum grandiusculum utero gerens, dum semel decapitari quendam hominem vidisset, valde territa in deliquium cecidit, enixa paulo post infantem cui caput erat abscissum. Caput autem ex utero non exivit nec mulier molestiam in utero ullam habuit, signo certo, quod caput infantis non restiterit in utero. O admiranda res! cujus rationem dare difficile, dicimus tamen,* pergit praefatus Auctor, *vi nostrae doctrinae, facile id fieri potuisse. Nam quum mulier gerens utero in decapitatione facta a carnifice fors summam habens complacentiam, desiderium (sicut praegnantibus nihil novi, absurdissima appetere) accepit aliquid decapitandi, etiam forte sui proprii in utero infantis. Quare in tali desiderio ideam gladii fabricavit, & tangens uterum, quo loco caput infantis erat, manu, ideam gladialem collo infantis incussit; & caput demessuit, sicuti si pyrum desiderasset, & pyri formā collo apposuisset. Quod vero caput absciderit, non vero gladii formam expresserit, ratio est, quia desiderium erat infantis caput abscindendi, idcirco gladialis idea non solum ad collum, sed per collum transierit. Quod autem caput nullibi repertum, id quoque matris phantasiae adscribi potest, quae caput a se decollati infantis nolens reperiri nec nosci, cujus cadaver esset,*

caput

caput in atomos resolvit, quae cum lochiis mulieris exierunt. Hactenus ille.

§.XXXIII. Non multum ab hac abludit sententia Auctor *Zodiaci Medic. Gallic.* p.m. 60. *Omne animal vivens,* dicit, *ex substantia spirituosa, id animante, & materiali animata constat: ambae ergo hae substantiae ipsis sunt principia constitutiva, quorum ad generationem aequalis concursus esse debet. Eo ergo momento quo mulier concepit, pro rato habendum, utero illius animam contineri informatrice vi praeditam, & materiam formae capacem. Haec porro anima cum quodam modo uniatur, simulque ad generationem cum mulieris anima concurrat; nemini dubium esse debet illam earundem perceptionum capacem esse. Revera ab objectis, vehementer ipsam commoventibus, quodammodo modificata aut determinata, intra propria claustra aut conceptacula, organa cognitioni formandae idonea non nanciscitur, inde tamen non impeditur quo minus propemodum ad instar animae mulieris gravidae agat, quandoquidem si altera cerebro, idearum sedi, conceptarum imagines imprimit, altera in utero idem circa materiam subjectam praestat. Atque inde est, quod si primis conceptionis diebus, quorundam objectorum monstrosorum fortes impressiones mulieres admittant, sive realia sint, sive phantasia producta, monstra sine dubio editura sint; porro si non procul a foetus conformatione avide concupiscant, quae illico consequi non detur, vestigia impressa, eaque indelebilia remaneant.*

§.XXXIV. Alii persuasum habent, se propius accedere, *si facultatem formatricem* sub litem vocent. Putant enim *aliquid a phantasia seduci posse, ad aliquid conformandum, quod semini & foetui improprium sit, simile tamen ei, quod imaginatum est per species exemplaris, & objective, objiciendo scilicet speciem conceptam, ad cujus normam tanquam exemplar opus conformationis exequatur facultas formatrix.*

§.XXXV. Verum enim vero, ut ingenue fatear, neutra ex recensitis opinionibus mihi satisfacit: si enim primam & secundam spectes, omnem statim ad ulteriorem rerum naturalium cognitionem deveniendi spem averruncant. Tertia mentis proprietates affinxit rebus corporeis, & praeter terminos nihil habet, quod veritatis cupidi animum satiare possit. Multo minus capio, quomodo ex contactu infimi ventris foetui caput amputari potuerit: quis enim externe illum situm adeo accurate delineabit? Insuper dubitari potest de facti integritate, & historiae veritate: multi enim sunt, qui Auctoribus eam recensentibus subscribere recusant. In quarta desidero clariorem animae uterinae explicationem. In quinta nil nisi facultates audio, quae ipsae pro monstris habentur. Ut tamen aliquid circa hoc difficillimum argumentum, & quod mihi congruentius videatur inter tam multa, quae laudatissima ingenia excogitarunt, dicam, paucis mentem meam declaraturus sum.

§.XXXVI. In memoriam autem revocari debent ea quae §. 23. proposuimus, ut eo certius constet, tenerum infantem matris motibus admodum subjectum esse, non obstante, quod in utero propriam suam vivat vitam. Deinde observari velim, quod spiritus animales radiatione sua vel intra cranium terminentur, vel longius & extra illud excurrentes ad reliquas corporis partes quoque se diffundant. Si prius contingat, nullum inde nec matri nec infanti imminet periculum: sin posterius facile omnia in infantis cedunt damnum. Dum enim mater gravida terrore insigni perculsa partem aliquam sui corporis tangit, tunc non solum spirituum radiatio, quam ab objecto acceperunt, sed ipsius etiam partis, in illo terrore contrectatae, idea & simulacrum mediante sanguine, & humoribus ad uterum foetu gravidum ransmittitur. Sic gravida stans sub arbore mori a forte fortuna delabente moro maculatur in veste, quam habet in pretio atque statim ideam mori concipit: verum indignabunda partem aliquam, brachium, collum vel malam fricat, cujus partis idea quoque a radioso spirituum motu excipitur, unde spiritus utroque

que

que hoc modo modificati ipsi foetui communicantur, ejusque spiritibus similem cursus formam imprimunt. Ut infans in cute mori imaginem post nativitatem referat. Simile quid fit, quando gravida exorto incendio perterretur, & foetui per solum contactum stigma igneum imprimit. Nisi sit animi valde generosi, & ad quaevis incommoda, & adversae fortunae casus ferendos composita. Profecto Spirituum radiatio facile se per universam sanguinis massam diffundit, hinc *nutrix valde irata mediante lacte illico similem in infantem lac sugentem transfert characterem, ut infans statim fiat epilepticus*: quid enim vehemens mulieris ira aliud quam parva epilepsia? Neque etiam mirari debemus, quomodo motus illi tam facile communicetur, quum videamus lapidem in altum projectum aëri aliisque, corporibus occurrentibus suum communicare motum, quidni facilius id poterit mater, adeo arctum cum infante suo exercens commercium: sed quia ejusmodi motus non adeo frequenter a nobis observantur, hinc solemus eos magis admirari, & ipsorum caussas magis occultas esse existimamus. Tantillum vaporis accensi in aëre turmatim accurrentes admirabundi contemplamur, solem, lumen, stellas, coelum ipsum oscitanter praeterimus.

§.XXXVII. Quarta caussa est angustia loci, non tam uteri, quam secundinarum, quibus foetus involvitur; nolumus enim hic cum Paulo Zachia ad callosam uteri duritiem confugere, quum in omnes dimensiones hoc in negocio extendi debeat. Quia autem gemelli unam eandemque habent secundinam, id quod omnes obstetrices prae aliis expertae confirmabunt, & quod ex obstetricum examine apud *Bartholin.* palam fit, facile ab hac caussa insignis aliqua deformitas introduci potest. Praesertim si propria illa tunica, qua singuli vestiuntur: a casu, accepta plaga, pondere aut foetuum gravitate rumpatur, tum enim utriusque foetus conformatio confunditur. Ejusmodi partum monstrosum vidit *Primirosius*, ex cujus alvo alterius crura, & abdomen propendebant. Verum si membranarum ruptura fiat, perfecta jam partium conformatione, tunc in quapiam parte, capite nempe, dorso, abdomine aut pectore, quod in nostris vidimus gemellis, cohaerebunt. Non dissentit Le GRAND, quem *in hist. natur.* p.m. 339. vide. Interim non inficior, gemellos duos placentas quandoque habere, duaque ligamenta umbilicalia, sed si duae quoque adsint secundinae, non puto, ipsos ex unico esse coitu, sed ex superfoetatione.

§.XXXVIII. Symbolum suum ad monstrosorum partuum generationem tandem etiam conferunt influxus siderum, ventris contorsio, & omnia quae partes quasdam ovi characterisati dislocare possunt. Exempla prostant apud SCHOTTUM *in phys. sua curiosa*, & WEINRICHIUM *de monstris*, qui potest esse instar omnium, qui unquam de hoc scripserunt argumento.

§.XXXIX. Caussam finalem silens praetereo, quia omnia in faventiorem partem potius interpretanda sunt; neque enim monstrosa illa aliquorum judicia statim approbare, sed ipsis monstris annumerare debemus: non enim vereor cum celeberr. BARTHOLINO dicere, monstrosam fore naturam, nisi in his monstris subinde luderet pro variarum caussarum conditione.

§.XL. Sed latissima sese pandit officina, insignes hujus doctrinae usus in omnes facultates redundantes nobis suppeditans. Possent enim utiles pariter, & jucundae hic moveri quaestiones, Theologos, Jurisconsultos, Medicos & Philosophos spectantes. Nempe an gemelli nostri monstrosi unicam, an duas habuerint animas? An si supervixissent, in partienda haereditate stare debuissent pro uno? An monstra debeant baptizari? An ipsorum generatio a Medicis possit praecaveri? Quare naevi quidam materni certis temporibus efflorescant? Sed monet me Typographus, hinc colophonem impono, LECTOREM BENEVOLUM obnixe rogitans, ut, ea quae ex ore *DOMINI PRAESIDIS*, de hoc argumento nuper in le-

lectionibus publicis differentis, collegi, aequi bonique consulat.
DEO O. M. sit laus & gloria in aeternum.

DISPUTATIO XXXI.

DE COLORE AETHIOPUM.

RESPONDENTE

MARTINO ECKHARDO LUCANO.

VVolfshagia. Hasso.

I. N. J.

§. 1. Mundus regitur opinionibus, & trahit sua quemque voluptas. Usque adeo facile a teneris assuescimus, ut etiam illa quae natura deformia sunt, primoque intuitu horrorem injiciunt temporis diuturnitate nobis tandem grata fiant & accepta, imo sub eximiae pulchritudinis specie oculis glaucoma, ipsi vero phantasiae fucum faciant: quod enim longa introducitur consuetudine, tandem in legem abit, quum magna vis insit & phantasiae & consuetudini, ut non raro ipsi naturae vim faciant, & ceu dictatores fasces imperii in oeconomia animali, praesertim vero inter homines obtineant. Argumento sunto Nigritae, colore, non imaginatione aut praejudicio, sed vero sui elogio tristi atque inamoeno praediti; quamvis enim nigredo nobis omnibus fere sit invisa, & ipsis cum tenebris poenisque infernalibus quid habeat commune, ipsis tamen Nigritis haereditarius hic color usque adeo placet, ut non solum cacodaemonem colore illo indignum censeant, sed & alia turpia quaevis candidissimo ceu inauspicato colore designent: in sua autem nigredine triumphent, & superbiant, hosque omnibus praeferant, qui atro hoc colore ad splendorem usque tincti incedunt, de cujus coloris caussa antehac abscondita impraesentiarum dicturi sumus. Faxit Deus ut feliciter, & pro voto succedat.

§. 2. Nolo autem ipsis cum Theologis in Nigritarum inquirere originem, & natales, non nescius quod contentionis serram hactenus strenue traxerint, utrum Aethiopes ortum suum habeant a Chamo filio Noachi, qui inter Noachi filios primus vel nativitate vel imperio fuit, & in prima post diluvium mundi divisione Arabiam, Syriam, AEgyptum & universam Africam obtinuit; quem post maledictionem parentis atro carbone notatum fuisse existimant, ut omnes ejus posteri similem corporis habitum similemque colorem acquisiverint, & in hunc usque diem possideant. An vero etiam ante diluvium vixerint Aethiopes, quum aeque eo tempore terrae incolae varias ejus tum frigidas tum calidas regiones dubio procul inhabitaverint? Quippe nihil ad rem facere videtur, quod Chamus significet nigrum, calidum & exustum, sic enim sequeretur, eum ab utero Aethiopem fuisse, neque colorem illum demum maledictionis fuisse effectum. Et quamvis hodie omnes fere Arabes & Afri colore nigro tincti sint, nequaquam tamen inde inferre licet quod propterea Chamus, cujus posteri has terras occuparunt, atro etiam colore fuerit praeditus. Quum non immerito a *celeberrimo nostro Hannemanno in scrutinio curioso nigredinis posterorum Cham* dubitetur, an omnes ejus posteri fuerint nigri, an vero solus Chanaan maledictione Noachi tactus niger fuerit, a quo omnes Canaani postmodum ortum suum traxerunt.

§. 3. Et quae quaeso cum nigredine hac inflicta fuisset poena, quam posteri Chami

mi tantopere depraedicant, & in deliciis habent, prout antea dictum? Certe Sacra scriptura aliud quid docet, nempe quod execratio illa parentis jugum servitutis Chami posteris imposuerit, quod Hebraismus magis explanat vi linguae suae dicens, Chamum fore valde abjectum servum fratrum suorum, quod etiam censente illustri immensaeque cognitionis viro *Dn. Boyle* ex parte fuit impletum, quando Israëlitae, posteri Semi, subjugabant Cananaeos, Chami progeniem, ipsosque durae servituti mancipatos tenebant. Hoc autem de Aethiopibus vix dici potest; haec enim gens (*juxta cl. Pechlinum*) in ultimos Africae recessus velut ocia relegata, sacris illis & internecinis Israëlitarum bellis, quibus tot tamen nationes & ipsi Cananitae in servitutem sunt redacti, intacta coelo suo & solo fruens tranquille semper egit, donec nupero demum saeculo diu sepultae gentes nostrae etiam plagae ostendi coeperint; hinc alii his moti argumentis asserunt, Aethiopes non tam Canaanis esse sobolem, quam Ludi, filii Mizraim, qui & AEgypto & conterminae Aethiopiae posteros suos impendit: sed & hae assertiones merae sunt conjecturae, nihil enim certi hic pronunciare licet, quia illae gentes tam diu a communi sensu, & annalium memoria fuerunt remotae, ut vix certam iis sedem, aut habitum vultusque characterem, saltem qui primitivo sit similis, assignare possimus. Quod si nostrarum hodie gentium in Europa migrationes tam obscurae sunt, ut pauci per commentarios aut originum indices, plurimi conjectura tantum in earum caussas sint adducti, quid mirum, si in Africa inexplorato terrae tractu & minus perspectis gentium historiis magis hallucinemur. Et quicquid tandē sit, dato etiam, quod Aethiopes genus suum a Canaane repetant, nondum tamen evictum est, nigredinem esse maledictionis notam, & servitutem, cujus tot saeculis immunes vixerunt, nuper demum & mercantium avaritia protracti, colore significari. Quae omnia S. Codicis Interpretibus committimus, & si plura adhuc desiderentur; vide sis *integrum caput nonum tractatus de colore, & habitu Aethiopum, a celeberrimo Pechlino editi.*

§. 4. Properamus itaque ad caussam physicam, non exclusa, sed praesupposita caussa prima & universali, visuri, quibus caussis naturalibus Aethiopum nativa nigredo accepta ferenda sit. Abeunt autem Auctores in tot diversas sententias, ut difficile sit in tanta philosophantium turba certi quid pronunciare quibus non obstantibus eam amplexuri sumus opinionem, quae & experimentis fulta, & ipsi rationi magis consona sit; his enim velis instructi non tam facile in scopulos impingemus, sed vastum hunc oceanum citra naufragii periculum transnatabimus. Et ut iter hoc felicius emetiri possimus, primo omnium sententias aequa lance trutinabimus, ut rejectis vilioribus ad veram via magis sit expedita.

§. 5. Occurrit autem primo eorum opinio, qui persuasum habent, caussam atri hujus coloris in genio loci quaerendam esse, quum illud clima quo in AEthiopes vivunt peculiare quid obtineat, & ut aër istius loci quem hauriunt, occultam habeat vim corpora humana nigro colore tingendi, ipsique semini talem imprimendi characterem, ut nigri quoque generentur infantes; & quis inficiabitur genium loci multum huc conferre; quum alibi vulpes & lepores insueto plane colore tingantur, prout Olearius in suo itinerario enarrat. Verum praeterquam quod caussa haec occulta magis sit, minusque intelligi possit, quam res ipsa quam explicare volunt, eademque facilitate refellatur, qua ab ejusdem patronis asseritur, hoc etiam obstat, quod stante hac assertione mutatio aëris coloris mutationem quoque inferre debeat; quum autem videamus Aethiopum colorem adeo constantem esse, ut nunquam locorum mutatione ab indole sua degeneret, nunquid enim mutabit Chusaeus pellem suam? ipsi etiam albi diutius eodem in climate viventes nunquam teste experientia nigrescant, caussam hanc ceu insufficientem merito rejicimus.

§. 6. Sic-

§.6. Sicque ad alteram progredimur sententiam, quae eorum sustinetur patrocinio, quod quum quotidie observarent, messorum, spicilegorum, aliorumque ruricolarum, qui maximam dierum aestuantium partem soli expositi transigunt, cutem tum faciei tum manuum ita aduri, ut si non atro saltem fusco, & ad nigredinem vergente colore tingantur, in eam devenere opinionem, quod Nigritae, inhabitantes clima valde fervidum, ab adustione solari atrum colorem quoque contrahant, cui accedit hoc ab *illustri Boyle* annotatum, quod Dani aliaeque gentes frigidorum climatum incolae, ipsique etiam Angli, frigus non adeo rigidum experti, passim sint vultu candidiori, quam Hispani, Lusitani, aliique Europaei, climatum calidiorum inhabitatores. Verum enim vero, utut hoc argumentum ponderis quid prae se ferre videatur, tamen illud magis speciosum esse, quam cogens cum *Dn. Boyle* censemus frequentissima equidem & inveterata est opinio, nuper demum reficta, a solis ardore cum omnem fusciditatem tum nigredinem hanc procedere, quum tamen contrarium multis rationibus demonstrare possimus, quas ordine enumerabimus.

§.7. Desumimus autem primum argumentum, quo contrarium probaturi sumus a nigredinis Aethiopum, natura & qualitate, utpote quum illa non superficialis sit, qualis obscurus ille solet esse color, qui per adustionem solarem inducitur, sed potius sub pellicula lateat, & sub cuticula fuliginis instar splendeat; ita ut neque calor torridus, neque superficies corporis scabra aut strigosa, sed pinguis & laevis deprehendatur: hinc nemo asserere audebit, cutem Nigritae adeo exustam vel torrefactam esse a calore solis, ut succo suo omnique humido orbata ligni combusti instar alium colorem induerit. Neque est quod regeras, incolas hos in torrida habitare zona, eosque vivere in climate prae aliis fervidiori, radiisque solaribus perpendicularibus magis exposito. Quippe talis zona torrida, qualis ab antiquis describitur physicis nuspiam reperitur: hi enim ad situm solis respicientes putabant eam terrae plagam fore inhabitabilem, in quam radii solares perpendiculariter inciderent, non attendentes, quod calor ille torridus mille modis a corporibus terrestribus temperari possit. Hoc videmus in maris mediterranei utriusque accolis, nec non in habitatoribus regni Maroccani; hi enim longe sunt strigosiores, & sicciore cute quam Nigritae, etsi a perpendiculo solis longius sint remoti, quam vel Angolae aut Senegae incolae. Si quis autem roget, quare illa terrae regio, quae a sole perpendiculari illustratur, sat commoda sit tum pro hominum tum animalium prole multiplicanda, dicimus hoc a rore esse, qui copiosissimus ibidem deprehenditur, & plagam hanc valde tolerabilem reddit, nimia antiquorum levitate jam dum damnatam. Egregie & pro more solidissime hoc deducit supra allegatus *celeberrimus Pechlinus*: *sunt*, dicit, *meo judicio fluviorum late vagantium nitrosae, hoc est frigidae & foecundae aurae; est ros ille aëreus mirifice excoctus, pinguis & nocturno illapsu gratus, hoc equidem non sata tantum ingenti & subita ubertate perfundit, sed hominum quoque & animalium fluxam in illos aestu corporaturam tuetur, densat, & speciosa pinguedine rotundat.*

§.8. Quod si calor corpora incolarum tantopere adureret Nigritae non solum ariduram corporis perciperent, sed insuper ob spirituum & succi nutricii absumtionem valde languidi essent, quum tamen contrarium vel in vulgus notum sit. Sunt enim Nigritae pingues, & laudabili corporis habitu praediti, quod *magnificus Verulamius in sylva sylvarum* profitetur: *omnes*, inquit, *Aethiopes carnoso quidem, sed inconcinno sunt habitu corporis crassisque labiis. Nasci quoque eos videmus in regionibus aquae, propter fluvios aliasque caussas, abundantibus; Meroë enim metropolis AEgypti amplum lacum accepit longe quoque, ubi Aethiopes vivunt aquis scatet, regio circa Capoverde est humida, unde & pesti obnoxia, certe putredini* Insuper summus in ipsis deprehenditur vigor spirituum viriumque constantia, ut non

solum ad Venerem magis sint proclives, sed & in labore hoc sustinendo Europaeis fortiores, quod non sine maxima sui turpitudine confessa est Europaea quaedam, libidinis oestro adeo abrepta, ut sui non amplius memor prostibulum variarum fieret gentium, donec aquis immersa ad judicis mandatum suffocaretur, cujus meminit *Erasmus Francisci in theatro histor.*

§. 9. Novum quoque hic nobis suggerit subsidium saepius *laudatus Boyle*, quo speciosi argumenti antea prolati vim eo facilius declinare possimus. Si enim calor ille torridus vera caussa nigredinis esset, tum omnes in ipsa Africa habitatores essent Nigritae, quia aequatori aeque propinqui sunt, ac aliae nationes, quae sunt Nigritae, quod tamen tam falsum est quam falsissimum: de quo *Drapperus de terra Nigritarum*. Et quomodo quaeso possent infantes recens nati elapsis aliquot diebus atro hoc colore tingi, qui solis calorem torridum nec dum passi sunt, id quod tamen fieri nemo inficiabitur. Nigritarum infantes, *dicit illustr. Boyle*, vix decem dies natos, sua infantia non obstante, eodem, quo parentes illorum, colore sunt imbuti, quod etiam extra zonam torridam fieri praesertim in aulis Principum, ubi gentes hae aluntur, quotidie observamus.

§. 10. Alterum pro nobis militans argumentum a diverso solis effectu desumitur, quippe extra omnem dubitationis positum est aleam, quod sol non solum infuscet corpora, eaque colore subfusco tingat, sed quod multa quoque dealbet, prout in saxis, craniis humanis; aliisque innumeris videre est. Siquidem, ut solis calor modo colliquat, modo indurat, sic idem ille non unum semper colorem adfricat objectis, sed pro eorum natura nunc nigredinem eamque vel aridam, aut succulentam & pinguem, modo albedinem eamque fuscam, aut niveam. Haec prolixe deducit nunquam sine laude nominandus *Pechlinus p. 120. & seq.* sol, dicit, *plurima, obscura alias & fusca, in albedinem excoquit, dum rotulentis nitrosisque particulis per poros squaloris tenuius distributis obscuritatem purgat, moxque continuato insultu una extrahitur. Saxa in terrae penetralibus tenebris, & fuscitate cooperta, tunc quum in moles assurgunt, & luci exponuntur, nitorem albedinemque mirificam consequuntur, non aliam ob caussam, quam quod humiditas desuper incumbens, quae aequare corporum superficiem solet, radiorum solarium impulsibus, & tracta, particulas relinquat sphaericas, e quarum deinde mutua reflexione candor proficiscitur.* Hucusque celeber. Pechlinus. Sed quia inferius plura de vera coloris in genere caussa dicturi sumus, filum abrumpo, & ad aliam de nigredine Aethiopum opinionem considerandam propero.

§. 11. Alia enim adhuc restat ponderanda circa nigredinem Aethiopum sententia, quae ipsam imaginationem pro fundamento ponit; haec etenim adeo fortis est, ut totum corporis habitum immutare possit, quod experta fuit mulier Europaea, quae quum gravida in Aethiopem oculos attẽte quotidie defigeret, tandem enixa est infantem simili colore tinctum; fides sit penes Auctorem. Possent etiam innumera alia proferri exempla edocentia, quanta vis insit imaginationi, sed ne actum agam, unicum saltem ex *illustri Boyle* adducam, quod prae aliis argumenti hujus scopo magis respondet. *Narravit mihi pluries*, dicit, *ad modum ingeniosus Medicus, de nobili quadam foemina juvene, ad quam accersitus deprehendebat, quod licet illa multum de adversa valetudine quereretur, tum parum caussae appareret vel in corpore, vel statu ejus, unde divinare posset invaletudinem ipsius ultra imaginationem exporrigi, ut veritus propinare ei medicinam amicis illius persuaserit, ut amoenis quibusdam itineribus mentem ejus recrearent: in quorum uno quum haec Domina Winifridae virginis fontem inviseret, & per aliquot temporis spacium, utpote pia Romano catholica, in aqua illa ad precibus ibi vacandum, maneret, essetque occasio oculos attente admodum in silices illos rubicundos defigendi, qui in fundo hinc illinc sparsi, magnam eorum constituebant partem, qui trans aquam apparebant,*

esset-

essetque gravida, enixa est infantem puellam, cujus alba cutis maculis erat instincta, colorem, & magnitudinem lapillorum istorum referentibus; cuique puellae licet aliquot jam annos supervixerit, dictae tamen maculae tenaciter adhaerent, Quae historia egregie confirmare videtur ea, quae superius diximus. Verum enim vero, quamvis inficiari nolim, multum hoc in negocio praestare posse phantasiam, quod alibi in physicis prolixius docetur, tamen dubium est in eo, utrum pro caussa tali constanti & eodem semper agente ordine sola sufficiat imaginatio, quae alias ceu caussa quaedam extraordinaria ipsam impedire potest naturam, ut a consueto suo aberret scopo.

§. 12. Quibus praelibatis tandem ad veram rationi & experientiae conformem devenimus caussam, quam in formalem & materialem dividimus, formalem quod attinet, eam nec in oculis nostris, nec in ipsis objectis, sed in certa luminis modificatione quaerimus, quae unice a textura, vel superficie corporis colorati dependet, ut inferius dicetur. Materialem autem nigredinis caussam dicimus esse membranam quandam reticularem fuliginoso succo impraegnatam, cuticulam inter, & cutim totum corporis habitum investientem, quam ad corporis Aethiopici integritatem pertinere existimamus: hinc impossibile est, ut nativus iste color mutetur, nisi ipsa haec fuliginosa membrana prius a corpore divellatur, quod a variolis hinc inde in nonnullis corporis partibus factum fuisse observavit saepius allegatus *Dn. Boyle*. Haec assertio lucem suam foeneratur ex anatomia, quippe in cadaverum Nigritarum dissectione, in qua prae aliis largissimam navarunt operam *Piso & Pechlinus*, ad oculum demonstratur, latere quid mucosi vel fuliginosi subter cuticulam, quod splendidam hanc corpori conciliet nigredinem.

§. 13. Neque meo quidem judicio peccavero, si hac in parte celeberrimo *Malpighio*, ceu *Antesignano*, & cl. *Pechlino*, ceu oculari testi, & Nigritae dissectori exquisitissimo primas deferam, quorum fide & arbitrio merito stamus. Ipse enim *Malpighius* primus fuit, qui in variis animalibus inter cuticulam, & cutim cribrosum quoddam & reticulare corpus observavit, occasione cujus tandem in haec erumpit verba: *ex quo transeunter deduco non incongruam forte nigredinis Aethiopum caussam; certum enim est, ipsis cutim albam esse, sicut est cuticula, unde tota nigredo a subjecto mucoso & reticulari corpore ortum trahit*. Post hunc manum admovit cl. *Pechlinus*, & reticulare hoc corpus prolixe descripsit, cujus quoque verba hic apponere lubet: *est ergo*, dicit, *pingue quid & mucosum, quod utramque membranam molliter distinguat, quod in Aethiopissa nudis oculis manifeste contemplati sumus, in araneata tenuitate nigrum, opacum, & si conglobetur, cuticulae nitorem specularem obfuscans.* Et paulo post: *ostendimus liquido in Aethiopissa cutim candidiorem & suis illis notis insignem, quibus alias gaudere Europaeorum cutis solet. Quare si mucosa & reticulari fuligine cuticulam orbarem natura diaphanam, & mox imponerem cuti emersit continuo albedo illa in Europaeis sic satis spectata, quin haud illepida erat rei facies, quando hinc inde abrasa membranula nigra variegatur resulsit, & bicolor habitus, sicut esse ovium solet, aut canum, ubi ad cutim tondentur.* Ex quibus nunc liquido constat, nigredinis in Nigritis materiale fundamentum esse corpus quoddam organicum, tenue, mucosum, membraneum, reticulare, pingui & fuliginoso succo perfusum, cuticulam inter & cutim repositum, & candorem cutis per cuticulam alias relucentem opaca nigredine infuscans, tunicae uvae oculi fere per omnia simile. Cujus corporis superficiem infinitis scrobiculis praeditam esse existimo, a quibus radii luminares in eam incidentes maximam partem absorbentur, pauciores vero reflectuntur, in qua vera nigredinis ratio formalis consistit: hinc dari potest ratio, quare vestimenta nigra magis calefaciant, quam alba, quare etiam corpora nigra citius ad virium causticum accendi possint, quam alia, nempe quia nigra omnem calorem & suscipiunt, & susceptum fovent.

§. 14.

§. 14. Radiat sic ultima haec assertio sua propria luce, ratione, & experientia undequaque confirmata: hinc non possumus non stupendae hujus & constantis nigredinis caussam in seminalem quandam conjicere impressionem, quia est individuus & perpetuus corporis Aethiopici comes, ut etiam in infantes transferatur, qui in prima statim aetate in frigidiores transportari regiones coloris majorum suorum adeo permanent tenaces, ut eum nunquam exuant, quod tamen tantopere non amplius admirandum, quum jam omnes procreandi ideae liquori genitali impressae sese explicuerint. Verum quis primum Nigritam generaverit, usque adeo obscurum est, ut cum *celeberrimo Conringio* profiteri non erubescamus, & nos hoc nescire, qui ea saltem contenti sumus felicitate, quod hodiernorum Nigritarum coloris splendentis veram caussam tum materialem, tum formalem superius in scenam introduxerimus. Annitemur tamen hanc etiam superare difficultatem, remque si non acu saltem conjectura attingere, donec solidiora & meliora edoceamur ab aliis; nemo enim asserere audebit, Noachum cum suis filiis & habitu & colore Aethiopum fuisse praeditum, quo praesupposito explicatu erit & difficillimum, ubi & a quo novum hoc hominum genus sua coeperit primordia?

§. 15. Mihi equidem verisimilius videtur, aliquot Noachi posteros temporis diuturnitate talem acquisivisse dispositionem habitualem, ut juxta tenorem impressi characteris tandem infantes nigro colore tinctos generaverint. Ecquid quaeso frequentius est, quam parentes facie pallidos similes gignere infantes? vidimus ictericam peperisse infantem undiquaque flavo colore tinctum; ut asserere merito possimus, manipulum posterorũ Noachi deserta Arabie vel Aegypti loca occupasse; atque ad unum omnes excursionibus in spolia & rapina nec non venationibus valde deditos vixisse sub dio, & cibis in terra nigra, nilo nempe per vices impraegnata, natis quotidie usos fuisse: hinc novum plane nacti temperamentum, & moribus, & habitu & colore, ab aliis terrae incolis facere divortium: quum enim corporis sui essent negligentes, nec externae formositatis curam haberent, sordidi & moribus agrestes degenerarunt, tum a communi vivendi consuetudine, tum a pristina corporis pulchritudine, quae duo nexu adeo arcto sibi sunt conjuncta, ut fere perpetuo se invicem comitentur; ubi enim mores valde sunt agrestes, & mens sui proprii domicilii nullam habet curam, ibi varii & in ipsam oeconomiam inducuntur soloecismi, ipsumque corpus a suo nitore mirum quantum degenerat, aliamque plane induit faciem, quod ipsa experientia omnium rerum magistra confirmat.

§. 16. Sed haec generaliora sunt, & saltem fuscitatem quandam, & aliqualem coloris nativi mutationem suadere videntur, restat itaque, ut propius accedamus, & caussam magis constantem describamus, quod facturi praesupponimus perversa hac & inordinata diaeta & sordida vivendi consuetudine novum quoddam in corpore genitum, & toti massae sanguineae superadditum fuisse fermentum: quantam autem vim & potestatem habeant fermenta, aliunde satis notum est, & quum semen sanguinis ceu matris sequatur indolem, simili impraegnatum fermento ipso in utero notabilem in foetus formatione induxit mutationem. Quum enim antea ex colliquamento partes quaedam viscidiores inter alias fluidas in corporis ambitu moverentur, & desertae ab his cutim & cuticulam tandem constituerent; & solidarum partium induerent naturam, nunc in Nigritae infantis conformatione ob majorem liquoris genitalis fermentationem, & spirituascentiam partes innumerae ramosae, quales sunt pingues, & butyrosae, eousque sunt protrusae ut regredi nesciae & cum aliis terrestribus combinatae, mucosum tale & reticulare corpus constituerint, quemadmodum videmus, quod omnia pinguia colore, & agitatione nimium vexata tandem nigrescant, quod vel in butyro observare licet, praesertim si aliis fibrosis, & membranaceis commisceatur. Novum hoc fermentum

tum idearum aliqualem infert mutationem: etsi enim centrales eodem adhuc evolvantur modo, tamen superficiales nunc se aliter explicant, ut nova non solum pars organica subter cuticulam ipsi cuti adnascatur, sed & in corporis ambitu praesertim labiorum & narium corticibus novus quidam & a communi conformatione recedens habitus inducatur, quo habitu cum nigro colore Nigritae ab aliis gentibus distinguuntur. Sed haec forte non usque adeo satisfacient ut non aliqui remaneant scrupuli, quibus si non eximendis saltem aequius ferendis hoc conveniet remedium ex Lucretio desumtum.

Multa tegit sacro involucra natura nec ullis,
Fas est scire quidem mortalibus omnia. Multa
Admirare modo, nec non venerare; nec illa
Inquires, quae sunt arcanis proxima, namque
In manibus quae sunt, haec nos vix scire putandum:
Est procul a nobis adeo praesentia veri.

§.19. Objici adhuc posset, nigredinis caussam non posse a membrana tali peculiari dependere, quia Aethiopum infantes non nascuntur nigri, sed elapsis aliquot diebus demum tales fiunt; quum enim *Illustris Boyle* solertem quendam amicum suum sciscitatus esset, qui plures quam trecentos AEthiopes tam faeminas, quam mares in America ad colendum agros suos alebat, eorumne infantes nigri in lucem ederentur, respondit; non sic edi, sed prodire eodem fere cum Europaeis colore subrubenti, & post aliquot demum dies nigrescere. Confirmatur hoc apud eundem testimonio *Andreae Battoli*, quia a Lusitanis captivus Angolam missus, ibi & in regionibus vicinis octodecim fere annos partim captivi, partim gubernatoris navium, partim militis vitam egit; factaque Africani regni *Congo* dicti, a Nigritis habitati, mentione, haec habet: infantes in hac regione albi nascuntur; coloremque intra biduum cum nigro commutant. Sic Lusitani, regni *Congo* incolae, liberos interdum ex Aethiopissis suscipiunt, ac saepius patres decipiuntur, rati quando infans editur, prolem esse suam; & intra biduum filius filiave Nigritae deprehenditur, quod Lusitanos aegerrime habet. Verum respondemus ad hanc objectionem, colorem illum subrubicundum a nimia suboriri humiditate, sive liquoris serosi cutim inter, & cuticulam abundantia, cui infans in utero materno innatat, quo aliquot dierum spacio dissipato color sive candidus sive niger se magis prodit, antea ob humoris copiam absconditus.

§.18. Pro coronide nunc repetimus, colorem a luminis modificatione motuumque globulorũ secundi elementi varietate dependere, in ipsis autẽ objectis coloratis solam superficiem vel texturam istas instituere modificationes. Quae quum jam alia sit in Nigritis quam Europaeis, radios luminares, aliter quoque excipit, nec eos eo quo cutis Europaeorum modo, & ordine ad oculos remittit, unde sensus coloris nigri in nobis producitur. Hinc nigerrima sunt corpora, quae luminis motum extinguunt, quod in panno sericeo videre est, quum enim exigua filamenta sericea valde hispida sint, omnimodaque asperitate donata, si per microscopium ea intuearis, radios luminares vel absorbens, vel eos alio remittunt, quam ad locum in quo versamur, unde summa illa nigredo.

§.19. Rejicimus etiam vulgatam illam coloris divisionem in verum sive realem, & in falsum sive apparentem, quum omnis color sit verus, etsi singulis etiam momentis aliter atque aliter appareat; qui enim his coloribus nullam realitatem inesse existimant veram naturam colorum ignorant, nam exempla a collo columbae vel cauda pavonis vel etiam prismate vitreo nec non aulaeis vel apotelesmatis desumta nostram hypothesin non solum non evertunt, sed etiam illustrant, imo

magis

magis confirmant, colores nihil aliud esse extra nos quam luminis modificationes. Quod enim usus scholae obtinuit, colores alios esse reales alios duntaxat apparentes & quasi umbratiles, id nullo solidiore nititur fundamento; quum tota coloris natura in hoc posita sit, ut appareat & visibilis fiat. Quasi vero objectum, quod sensum realiter afficit & movet, non sit quid reale, atque in rerum natura non existat. Nonne iridis colores, quos inter apparentes recensent, suas imagines in specula transmittunt; quid igitur obstat, quo minus inter veros colores numerentur. Profecto quum objectum visus proprium sit color; neque ullum discrimen inter veros & apparentes animadvertat; quumque facultas circa proprium objectum falli non possit, optime concluditur, omnes colores ejusdem esse conditionis; sed manum de tabula.

DISPUTATIO XXXII.

Sequuntur

COLLEGII PRACTICI DISPUTATIONES TREDECIM.

I.

DE FEBRIBUS IN GENERE.

I. DOctrina de febribus difficultatum caligine involuta nunquam pro dignitate tractari poterit, nisi inveterata quaedam excutiantur praejudicia, & verae physicae dogmata tot Neotericorum rationibus, & experimentis confirmata vocentur in subsidium.

II. Falsum equidem est, sanguinem ex quatuor componi homoribus, cui vel sexcenta inesse jam dudum nos docuit *Cous*.

III. Et quae de calido innato decantatoque humido primigenio seu radicali, de sanguinis intemperie calida, ejusque privata nunc in majoribus nunc minoribus vasis putredine veluti basis, & fundamentum prudentiae Medicae supponuntur, vel inania sunt figmenta, vel saltem effecta & producta, quae male pro caussis obtruduntur.

IV. Hinc operae precium erit, ut animum aliter praepares, eumque rationibus phaenome*νων* quotidie extra nos occurrentium imbuas: qualia sunt variorum liquorum fermentationes: foeni recentis incalescentia: calcis vivae aspersa aqua ebullitio: caloris & luminis effectus aliaque varia, quibus neglectis facile deficies in explicandis phaenomenis intra nos apparentibus. Quod si hoc recuses, audi quaeso Doctiss. *Maxvellum*, Medicum Anglum, ita te alloquentem. Si philosophiam tantum vulgarem in scholis edoctam cognoveris, & si Medicus *Galenum* tantum sciveris a lectione quaeso hujus tractatus abstine, quia nec illum intelligere, nec de eo judicium ferre aptus es. Tibi sophismata sufficient, philologia placet, de impossibilibus & chimaeris disputare gaudes, ab his ego abstinui.

V. Itaque semel pro semper notamus, sanguinem nostrum tam diu sub exactae mistionis vinculo detineri, quamdiu partes illae indefinitae eum componentes, quales forte sunt quae vinum, & lac constituunt, ita se mutuo tangunt, ut materia aetherea omnia replens intervalla justam earum agitationem conservare possit, destrui vero hoc vinculum, nuncque plus minus relaxari, quoties alia interstitia peregrinique pori inter partes fluidas formantur; inde tot prodeunt febres, inordinatique humorum motus, & fermentationes.

VI. Si enim nihil movetur a se ipso, omnisque motus est ab alio, non videmus

quo-

modo per sola corpuscula activa, sal, sulphur volo & spiritus, apparentiae explicari possint, nisi quis nobiscum agnoscat, omnium particularum sanguinem constituentium motum esse a materia Mundi subtilissima, minima etiam interstitia omnesque poros intelligibiles replente, variaque corpuscula variis motibus exagitante.

VII. Deinde non cogitandum sanguinem qua sanguinem nutrire, vel ex arteriis sub forma sanguinis in partes solidas egredi, sic enim esset sanguis extravasatus brevi in cadaverosum degenerans. Sed hujus loco per poros tunicarum egredi arteriis particulas chylosas, gummosas, & serosas, succum nutricium constituentes, sub lymphae forma per vasa lymphatica novo a spiritibus animalibus accepto vigore cordi denuo inferendum.

VIII. Quibus hoc addendum, animam de insuetis saltem fibrillarum motibus judicare. Hinc quamvis fibrae partibus fluidis sub roris, vel vaporis forma minima ipsarum interstitia perfluentibus innatantes semper sint in motu quodam tremulo, nulla tamen propterea vel caloris, vel frigoris, &c. idea concipitur, sed tunc demum, quando hic motus vel augetur, vel imminuitur.

IX. His accensendum, sanguinem cum vino commune habere, ut hoc vel illo anni tempore plus exagitetur, quam alio.

X. Quibus praemissis statuimus, omnium febrium essentiam & rationem formalem in turbata sanguinis mistione consistere.

XI. Non enim omne quod sanguini immiscetur, statim producit febrem, sed saltem illud, quod est naturae fermentativae, ut loquitur *Willisius*, hoc est, quod sanguinis turbat mistionem.

XII. Potest tale fermentum febrile ab omnibus partibus cordi per vasa lymphatica communicari, in ejusdem thalamis sanguinis mistionem turbare, quod in vulneribus, bubonibus, & ulceribus observamus quotidie.

XIII. Ut plurimum tamen ortum trahit ex aëre peregrinis corpusculis contaminato: cibi & potus vitiosa administratione: intermissa consueta aliqua evacuatione, vel animi affectibus.

XIV. Differentiae febrium desumuntur a tempore accessionis, fermentationis gradu, & diuturnitate: mistionis plus vel minus turbatione. Suntque vel continuae, vel intermittentes: putridae, vel non putridae: benignae, vel malignae: symptomaticae, vel essentiales.

XV. Pulsus praeter naturam frequens semper indicat febrem.

XVI. Curatio absolvitur fermenti excussione, mistionis turbatae restitutione, & symptomatum urgentium mitigatione.

XVII. Venaesectio non semper prodest, sed saepius sanguinem magis turbat. Immo praeservationis gratia frequentius administrata febribus fores aperit.

XVIII. Purgantia cacochymiae medentur. Omnium optime turbatam mistionem emendant sudorifera; quibus omissis nunquam sine recidivae metu febres curantur.

XIX. Si ad aetatem senilem usque nil nisi lac sumeremus, & tunc demum vinum, nunquam vel rarius febricitaremus.

2.

DE FEBRIBUS IN SPECIE.

I. PRaemittimus cum *cl. Riverio* febres simplices, solo forte gradu a putridis differentes: quo enim major erit mistionis sanguinis turbatio, eo majorem dicemus adesse sanguinis putredinem, quam & in ipsis pestilentialibus in summo constitutam gradu agnoscimus.

II. Gradu iterum differt a synocha non putrida ephemera, estque unius diei febris, illa plurium, & non raro ad septimum se extendit. Quod si imperite tractentur, in putridam facile degenerant.

II. Oriuntur quando ob crapulam, venerem nimiam, animi passiones, exercitia vehementia, vigilias, potus frigidi copiam, insensibilis transpirationis denegationem, lactis, aut puris generationem sanguinis mistio plus minus turbatur.

IV. Signa diagnostica sunt calor ad tactum mitis, quia motus fibrillarum tremulus a particulis fluidis non usque adeo augetur: dolor capitis minus vehemens, ob minorem sanguinis intemperiem, nec non particularum rigidarum inopiam, & debilem fermentationem: pulsus magnus & aequalis, quia sanguis in corde aequaliter rarefit, frequens tamen, quia ob auctam fermentationem cito elabitur & illabitur, unde aliqualis respirandi difficultas, & pectoris angustia.

V. Prognosis salutem promittit, si aeger, adstantes & Medicus rem bene agant.

VI. Curatio inchoanda est clysteris injectione: post in synocha sanguis parce extrahendus: tandem benigniora antifebrilia corpus citra magnam sanguinis agitationem ad sudores disponentia per intervalla erunt propinanda, si insimul etiam foris nimiae fermentationi limites ponantur. His scopis satisfaciunt aquae febrifugae, emulsiones ex semin. frigidis. Julepi ex decoct. hord. cum rasura cor. cer. & tamarindis parati, & tinct. refrigerante acidulati. Lapis prunellae a Riverio tantopere commendatus: pulveres testacei, antimon. diaphoreticum, epithemata pro hepate, corde & pulsibus.

VII. Galenus jubet, sanguinem ad animi deliquium mittere, & aquam frigidam in tanta exhibere copia, ut aeger pallescat, tremat, & toto corpore refrigeretur. Verum enim vero, quum haec remedia non vacent periculo ea ceu Medico cordato indigna cum *cl. Riverio* praescribimus.

VIII. Quando latex aquosus in sanguine disperditur, quod a pluribus fieri potest caussis, acquirit sanguis intemperiem acrem & fermentativam, unde febris hectica ortum suum trahit.

IX. Solet autem hectica plerumque sequi alias febres non bene curatas, & purulentam aliquam inflammationem in quadam parte sive ignobiliori, & occulta, sive nobiliori & manifesta post se relinquentes. Quum vero humores circulantes istam partem continuo permeent, peregrinam hauriunt materiam, sanguinis mistionem in corde turbantem, ipsique intemperiem acrem inducentem, adeo ut omnem hecticam quodammodo symptomaticam esse dicere possimus: si enim pus e pulmonibus exulceratis, vel ex parte quadam vulnerata per vasa lymphatica ad cor delatum, hecticam producit, idem hoc fieri posse, si in interiori aliqua etiam ignota parte humor lateat purulentus, quis inficiabitur?

X. Tres febris hujus ponuntur gradus. In primo alteratio cum extenuatione adeo levis, ut vix a Medico, vel etiam aegrotante observetur, sicque perit interea momentum temporis curationi aptissimum. In secundo gradu caput magis exserit, seseque prodit una vel altera post cibum assumtum elapsa hora calor, in malis, & manuum volis magis sensibilis. In tertio gradu hectica facile cognoscitur, sed difficillime curatur, tunc enim phaenomena latius se explicant, & ex facie Hippocratica, urina oleaginosa, sudoribus nocturnis, calore continuo, & prout vocatur habituali certiora legi possunt signa.

XI. Calor post assumtum cibum tribus praeter propter elapsis horis intenditur, qui eo tempore pervenit ad cordis ventriculos chylus antea in ventriculo non bene mistus, alios sanguini concilians poros.

XII. Corpus ad maciem redigitur tantam, ut caro vix ossibus haereat, quoniam singulis arteriarum pulsibus acres & rigidae particulae loco flexibilium & gummo-

sarum e poris earundem egrediuntur in nutriendarum partium tubulos, quae nequaquam aptae natae sunt ad nutriendum, sed ad corrodendum.

XIII. In curatione cathartica, & venaesectio cane pejus fugienda.

XIV. Omne enim ferunt punctum, quae sanguinem dulcificant, & acrem ejus corrigunt intemperiem, atque internam sanant exulcerationem, quod destillata & decocta, aliaque juscula restaurantia ex sanguine porcino, hepate, pulmonibus, & corde vituli, cancris, limacibus, ranis, passulis, & herbis humectantibus parata praestare queunt.

XV. Quibus omnibus palmam eripit lac muliebre mature in usum vocatum, si ex uberibus sugatur, quod vel centies vidi. Sin hoc non placeat, elige asininum: interim ab omni alio cibo, & potu abstinendum, alias oleum, & operam perdes.

XVI. Alvi fluxus singulis fere momentis habenda est ratio, quo urgentissimo omniumque nocentissimo symptomati mature obviam ire possis.

XXII. An decantatum Poterii antihecticum famam sustineat, hactenus nec credidi, nec credere potui. Si enim quid singulare habet, latet id profecto in virtute concentrandi acidum.

F I N I S.

3.

DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

I. Quae febres certis temporum intervallis recurrunt, & ad plenariam ἀπυρεξίαν deveniunt, intermittentes vocantur. Ut quotidiana intermittens. Tertiana intermittens. Quartana intermittens.

II. Solent hae febres statis adeo temporibus, ut plurimum suas repetere periodos, ut automaton horologicum vix exactius horas metiri possit. Cujus mysterii caussa, ut opinor, quaerenda est in tubuli obstructi capacitate, & materiae febrilis maturatione.

III. Nam vitiosus quidam humor primum in tubulo partis alicujus solidae vel etiam in pluribus colligitur, eosque obstruit, post ob motam naturam fermentativam acquirit, & turgescens praeterfluentibus humoribus miscetur, & ad cor deducitur, ubi cum sanguine misceri nescius primo frigus & rigorem, post ligni viridis instar in apertam erumpit flammam, & effervescentiam valde auget cum intensissimo totius corporis calore, tam diu durante, donec fermentum hoc penitus vel subigatur, vel excutiatur.

IV. Ast quum interea nova materia aequali mensura hunc focum ingrediatur, in quo fermenti portio remaserat (nam quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu) similem vim fermentativam acquirit, sanguinis motui naturali plane contrariam, sicque aequali horarum spacio accessionem febrilem inducit, & etiam periodum absolvit.

V. Quo autem humor magis mobilis est, eo facilius ad maturitatem pervenit. Hinc pituita singulis movetur diebus, & quotidianam, bilis alternis, & tertianam, melancholia autem quarto demum die, & quartanam producit.

VI. Paroxysmi cum frigore & rigore accedunt, quum enim anima rigorem a frigore saepius perceperit, jam juxta consuetudinem judicans frigoris ideam iterum concipit, quod revera non semper adest, alias vel solo igne tolli posset. Inducitur autem rigor a sanguinis particulis acidis ex arteriarum poris loco chylosarum ob debilem sanguinis fermentationem & turbatam mistionem in tubulos partium nervosarum, & membranosarum egredientibus.

VII. Caussa febrium quaerenda in vitiosa sex rerum non naturalium vel administratione vel qualitate.

VIII. Nonnunquam certa materia aetherea humorem delitescentem excutit, & sanguinem ad inordinatos motus recipiendos disponit, quod in intermittentibus malignis, & contagiosis videmus.

IX. In curatione totum mysterium in certae alicujus circumstantiae observatione consistit. Qui capit capiat.

X. Empytici nonnunquam fortiori exhibito emetico famam praescindunt Medico. Nulli tamen Auctor ero, ut fortioribus remediis febres intermittentes curari posse persuasum habeat. Ego mille curavi febricitantes, neque forte centesimo vehementius catharticum vel emeticum propinavi.

XI. In quotidiana vina medicata valde prosunt, si purgantibus specifica amara addantur.

XII. Venaesectio prudenter instituta instar specifici alicujus febrifugi instantem paroxysmum tollere potest.

XIII. Ad specifica nunquam nisi praemissis universalibus confugiendum, ne dolosam videamur instituere medicinam, & ulceri cavo moxque denuo erupturo cicatricem inducamus, prout loquitur *cl. Willisius.*

XIV. Tertianae focus ut plurimum est in hepate.

XV. In juvenibus saepius facile curatur. In senibus autem vel vitae filum abrumpit, vel saltem difficilius curatur. Semper quantum possibile opera est danda, ut non degeneret in hecticam vel phthisin.

XVI. Curatio blandiori cathartico in die intermissionis auspicanda. Dein specificis, & mitioribus diaphoreticis agendum, inter quae laudem merentur arcanum duplicatum, sal *Sylvii*, spiritus salis armoniaci temperatus, specificum febrile *Crollii*, pulvis e testis concharum recens, alumen cum pipere, aqua febrifuga, &c. Quibus omnibus palmam eripere videtur febrifugum *celeberrimi Craanen.*

XVII. Mulierculae nostrae inter externa commendant emplastra ex terebinthina, & semine santonici, carpis manuum applicanda, ut & cataplasma ex allio, sale, croco & aceto digito annulari imponendum,

XVIII. Diaeta sit tenuis. Vitentur juscula carnea carnes & vinum.

XIX. Si in diversis tubulis diverso tempore fiat obstructio ab humore bilioso, potest inde fieri tertiana duplex, quam praeter quotidianam dari statuimus.

XX. Quod si bili pituita misceatur, & sanguinis intemperies viscida concurrat, oritur, notha.

XXI. In quartana volatilisantibus plus proficimus, quam purgantibus, quae facilius in cachexiam, hydropem aut scorbutum aegrum praecipitant. Praerogativam autem obtinet spiritus salis armoniaci volatilis salsus. Conducunt quoque chalybeata, & acidulae.

XXII. Accusamus hic sanguinis intemperiem foeculentam, & tartaream.

XXIII. Dolor artuum lancinativus provenit ab acido.

XXIV. Quartana ut plurimum in autumno invadit, & in vere curatur.

XXV. Soli & aëris mutatio curat saepius, quod non curat medicina.

XXVI. Crapula ex vino generoso vel malvatico nonnunquam praeter omnem exspectationem hanc febrem radicitus exstirpavit.

4.

DE SYNOCHA PUTRIDA, CAUSONE, TERTIANA, CONTINUA, ALIISQUE FEBRIBUS CONTINUIS PUTRIDIS.

I. Quando humor quidam fermentativa praeditus qualitate motui, & mistioni sanguinis plane contraria e suo foco in quo colligitur continuo veluti e minera cordi suggeritur, vel saltem antequam totalis adsit ἀπυρεξία, priorque portio materiae febrilis nondum penitus attenuata, & a sanguine subacta vel etiam foras eliminata sit, ad sanguinem cum humoribus circulantibus defertur, febris producitur continua periodica. Quod si sanguis sponte, levi forte hinc inde nacta occasione effervescat, & ejus partes in inordinatos cieantur motus, ut intra plures dies vix ad pristinum ingenium reduci possint, febrem continuam eamque ob nimiam sanguinis mistionis turbationem, & inde pendentium graviorum symptomatum colluviem putridam adesse dicemus. In quibus essentialis, si quae est, continuarum ab intermittentibus consistit differentia.

II. Unde variae prodeunt species. Si enim calor valde fuerit intensus, aequaliter durans toto morbi decursu, cum siti inextinguibili, erit causus seu febris ardens. Quod si nec sitis nec calor adeo urgeant, interim cum rigore febris invaserit, & in principio symptomata mitiora appareant, post in augmento morbi incrementum capessant, & ad criticam evacuationem sese componat morbus, erit synocha putrida in specie sic dicta, gradu a causone differens. Sin vero certis horarum intervallis exacerbationes caloris observentur, aliam sortietur febris denominationem, eritque pro varietate humoris, & accessionis vel quotidiana continua, quae frequentior: vel quartana continua, quae rarissima est. Quando autem febrem inflammatio vel praecedit, vel sequitur, quod frequentius fit, oriuntur inde febres symptomaticae vulgo dictae, quae a parte inflammata suas accipiunt denominationes, ver. gr. pleuritis, peripneumonia, phrenitis, angina &c.

III. Caussa quaerenda in humore vitioso, qualiscunque ille nunc sit, poros habens poris sanguinis plane contrario, qui generatur talis ex διαπνοῇ impedita, aëris vitio vini generosi abusu, nimia aquae voracitate. A quibus caussis fores aperiuntur sali volatili oleoso, ut cum acido, ob turbatam mistionem manifestius se explicante, tanto cum impetu congrediatur, & ejusmodi calorem plus minus intensum producat.

IV. His in febribus solet natura crisin moliri, quae ob peculiarem sanguinis, & humoris putrescentis conditionem nunc citius nunc tardius instituitur, quo termino exprimimus clare, & satis perspicue, quicquid cognitionem medicam requiri videtur.

V. Quo autem citius urina redditur coloris nonnihil remissionis cum mediocri consistentia, & sedimento sponte subsidente, eo brevior erit morbus, & salutari judicabitur crisi.

VI. Urina turbida nullum deponens sedimentum magnam humorum turbationem, & confusionem indicat.

VII. Quo urina rubicundior & tenuior, eo pejor.

VIII. Pulsus debilis dubii eventus praenuncium. Intermittens, nisi simul valde debilis sit, non semper exitiosus.

IX. Pulsus bonus, magnus nempe & aequalis, cum symptomatum ingravescen-

scentia, & pravitate melior est & tutior, quam debilis cum symptomatis mitioribus; hic enim saepe fuit funestus.

X. Autumnales continuae magis periculosae sunt quam vernales: in illis post declinationem semper purgandum ob recidivae metum in his supersedere potes; quod enim illic facit medicina, hic praestat aether.

XI. In principio, primo nempe & secundo die, si quid movendum vides, move, purga, seca. Inter purgantia locum sibi vendicant non postremum infusa laxativa: ipsa quoque emetica prudenter exhibita graviora avertunt symptomata.

XII. Clysteres in juvenili corpore valde conveniunt, praesertim in morbi principio. In senibus minus tuti sunt. Instante crisi & morbo declinante nocent.

XIII. Alterantia sunt spiritus acidi minerales diaphoretica tutiora, mistura de tribus, spiritus, cor. cervi aliaque apud practicos obvia.

XIV. Qui statim ad cardiaca veluti sacram anchoram confugiunt, aegrum in summum praecipitant periculum, & scopulo imprudentiae allidunt.

XV. De narcoticis idem esto judicium, in principio & statu nocent, in augmento vix sine periculo conceduntur, tutius post diem undecimum, vel decimum quartum dari queunt.

XVI. Non raro sanguis his in febribus malignam acquirit intemperiem, quae ordinariam medendi methodum si non immutat, saltem flectit, praeprimis quoad purgantia, & venae sectionem. Hinc pulsus etiam in principio morbi accurate explorandus. Si enim citatior sit, non audeo suadere catharticum. Si pulsus humilis vel depressus, ipsa diaphoretica praesertim potentiora suspecta sunt, quo in casu cardiacis temperatioribus naturae alacriter succurendum erit.

XVII. Symptomatum febres has comitantium mature habenda est ratio, qualia sunt alvi fluxus, vigiliae sitis aliaque liquori tam vitali, quam animali infesta.

XVIII. Accidit interdum, ut febri etiam curata vires nihilominus valde attritae sint, & extrema remaneat debilitas, quo in casu *Sydenham* adolescentuli vivum vegetumque calorem commendat, quem aegrotanti applicare jubet, propriaque experientia confirmat, aegros valde hoc remedio corroborari, naturamque debilem juvari, ut semet a materiae secernendae eliminandaeque reliquiis exoneret. Addit quod calor hic humano generi congener, tum simul blandus, humidus, aequalis perennisque sit. Sed plura pagellae non capiunt.

5.

DE FEBRIBUS MALIGNIS PESTE VARIOLIS, ET MORBILLIS.

Thesis Prima.

FEbrium malignatum genius ex symptomatum gravitate & colluvie, funerum frequentia contagii vi colligitur, e quibus harum febrium latitudo variique malignitatis gradus facile evinci possunt. Ut enim in vino & lacte varios turbatae mistionis gradus observamus quotidie, ita partes sanguinem componentes plus minus a se invicem secedentes, insignem malignitatis constituunt latitudinem,

II. Atque adeo major erit malignitas, quo major particularum secessio, & dissocia-

sociatio, cujus extremus gradus est seminalis crasis eversio, & destructio, & in peste terminatur.

III. Solent enim hae febres a peculiari quadam symptomatum conditione nonnullisque accidentibus aliis peculiaria sortiri nomina. Symptomata solito graviora citra caussam manifestam febrem faciunt simpliciter malignam: si exanthemata seu maculae appareant, erit petechialis; quod si calor non adeo intensus dolor interim capitis sit vehementissimus cum delirio, somnolentia & linguae ariditate, Castrensis seu Ungarica dici meretur. Sin denique plures febri, gravioribus stipata symptomatis, in una domo, oppido vel vico corripiantur, qua plures intereant quam liberentur, maculae lividae, vibices, stygmata vel post mortem vel paullo ante obitum appareant, febris erit pestilentialis, a qua bubonibus, & anthracibus saltem distinguitur pestis, quae est morbus epidemius, contagiosus, acutissimus, & perniciosissimus exanthematum, bubonum, carbunculorum aliorumque saevissimorum symptomatum satellitio stipatus.

IV. Caussa est miasma putredinale vel venenum pestilentiale plus minus acre & volatile, quod ex particulis rigidis, acutis, gladiolorum instar pungentibus, & continuum solventibus componitur. Demonstrari id posse confidimus, si quis venenorum descriptionem a priori addiscat a Philosophorum phosphoro *Renato des Cartes*; dein veneni pestilentialis effectus attente consideret. Quid enim quaeso ex pruritu illo saepius valde molesto in loco ubi bubones, & anthraces exoriuntur, quid ex subsequente excoriatione aliter arguere licet, quam particulas eo versus motas rigidam esse, non molles nec flexiles, deinde praeter rigiditatem simul acutas esse, non obtusas; in visceribus interioribus res magis fit conspicua, dum *Helmontius* ventriculum triplici reperit pertusum eschara in peste, qualiter olim viderat stomachum ancillae perforatum, quae volens biberat arsenicum: & celeberrimus *Bartholinus* in cadavere febri maligna extincto vidit viscera nigricantia erosa & sphacelata, ut sine ruptura attrectari nequiverint. Ipsa quoque alexipharmaca si respiciamus, digito quasi ostendent, hanc & non aliam esse corpusculorum arsenicalium figuram. Vide sis collegii publici disputationem ultimam.

V. Habet venenum istud pestilentiale natales suos ut plurimum in telluris gremio, inde ab extraordinario solis calore, vel praevio terrae motu ab igne subterraneo sub minutissimarum atomorum forma ad superficiem usque attollitur, & in itinere cum aliis ramentis subterraneis concrescens nunc mitius nunc potentius factum in sublime rapitur, & intra aëris poros susceptum longe lateque distribuitur.

VI. Miasmata e stagnis, locis uliginosis, speluncis tenebricosis & cadaveribus quotidie exspirari nemo ibit inficias, unde si non pestis, saltem aliae febres malignae sua capiunt primordia. In castris & militum contuberniis ob squalorem, & effluviorum varie inter se concrescentium, & colluctantium copiam nonnunquam infelix hic editur partus. Quae caussae si conjungantur, & corpora nostra ob annonae caritatem, terrorem vel moestitiam varias subeant alterationes, malum crescit eundo, & potentius redditur.

VII. Propagatur malignitas per contagium, cujus indolem elegantissimis exprimit pro more suo terminis *Helmontius*: dum illud gas monstrosum, fracidum, pestilentiale, vel fracedinem cadaverosam in suo tractatu, *tumulus pestis* inscripto, nominat. Revera enim est gas arsenicale, e corpore pestifero exspiratum, quod pristinam suam indolem longo temporis tractu illibatam servare, & tandem qua data porta corpus ingredi potest. Sicut pes sui in terra relinquit vestigium, ut canis odore Heri sui semitam sequi possit, vel ferae per gramina currentes quaqua versum spargunt effluvia aliquot dierum spacio indelebilia, eundem in modum peste correpti auram venenatam spirant, quae ab adstantibus hausta funesta ob fermen-

ti mumialis symboli sationem brevi ludit dramata.

VIII. Quod autem plures malignam captent auram, neque tamen omnes peste statim corripiantur, meo quidem judicio ex sanguinis diversa facie, motu nempe & mistione, deducendum: possunt enim hoc in subjecto ejusmodi particulae obviam ire veneno pestilentiali, ut ipsis associatum statim in tertium mutetur, dum e contra in alio ob aliorum corpusculorum concretionem venenum novas quasi nanciscitur vires & eundo crescit, quemadmodum similem metamorphosin in mercurii sublimati, praecipitati, dulcificati resuscitati praeparatione in chymicis quotidie cernimus.

IX. A secessione particularum, sanguinem constituentium, & hinc inde restagnantium, nunc varia producuntur symptomata. Bubones erumpunt in adenibus, quia pori in glandulosis partibus magis obliqui, & forte minores sunt, quam in partibus membranosis, & carnosis. Carbunculi in partibus carnosis, vel membranosis apparent ob vim escharoticam, dum materia fulminis instar partes nonnullas transeundo earum siderationem post se relinquit. Dolor capitis a rosione, convulsio a spirituum animalium ἀταξία, sopor vero ab eorundem crassitie vel paucitate oritur. Linguae siccitas partim a denegata humorum circulatione. Respiratio a sanguine grumoso circa praecordia redditur difficilior. Ἀνορεξία est a fermenti destructione. Alvi fluxus a sanguinis turbatione, bilis acrimonia, & chyli putrilagine producitur. Maculae fiunt, quando vascula capillaria hinc inde confringuntur, & sanguis guttulatim subter cutem restagnat, quae rubrae manent, quamdiu partes fluidae & valde mobiles erunt, sin hae evanescant solis crassioribus remanentibus erunt nigrae vel lividae.

X. Aura haec venenata per inspirationem attracta subit nonnunquam pulmonum substantiam, thoracis cavitatem, & ipsius diaphragmatis poros, post convexam ventriculi partem tinctura sua inficit, ut saepius sphacelo corripiatur. Quod in praxi observari poterit, si ad regionem doloris de quo aegrotantes febri maligna vel etiam peste correpti frequenter conqueruntur, attendere velimus. Neque enim viae illae obscurae sunt, sed satis tritae, quum totum corpus vivens sit transpirabile, qui meatus tamen in cadavere nunquam ostendi poterunt. Hinc est, quod oleum succini vertici illitum in gula degustetur, & quod gravida foetum mortuum gestans putrilaginosum in ore percipiat saporem: per similes quoque meatus potus largius assumtus brevi ingreditur vesicam.

XI. In prognosi semper ad symptomatum vehementiam, & virium constantiam attendendum. Alvi fluxus cum lipothymiis magnum portendit periculum. Ejusdem notae est cruentus. Maculae lividae, nigrae, latae vibices, & stigmata tristis eventus sunt praenuncia. Vomitus dubii eventus praesagium; anthraces in loco cordi vicino, bubones circa collum vel retro aures, funestum dicunt eventum. Quo citius in locis consuetis erumpunt, eo melius.

XII. Praeservatio in his consistit, ut aërem infectum fugiamus, quod si id non liceat, aërem corrigamus, & corpora nostra disponamus, ut truculentum illum hostem non tam facile admittant.

XIII. Aër corrigitur, si luculenti ignes hinc inde accendantur ligno juniperino, doliis picatis, aliisque. In aedibus vero suffimigia instituantur ex rasura corn. bovin. hircin. sulphure, pulvere pyrio, aceto bezoardico &c. In conclavi aeolipila liquore alexipharmaco repleta & igni, ad ventum artificialem generandum admota, commendatur. Quo etiam campanarum sonitus & bombardarum crebriores explosiones referri debent.

XIV. Inter remedia ultimo scopo satisfacientia vix centesimum famam sustinebit. Placent nobis amuleta ex bufonibus, succino & radice plantagin. majoris. E bufonibus suspensis per oculos, & nares vermiculos egredi in pestis praeservatione

ne

ne valde proficuos tradidit *Helmontius*, ad cujus imitationem doctissimus Medicus Austriae *Irmblerus* trochiscos praeservativos paravit, quos plurimi salutares, & efficaces deprehenderunt. Alii commendant arsenicum vel mercurium, quae tamen nec in peste Noviomagensi cl. *Diemerbroeckii*, nec in Londinensi Dn. *Hodges* exspectationi satisfecerunt. Non tamen inficiabor, fieri nonnunquam posse, ut spiritus arsenicales per aëra oberrantes facilius tali amuleto ob similitudinem configurationis adhaereant, sicque corpus vel non ingrediantur, vel ingressi iterum deserant.

XV. Amuleta talisman dicta, certa figura sub planetae alicujus dominio sigillata, nequaquam superstitiosa sunt, si cum *Auctore discursus physici de influxu astrorum* supponatur 1. influxum hunc nihil aliud esse, quam certam materiam subtilem per planetae eclipticam continuo fluentem. 2. ab hac materia per aërem volitante aëris mutationes variasque tempestates dependere. Et 3. quodlibet corpus potius moveri, ubi minor est resistentia. Cui negocio pertractando forte accommodatum prae aliis erit systema *des Cartes*.

XVI. Sequuntur nunc interna, inter quae ut opinor, principem obtinet locum vinum generosum modice interdiu ad hilaritatem sumtum. Nemo *inquit Helmontius* pauper est, aut defectuosus, quamdiu ex potu hilaris est. Praeservavit se eodem remedio cl. *Diemerbroeck* in peste Noviomagensi, cujus usum *Henricus Sayer in Anglia* adeo efficacem deprehendit, ut eo nemo unquam in hoc morbo fuerit cordatior. Ego propriam quoque adducere possum experientiam, qui quum ante plures annos peste infectos inviserem, jejuno ventriculo aliquot cochlearia vini sumsi, & solo hoc remedio per Dei gratiam a contagio immunis perstiti. Sunt alia quoque quae laudem merentur. Angelica, zedoaria, infusum antipestilentiale. Trochisci antiloimici, electuarium praeservativum *Mayerni*. Neque fontanellae laude sua defraudandae, quae grassantibus morbis malignis ab omnibus gestari debent. Caro porcina & haleces nocent. Interim aliquid dandum consuetudini.

XVII. In curatione illis Medicis puto credendum esse, qui pesti interfuerunt, reliquorum enim consilia ego quidem tanti non facio. Damnamus itaque purgantia. Proscribimus venaesectionem, quicquid etiam alii in contrarium regerant: stat a nostra parte experientia, nec ipsam rationem habemus contradicentem. Vomitoria tunc demum concedimus, quando Medicus statim in principio vocatus ventriculum cibo repletum reperiat.

XVIII. Omne autem ferunt punctum alexipharmaca sudorifera, quae intra 18. horas ter propinari debent: ita tamen ut virium semper habeatur ratio, quem in finem acida cardiaca saepius inter sudandum delibari debent. Interea foris nihil omittendum eorum, quae necessaria videntur, inter quae locum habent vesicatoria, in principio applicata femori, & brachio; quod si bubones appareant, ipsorum usui supersedere poteris.

XIX. Anthraces caute tractentur, ne in gangraenam totius degenerent. Instar omnium haberi potest cataplasma *Diemerbroeckii* una cum lixivio theriacali. In bubonum autem evocatione, & maturatione praestantius non datur remedium, quam emplastrum *Nathanael. Hodges*. Farraginem medicamentorum ceu ipsam pestem hic fugito.

XX. In malignarum febrium curatione venaesectio nonnunquam admitti potest, ita tamen ut parcius sanguis detrahatur. Fugienda sunt ratione febris sudorifera calidiora, quem in finem emulsiones ex sem. rapi carduibened cum aquis alexipharmacis temperatioribus, nec non pulveres bezoardico minerali, terris metallicis & pinguibus, ut & sulphure metallorum fixo commendantur. Viennae datur in Nosocomio pulvis quidam camphoratus, quo plures febri Ungarica labo-

rantes brevi restituuntur.

XXI. Variolae quum semper a caussa communi oriantur, & epidemicae sint, etiam ad febres referuntur. Sunt autem pustulae saniosae, ope magnae sanguinis effervescentiae uti faecis a musto ad corporis ambitum protrusae, cum febri continua, tussi, respiratione difficili, vigiliis, terrore in somno, pruritu. Nonnunquam graviora accedunt ante pustularum eruptionem symptomata, convulsiones, epilepsia, diarrhoea, vomitus.

XXII. Caussa hujus morbi in utero generatur, & concipi debet instar certi alicujus fomitis, in latibulo partis alicujus foetus in utero materno extra sanguinis & humorum circulantium patriam collecti, quod si nacta post nativitatem occasione sanguini demum misceatur, generat febrem, mediante autem hac ebullitione partes impurae ab utilibus segregatae in habitum corporis effusae pustulas producunt.

XXIII. Quum enim foetus in utero non sanguine materno, sed chylo nutriatur, facile intelligi potest, quod chylus ille non adeo purus sit, quum diutius saepius inter membranas foetum involventes haereat, & in ipso postmodum infante non magis depuretur, immo ob denegatā insensibilem transpirationem, & denegatam in pulmonibus sanguinis ventilationem magis inquinetur, unde facile portio impuri chyli in latibulo absconditur, successu temporis naturam sanguini plane contrariam acquirens, & non nisi certae materiae aethereae postmodum auscultans.

XXIV. Multi enim morbos patiuntur, in quibus sanguis valde effervescit, neque tamen fomes iste tunc excutitur, sed tunc demum prodit ex ergastulo, & per vasa lymphatica ad cor defertur, quando certa materia aetherea satis potens, & efficax ad eum exagitandum, & ejiciendum corpora nostra permeat. Nihil enim huc confert copia materiae, aethereae, sed qualitas seu certa modificatio requiritur, quemadmodum magnes non attrahit ferrum nisi ob propriam materiam aethercam, & quamvis igni impositus a copiosiori permeatur materia subtili, tantum tamen abest, ut vis magnetica augeatur, ut potius imminuatur vel plane destruatur.

XXV. Quod si fomes iste totus e latibulo suo ejiciatur, nunquam talis homo iterum corripietur variolis, sin portio remaneat, bis vel ter per intervalla iisdem laborare potest. Neque adeo necesse est, ut quilibet homo morbum hunc experiatur, in quibus enim fomes ille non colligitur, vel materia aetherea, eum alias excutere apta nata, non satis virium habet ob humoris viscididatem, illi a malo hoc toto vitae decursu immunes erunt.

XXVI. Aetate profecti gravius, & periculosius decumbunt morbo hoc correpti, quam infantes, quia fermentationes in illis acriores sunt, & pori magis angusti, in his vero partes molliores sunt, adeoque faecibus transitum quaerentibus facilius cedere queunt.

XXVII. Si pustulae cito egrediantur, justam prae se ferant magnitudinem, & pus laudabile contineant, malum caret periculo. Sin vero semel visae recedant, & evanescant, nisi brevi redierint, actum erit de vita, quia sanguini debita fermentatio, & circulatio statim denegabitur.

XXVIII. In adultis venaesectionem admittimus, natura quasi monstrante viam, dum in nonnullis narium haemorrhagiam salutarem, & proficuam experti simus.

XXIX. In purgantia autem severius animadvertendum, quae plane exulent. Aliorum nocumenta nostra debent esse documenta.

XXX. Quid vero Medico agendum sit ipse motus humorum indicat: is scilicet a centro ad superficiem juvandus, nisi solius naturae viribus satis fortis sit, ubi prae-

praestat agere spectatorem quam actorem.

XXXI. Motum juvant diaphoretica blandiora: lapis bezoard. cor. cerv. philosophice calcinatum, semina expulsiva, aqua expuls. fumariae, &c.

XXXII. Si nimiam sanguinis secessionem metuas, decocta leviter adstringentia ex lacca, rad. tormentillae, pentaphylli, aliisque cum fructu propinantur, quo in casu & vitrioli spir. concedi potest.

XXXIII. In principio vomitus, diarrhoea, epilepsia felicius expellentibus curantur, quam specificis. Ab opiatorum usu, si conscientiae consulere velis, eo tempore abstine.

XXXIV. Oculis, faucibus, pulmonibus, & intestinis mature prospiciendum.

XXXV. Maturae pustulae acu aurea vel chalybeata aperiri possunt, ne facies & manus foveis deformentur, cui intentioni alia quoque satisfacere queunt remedia.

XXXVI. Morbilli ex tenuiori fomitis hujus videntur oriri parte, unde plerumque uno eodemque grassantur tempore: quod si variolae praecesserint, exiguam remansisse portionem in parte aliqua solida verisimile videtur.

6.

DE CAPITIS AFFECTIBUS.

I. Dolor capitis non bene definitur per tristem sensationem, quum sensatio seu perceptio in partem affectam non cadat, sed si saltem certus cogitandi modus in mente, & respectu conjunctionis quasi effectus morbi, dum mens ob motum illum inconsuetum, & violentum concipit ideam doloris: hinc magis medice loqueremur, si cephalalgia definiretur, quod sit immodica, & insueta vellicatio vel divulsio fibrillarum membranas cerebri componentium, ob obstructionem a sanguinis particulis, plus minus improportionatis in tubulos effusis orta.

II. Facile autem explicari poterit, quare nunc occiput, nunc media saltem pars (ut in hemicrania) doleat. Quare dolor se ad oculum extendat, certis periodis recurrat, noctu vel interdiu augeatur, si ad arteriarum malum deferentium varias ramificationes, & aliam atque aliam materiam aetheream attendamus.

III. Ut plurimum malum hoc provenit vel a caussa calida seu humoribus acribus, salsis, serosis: vel a frigida, crassis & pituitosis, unde variae doloris prodeunt species, gravativus, lancinativus, pungitivus, distensivus, & pulsatorius.

IV. Caussa est obstructio tubulorum in membranis cerebri internis, vel etiam externis cranium cingentibus: dum enim pori arteriarum nimis dilatantur, vel perveruntur, egrediuntur partes sanguinis tubulorum capacitati non proportionatae, eosque propter alias a tergo continuo insequentes obstruunt, quae si viscidiores sint, dolorem gravativum, si acriores, vellicationem, & dolorem laceratívum excitant: dici quoque posset fieri id ab humoribus biliosis serosis, pituitosis & aliis, quos nequaquam, ut alii persuasum habent, negamus, sed ipsorum qualitates per particulas aliter atque aliter figuratas, & motas clarius explicamus, non solliciti, an idem quoque Galenus vel alius aliquis Medicorum antiquitatem superstitiose colentium Papa vel Pontifex senserit, qui soli veritati studemus.

V. Dolor capitis est vel idiopathicus seu per essentiam, quando caussa, vel in capite generatur, vel continuo praesens est. Vel sympathicus seu per consensum, quando humores aliunde transmittuntur; qui consensus in nervorum, & ab iis disseminatorum filamentorum, communione consistit, qualis est ventriculi, uteri, intestinorum, renum & aliarum partium cum capite. Saepius tamen fit, ut sangui-

nis consensum illum faciat, dum uno tempore & in capite & in alio aliquo viscere exuvias hostiles deponit.

VI. Curationis duo sunt scopi, caussarum ablatio, & doloris sedatio. Prior attingitur clysteribus valde hic necessariis, purgantibus, venaesectione arteriotomia, vesicatoriis, de obstruentibus & sudoriferis. Alter anodynis, & acrimoniam temperantibus. Laudem merentur mercurius dulcis, lac ejusque serum succis antiscorbuticis maritatum externis palmam facit dubiam oleum universale *D. Rappii, Archiatri olim Moguntinensis.*

VII. Lethargus est affectus soporosus cum lenta febri. Aeger vellicatus difficulter excitatur, respondet tamen incondite, omniumque statim iterum obliviscitur. Quae dormiendi necessitas cum oblivione per spirituum animalium inopiam, & cerebri subsidentiam vel nimiam ab humoribus pituitosis inundationem, febris autem lenta per fermentantem pituitam, & inde laesam sanguinis mistionem explicari possunt. Conveniunt in curatione aceta, & aquae compositae cum castoreo, rutacea, serpillata, vesicatoria, purgantia &c.

VIII. Catalepsis est morbus, qui aegrum in eo detinet situ, in quo est in primo invasionis momento, salvo manente pulsu & respiratione. Neque enim totalis adest functionum animalium laesio, sed saltem quarundam. Cujus stupendi affectus caussam alii non citra manifestam contradictionem dixerunt esse congelationem spirituum animalium, quam salvo manente ipsorum motu concipere est vulpa anserem concipere. Nonnulli eorundem spirituum nimiam accusant copiam, sicque ad aliud delabuntur extremum non minus ob circumstantias absurdum. Nos omnia phoenomena praejudicio liberatis explicamus per unius vel alterius lateris sensorii communis obstructionem vel obsidentiam aliqualem a particulis crassioribus & viscidioribus, quibus arbitrarius spirituum motus tollitur. manente semper priori determinatione, quia glandula pinealis mentis imperio amplius auscultare nescit, propterea spiritus eodem ordine eademque influunt copia, & membra eundem, ceu in statua, obtinent situm, donec ab adstante tanquam a caussa externa nervorum pori & ob novam impressionem spiritus alios in musculos influant. Manet enim spirituum generatio illaesa, manet eorundem excursio, manet prius recepta a mente determinatio, quae caussae satis potentes sunt, ut partes corporis inflatae, & rigidae appareant, in curatione salia volatilia, & spiritus urinosos commendamus, non ut imaginarios illos spiritus congelatos regelent, sed ut viscidiora illa corpuscula glandulam cingentia volatilisando dissipent. Sed quae forte schedae hae non capiunt, prolixius dicentur ex cathedra.

7.

DE APOPLEXIA.

I. Apoplecticus subito in terram prolabitur cum sensus, & motus abolitione, manente aliquandiu cordis pulsu cum respiratione plus minus laboriosa.

II. Caussa Proxima est obstructio cerebri, si non totius saltem nervorum principii, quod in concava ventriculorum superficie posuimus. Fit autem ista obstructio vel a sanguine sub forma sanguinis in cerebri substantiam effuso: vel ab humore pituitoso ob nimiam pororum plexus choroidei apertionem transmisso.

III. Effunditur sanguis quando restagnans in arteriis capillaribus cerebri, vel impetuosius intra has angustias agitatus claustra perfringit, & qua data porta in cerebri cavitates effluit, quale quid in plethoricis, graviter percussis aliisque videre est.

IV. Sin loco particularum sanguinis subtiliorum crassiores minusque agitatae plexus choroidei poros valde dilatent, & in cerebri ventriculos exstillent, interiorem illam concamerationis superficiem obducunt, porosque principii nervorum sub humoris pituitosi forma obstruunt, quo minus systema nervinum a spiritibus animalibus irradiari possit; hinc necessario sequitur totius machinae subitanea in terram prostratio. Unde acutissima nunc hauriri potest apoplexiae divisio in sanguineam, & pituitosam, qua neglecta in curatione scopas videbis dissolutas.

V. In caussarum remotiorum classe stant morbi maligni, venena, narcotica, aër austrinus, venus, & bacchus, Athletarum corporis habitus, aetas senilis ob debiliores fermentationes, & inde natam pituitam, phases lunae, aliarumque vagabundorum luminum maximum dominium in corpora nostra obtinentium, ob certam aliquam materiam aethereum sanguini, & cerebro plus minus inimicam, hinc circa solstitia, aequinoctia, pleni vel novilunia tot apoplectici insultus crebro observantur.

VI. Recubans sub arbore, quae fulmine tangitur moritur apoplecticus; idem fit si globulus e tormento bellico explosus aërem prope caput trajiciat, ob copiosiorem materiam aetheream, cranium ab una parte facile ingredientem, sed citra pororum, & sanguinis destructionem egredi nesciam, ut fragore illo concussa vasa diffringi videantur.

VII. Vapores inter caussas non numeramus, quia semper adsunt in corpore vivente, sed si ob crassitiem transpirare nequeant, sub forma flatuum vel humorum varios producere possunt morbos.

VIII. Monendum etiam hoc, sanguinem non concipi debere: tanquam humor reliquis contradistinctus, quia sic non ens concipies; sanguis enim compositus est variis ex humoribus ita inter se temperatis, ut neuter ipsi insit formaliter, sed omnes materialiter.

IX. Manent aliquandiu respiratio, & pulsus non ob necessitatem quo nodus non solvitur, sed quia viae hos per nervos magis expeditae sunt, ob continuum spirituum animalium a primordiis vitae influxum, unde dubio procul ampliores erunt hi tubuli, ut non tam facile obstrui & crassiores etiam spiritus admittere possint.

X. Et quamvis omnes arteriae a caussa satis potenti in cerebro rumpi possint, frequentius tamen id fiet in plexu choroideo, ubi arteriae magis liberae sunt magisque dilatari possunt, quam reliquae, quae a partibus vicinis pressae non tam facile supra sphaeram distenduntur.

XI. Prognosis desumitur a respirandi difficultate, pulsus debilitate, musculi ani resolutione & sudatiuncula: stat effatum Coi, quod fortis apoplexia nunquam, debilis, vero raro curari possit.

XII. Curatio itaque cito instituenda remediis aegrum excitantibus, & obstructionem solventibus. E fonte chirurgico exsurgit venaesectio, quae convenit largius administrata in apoplexia sanguinea, in humorali vero parcius, & cautius instituenda. Hanc sequuntur cauteria tam actualia quam potentialia. Scarificatio, & hirudinum applicatio. Interea aures clamoribus implendae, aeger proprio nomine alta voce appellandus, ut facilius auscultent spiritus animales motui consueto, frictiones pannis calidis, & spirituosis instituendae: naribus graveolentia offerenda, ori meteorisantia infundenda, clysteres acriores ex aqua benedicta Rulandi praemisso tamen lenitivo injiciendi, quae omnia utrum in sanguinea conveniant non sine ratione dubitamus, in qua sola excepta largiori sanguinis detractione forte reliqua omnia in cassum nec sine periculo gravioris obstructionis adhibentur. Emeticum vel fortius catharticum ipsa suadet necessitas: quod si aeger excitetur, succurrendum erit deobstruentibus, & confortantibus, specifico cephalico, succi-

natis,

natis, urinosis; non neglectis externis spirituosis, quae multum materiae coelestis capiti inferunt. Plura in conflictu.

8.

DE INCUBO, VERTIGINE, ET EPILEPSIA.

I. INcubum ad spasmodicos referimus morbos, cujus caussa immediata est musculorum respirationi dicatorum convulsio, ab humoribus flatulentis vel viscidis inducta, unde mens similitudine motus decepta pondus quoddam corpori, cui juncta est, adjacere judicat.

II. Ex fibrarum corrugatione, & inde sufflaminato spirituum animalium libero commeatu, nec non valvularum in *notis ad Cartesium* depictarum restrictione respirandi difficultas, strangulationis metus, anxietas aliaque phaenomena morbum hunc comitantia ortum trahunt.

III. Radicaliter autem ipse morbus est ex ventriculo, quia ut plurimum ex crapula, & voracitate oritur.

IV. In curatione duos praefigimus scopos, quorum primus materiam viscidam obstructiones parientem respicit, quam pilulis gummosis foras eliminare convenit. Alter coctionis rationem habere jubet, in quem finem volatilisantia, & fermentativa commendamus.

V. In vertigine omnia in gyrum agi apparent, quod a perverso spirituum animalium motu proficiscitur. Facile enim concipimus, quod in senibus aliisque debilioribus fermentationibus multum pituitae generetur, quae poros ventriculorum cerebri in tantum obducens obicem ponit spiritibus animalibus, quo minus placide, & juxta lineam rectam e suo promtuario effluere queant, hinc scopulis allisi turbinoso illo motu, & perversa radiatione menti imponunt, ut objectorum impressiones aliter percipiat, quam ipsa in organa factae sunt.

VI. Alia in naturis calidioribus non tam ex obstructione, quam nimia spirituum agitatione impetuosaque propulsione oriri videtur.

VII. Per consensum quoque ex bile in ventriculo jejunio fluctuante non raro producitur in illis, quorum fibrae irritationi spasmodicae facile auscultant earumque incolae facile in ἀταξίαν rediguntur.

VIII. In hac vomitoria conducunt, & sedativa: naturis calidioribus. Venaesectio in pituitosa vero incidentia, aperientia, & evacuantia, nec non fermentationes restaurantia: qualia sunt pilulae de hiera cum agarico. Mercurius dulcis, stercus pavonum, cinnaberina, instar omnium erit pulvis specificus *Timei a Gulden Klee*.

IX. Epileptici subito quoque in terram prolabuntur cum vehementi tamen partium concussione, spuma oris omniumque sensuum tam externorum, quam internorum ecclipsi: quum enim tantus sit spirituum animalium inconditus motus, ut mentis imperio, & objectorum determinationi amplius auscultare nesciant, totum etiam aedificium cum systematis nervini stupenda vellicatione labascit.

X. Caussam itaque proximam dicimus esse tumultuarium spirituum animalium motum, quem explosivum vocat *celeberrimus Willisius*. Habent enim spiritus animales revera rationem corporis continui, qui in statu naturali quacunque facta decenti determinatione citra ullam aliquam confusionem in nervos excurrunt, variasque suscipiunt radiationes. Quam primum vero aliquid fermentativae naturae, & mistioni ipsorum contrariae confundatur, vel impetuosius concen-

tren-

trentur, ipsorum ordo & motus pervertitur, & quaqua versum dissiliunt, forte eum in modum, quo aurum fulminans, pulvis tonitrualis, & lachrymae vitreae effectus suos exserunt. Hinc a rebus intense foetidis, a terrore, fermento maligno e sanguine in mensium suppressione, seminis turgescentia &c. excusso, tam facile oritur epilepsia.

XI. Symbolum confert luna aliter atque aliter soli obversa, e cujus tellure nunc plura nunc pauciora, nunc plus vel minus fermentativa corpuscula evocata a calore solis in haec inferiora transmittuntur, quae ejusmodi dramata in sanguine, & succis inde dependentibus ludere solent: sola quoque fibrillarum nervearum vellicatio vel punctura spiritus in ἀταξίαν redigere potest, prout variis demonstrari potest experimentis.

XII. Morbus hic semper pro magno habendus, utut pro varietate caussarum, & circumstantiarum saepius curetur, facile enim in paralysin vel apoplexiam degenerare potest; vel alia etiam cerebri graviora inferre mala. In vulneratis, & largis haemorrhagiis non raro prodromus est mortis, quod ante aliquot annos in studioso vidimus. In infantibus, & sexu foeminino non nunquam brevi cessat, praesertim si a dentitione difficili, & variolis vel etiam ex utero ortum habeat. Hippocratis prognosticum aphor. 7. sect. 5. exhibitum non est perpetuae veritatis, & saepius in praxi fallit; quis enim Medicorum non vidit, epilepticos etiam post annos pubertatis factos felicissime restitutos.

XIII. Curatio in paroxysmo instituenda coincidit cum apoplexiae curatione, quam vide suo loco, cui addo, quod nodulus ex ruta vel cochleare ligneum aqua apoplectica imbutum ori indi debeat ad impediendum, ne dentium collisione lingua laedatur. Extra autem paroxysmum fermentum malignum expurgandum est 1. Vomitorio, quia morbus hic vehementiora fert remedia. 2. Purgantibus ante novilunium reiteratis addito semper mercurio dulci. 3. venaesectione largius in pede celebrata. 4. clysteribus emollientibus, & carminativis. 5. Sudoriferis 6. Acidulis, quae non raro stupendo cum successu adhibentur. 7. Appropriatis & ventriculo & cerebro dicatis, ut loqui amant: Inter quae primas deferimus cinnabari tum factiticae tum nativae ab arsenicali gas penitus depuratae juxta Hoffmann. in Schroëder. Laudem quoque meretur pulvis epilepticus infantilis Ludovicianus cum opio, qui legitime adhibitus paroxysmos in infantibus non tantum retardat, sed etiam penitus tollit. Eodem successu dari quoque potest sulphur vitrioli, vel etiam panacaea vitrioli, quorum copiam nobis non ita pridem fecit ipse respondens, chymicorum laborum non ignarus.

9.

DE PARALYSI.

Non jam dicam de spiritu sal armon. liquore succinato, spirit. secundin. variisque salibus volatilibus, nec non castoreatis, & graveolentibus, quorum farrago apud practicos occurrit. Neque ipsa amuleta susque deque habenda sunt, quae cum primis ex rad. paeon. visc. querc. & Julis sambuci in salice crescentis parantur, nec alia forte prosunt ratione, quam quod certam transmittant materiam aetheream. Quod si epilepsia alium primarium comitetur morbum, v. gr. variolas, febrem malignam &c. tunc a fortioribus remediis superius commendatis prudenter abstinendum primariique morbi potior habenda erit ratio, ita tamen ut specifica anti-epileptica alexipharmicis semper misceantur. In diaeta nigro notamus carbone coturnices, carnes fumo induratas, legumina, vinum, venerem, terrorem & moerorem.

I. Quan-

I. QUando humor natura sua viscidus vel aliam ob caussam concentratus nervorum occupat tubulos, & spiritibus animalibus obicem ponit, quo minus systema nervinum irradiare possint, partes illae ad quas obstructi nervi tendunt, motu & sensu privantur flaccescunt, & tandem contabescunt, qui affectus paralysis vocatur; *Estque partium nervosarum resolutio sive relaxatio, cujus ratione motus, & sensus exerceri nequit.*

II. Saepius solus deficit motus, sensu manente illaeso, vel sensus (leviori in paralysi) obtunditur motu existente salvo, quorum phaenomenon caussam esse dicimus, quod major spirituum animalium vis requiratur ad motum ciendum, quam ad sensum praestandum, in hoc enim sufficit si paucae adhuc fibrae nerveae irradientur, in illo vero totus musculus inflari debet, quo humores circulantes alacrius pergant, qui restagnantes motus impotentiam inferunt. Quod si quaedam nervorum extremitates comprimantur, quod ab inconvenienti membri alicujus situ frequenter fieri solet, & spiritus libere vagari nesciant, sensus valde obtusus est formicarum similis a spiritibus acrioribus sed tardius motis, tuncque partem in statu somni quamvis improprie positam esse dicimus, & prodromus paralysis haud raro fuit.

III. Pars paralytica contabescit ob denegatum spirituum animalium influxum & inde collapsos tubulos nihil chylosi amplius admittentes, praesertim in morbi progressu, quum in ejus principio ob umorum circulantium copiam partes aliquandiu tumere soleant.

IV. Proxima itaque caussa est denegatus spirituum animalium influxus ob tubulorum nervorum obstructionem ab humore pituitoso nunc dimidiam spinalis medullae partem, nunc uno in latere aliquot saltem nervorum propagines occupantem; vel etiam compressionem a sanguine extravasato in plaga, casu ab alto. Remotiores sunt omnia quae sanguinem incrassare spiritusque torpidiores reddere queunt, frigida, venena, narcotica, morbi graviores, apoplexia, epilepsia &c.

V. Patet jam ex hoc morbo oeconomiam animalem ab anima non gubernari, cui caeteroquin imperii feruntur fasces, & tota in toto omnium operationum principium vitaeque auctor audit: mirum enim est, quare hoc in effectu exiguam humoris portiunculam vel sanguinis guttulam e nervo aliquo in quo aeque tota est ac in corde excutere nesciat. Quare spiritus animales Regi suo non auscultant, & posito genu potestatem accipiunt, aggerem istud perfodiendi, & funditus evertendi? Profecto si natura hominis in eo sita est, ut anima per suas facultates omnibus in partibus agat, imperium mentis hic non parum vacillare videtur.

VI. Solet autem hic affectus difficillime curari, tum quod medicamenta ad locum affectum integris viribus non deveniant, tum etiam quod aegrotantes ut plurimum ob temporis diuturnitatem mali pertaesi curae filum abrumpant, & Agyrtarum Empiricorumque suo cum damno implorent auxilia. In senibus incurabilis est. Apoplexiae succedens rarissime etiam curatur. Privata saepius curam admittit, si nulla extenuatio adsit, & vestigia caloris sensusque in parte resoluta deprehendantur.

VII. In curatione ad obstructionem & humorem pituitosum respiciendum, qui sui praeparationem, & evacuationem indicat. Ut vero ad hunc scopum eo tutius collimare possis, de venaesectione cogitādum, utrum illi praemitti debeat, quod ex corporis habitu plethora, virium constantia, & vita anteacta colligi potest. Qua peracta pilulae catharticae ex hiera, extracto cephalico, galbano aliisque gummosis paratae quae ut profundiores etiam attingant tubulos colocynthide & mercurio dulcificato armari debent, circa aequinoctia aliquoties exhibendae, ita tamen ut decoctum aliquod praeparans interponatur. Quibus aliquam diu continuatis ad

sudo-

sudorifera eundum, ut aeger in laconia plures per dies vel etiam septimanas largius sudare queat, cui intentioni implendae decoctum lignorum cum appropiatis nervinis convenit; de sudoriferis tamen, & thermis notari velim, illa non semper pro voto respondere, quin potius malum inde auctum fuisse aliquoties observavimus; forte quod in viscerum tubulis humor fermentativus aliquando delituit, qui calore, & agitatione excitatus, & sanguini confusus nervorum obstructionem auget, vel ad novum introducendum morbum fores pandit. Hinc operae precium est, ut sanguinis diathesin prius bene perspectam habeat Medicus, quo eo tutius illa remedia administrari queant. Novimus enim quod thermae hoc in negocio alias valde potentes sint, & quod de suis *Bathoniensibus* jactat *Willisius in Anglia*, hoc nos nostris *Emdensibus* & *Wisnadensibus* acceptum ferimus. Neque interea confortantia omittenda, qualia sunt cinnaberina succinata, tinctura coffeae, antimonii cassiae ligneae, spir. fulig. cor. cerv. sal volat. tart. viperar. & alia.

VIII. Ut autem humor meteorisatus eo facilius qua data porta avolare possit, pori cutis quoque reserari debent frictionibus, & inunctionibus spirituosis, v. gr. spiritu urticae, convulsiv. lumbric. terrestr. formicar. tartar. salis armon. compos. galbanet. Paracels. oleo circulato *Fausii*, oleo lini sulphurato, martiato sive mirabili *Cardilucii*, balsamo artificiali sive Anglico a felicissimo, & doctissimo Medico *Dn. Schleiermacher* amico mihi communicato. Porro pars paralytica magno cum successu immittitur, fimo equino vel ovillo, recrementis hordeaceis vel etiam uvaceis, quo tubulorum obstructorum reseratio promoveatur. In victu salviata, anthosata & sassafrata, cum vino viperino commendamus. Quod si morbi gravitas medicamentorum eludat vim, tandem salivatio, remedium molestiae, & periculi plenum, tentanda, qua gravissima paralysis a *Willisio* curata legitur. Tantum!

10.

DE PHRENITIDE MELANCHOLIA, MANIA. ET HYDROPHOBIA.

I. N. D. N. J. C.

I. PHRENITIS describitur, quod sit *delirium cum febri* plus minus acuta (prout nempe sanguis dispositus est) *a meningum, & cerebri inflammatione productum*.

II. Nolo autem hic prolixe disquirere, utrum febris praecedat inflammatoriam obstructionem meningum sive membranarum cerebri, an vero illam sequatur ut symptoma, quia utrumque fieri potest: in vera tamen phrenitide primario accusamus inflammationem meningum, & inde turbatum spirituum animalium motum, qui aequilibrio a materia subtili copiosius irruente sublato quaqua versum citra convenientem ordinem excurrentes delirium excitant; a qua caussa quoque febris oritur, cujus essentiam in turbata sanguinis mistione ponimus hic a copiosa, & peregrina materia subtili (ceu liquor fulmine tactus) convenienti particularum suarum ordine, & situ destitui.

III. Caussa proxima est inflammatio meningum a sanguine acriori extravasato poros, non in totum, sed in tantum obstruente orta, eum in modum effervescente, quo particulas fluidas in gramine recens dissecto, & coacervato saepius flammam concipere docet magnus ille philosophiae restaurator *Des Cartes in*

princip.philos.part. 4. §. 92. Si enim corpus aliquod acuminatum se insinuat in poros sibi similes, oritur quidem facile obstructio, sed non statim fieri potest inflammatio, quin potius si in cerebro talis fiat obstructio affectus aliquis soporosus producetur, quo ipso *cl. Willisio* respondemus, contendenti, phrenitidem ab obstructione meningum, & cerebri oriri non posse, ex eo, quod sic spiritibus animalibus animalibus obex poneretur, quo minus excurrere possent. Quoties vero corpus v. gr. triangulare incidit in porum rotundum, per quem basis transire nequeat, tum ibidem haerens ob trinam superficiem tria relinquit spatia, quibus replendis copiosior affluit materia aetherea, particulas humorum ad illam transmittendam non dispositas valde turbans & exagitans, tumque fit inflammatio, quae omnia latius, & pulchrius explicat *acutissimus Dn. Craanen.*

IV. Caussae remotiores sunt crapula, vehementior animi perturbatio, plaga in capite accepta, evacuationes sanguineae suppressae.

V. Phaenomena affectum hunc comitantia sunt vigiliae, delirium, faciei rubor, sitis defectus, floccorum, & festucarum collectio, febris continua, urina pallida: nam spiritus animales valde exagitati pororum cerebri prohibent subsistentiam, hinc vigiliae. Et quum radiationes eorundem super glandula pineali mille modis confundantur, delirium sequitur & mens varios in errores, absurdasque cogitationes abripitur. Porro quia humores parti affectae viciniores vehementius aliis a materia subtili agitantur, sanguis in facie vasa capillaria sub forma sanguinis ingreditur, & ipsi colorem rubicundum conciliat. Quod si humores tali modo exagitati ad cordis thalamos continuo deveniant, non potest non sanguis in mistione sua turbari, unde febris continua. Phrenetici floccos colligunt, & festucas carpunt, quod humores quidam vitiosi propulsi in humores oculorum, crassitie, motu & textura luminis radios ita determinent versus fibras retinae, quemadmodum a muscis oculis obvolitantibus aliisque corporibus id saepius factum, unde motus similitudine decepta mens corpora illa denuo praesentia esse judicat. Urina pallida redditur, non quod bilis sursum rapiatur, sed quia particulae amarae, salinae nempe, & sulphureae e sanguine non segregantur, bilis enim nequaquam tingit urinam, quod vel lixivii obscuro colore evinci potest. Sitis adest defectus, quia menti non vacat ad omnes insolitas mutationes in oeconomia animali attendere.

VI. Verum cur non omnes partes vicinae inflammantur? Resp. Quia illae faciliorem materiae subtili concedunt transitum, quemadmodum fulmen gladium vagina contentum diffringit salva manente vagina.

VII. Affectus hic periculosissimus est, & ut plurimum lethalis, si vox tremula, aphonia, dentium stridor, & motus convulsivi appareant.

VIII. Indicationes, quibus inniti debet medendi methodus desumuntur a sanguine extravasato, qui sui resolutionem, & discussionem indicat, vel quatenus intra vasa motu, & mistione peccans revulsionem, & sui evacuationem suadet. Symptomatica & vitalis indicatio vigiliarum, & virium jubet habere rationem. Itaque sine omni cunctatione venaesectio celebrari debet in brachio, & postea in pede & fronte reiterari: ipsa etiam arteriotomia hic locum habebit.

IX. Deinde turbatus spirituum motus est figendus, eorundemque furor una cum sanguinis aestu placandus, quod fieri debet julepis refrigerantibus, mistura praecipitante, & pulvere cardiaco refrigerante, sed non obstruente, quod probe notandum. Commendamus coralliata, perlata, nitrata, camphorata cum aqua papav. errat. cor. cerv. citrata. cerass. nigr. cordial. frig. Saxon. cum cāphora, sirup. papav. errat. tinct. rosar. refrigerans. Et urgentibus vigiliis tincturam opii rite filtratam.

X. Interea fronti caute applicari possunt epithemata ex succ. cancror. album.

ovi carne cucurbitarum. aq. rosar. cum opio & croco. Vertici capitis gallina cruenta per medium dissecta imponatur, pedibus vero cataplasma ex sapone fusco rad. bryon. & fuligine: neque epithemata citra rationem hepati admoventur, vel pedum lotio instituitur, quum sanguinis aestum quoque non parum refraenent.

XI. Idem esto judicium de clysteribus quos frequenter injectos valde profuturos speramus; quorum compositio non tam ex purgantibus & oleosis, quam ex modice humectantibus sedativis, & lubricitantibus constabit. Et quum phrenetici urinam reddere obliviscantur, saepius super ea moneri debent.

XII. *Melancholia est insania sine febri cum timore, & tristitia.* Sunt equidem melancholici valde meticulosi, & ad levissimum etiam strepitum exhorrescunt; immo saepe de pileo deponendo aut chirotheca tam graves instituunt deliberationes, ac si esset agendum de bello suscipiendo, vel ex eo Reipublicae magnum immineret periculum: non jam dicam de aliis innumeris illusionibus, quae ab auctoribus fide dignis enarrantur, quum vix ullam metamorphosin antiquitas fabulosa excogitaverit, quam aliqui melancholici in se ipsis revera non admiserint. *Vid. Willisium de melanchol.*

XIII. Caussa perversae illius imaginationis quaerenda est in spirituum animalium crassitie, unde vestigia cerebro in solicitudine, & curis gravioribus profundius imprimuntur, ipsique spiritus constantem cursus formam induunt, ut postmodum vix alias radiationes suscipere possint. Hinc videmus, quod non obstante vehementi spirituum animalium discrasia, tamen antiquae consuetudinis quid retineant melancholici; dum Reges se putant esse, qui aliis antea imperare gestiebant, Mendicos vero, qui antea avaritiae erant dediti &c. Quae omnia melancholicis aliter non obtingunt, quam sanis hominibus in insomniis, idque prae repetito spirituum in eadem cerebri vestigia influxu. Mens interim in suis cogitationibus aliter non errat, quam quod judicet de impressis ac si revera pervenissent ab illis objectis, quae olim eundem spiritibus animalibus imprimebant motum. Neque errorem istum incideret, si a corpore esset libera. Ast cum corpori juncta ope radiationum spirituum animalium rerum sensibilium extra se positarum haurire teneatur notitiam, ut de illis ratiocinetur, mirum etiam non est, quod hallucinetur saepius. Quemadmodum enim citharoedus caeteroquin peritissimus nunquam non dissonantes exprimet cantilenas, quoties quis chordas nunc relaxat nunc intendit, quae antea harmonice pulsabantur; sic variae semper orientur in ratiociniis deliria, quoties harmonia illa tollitur in filamentis cerebri leni spirituum animalium afflatu pulsandis.

XIV. Caussam remotiorem dicimus esse sanguinem acida sive melancholica peccantem intemperie, quam sex res non naturales male administratae introducunt, quod prolixius explicare nec temporis nec pagellarum admittit angustia. Interim notasse sufficit, veterum de humore melancholico, atra bile & lienis usu placita ad figmenta referenda esse, quod in conflictu occasione data clarius demonstrabimus.

XV. Melancholia inveterata, & haereditaria rarissime curatur, quoniam spiritus animales temporis diuturnitate longissime a crasi sua abiere, viscerum textura (lienis praesertim) est immutata, & cerebri conformatio praeternaturales accepit plicas. Sin vero a recenti animi oriatur pathemate, medicamentis prudenter adhibitis saepe victas dat manus.

XVI. Vomitoria in curatione aliquoties propinari possunt, in omnibus capitis affectibus efficacissima. Post vena secetur, vasa sedalia sanguisugarum admotione aperiantur. Alvus autem, quae hoc in affectu siccior esse solet, servetur lubrica benignioribus catharticis sero lactis infusis, quae succi herbarum spleneticarum vul-

go dictarum comitari possunt cum carminativis, & acidum vitiosum corrigentibus. Tandem acidulae tam artificiales, quam naturales curae colophonem imponant, quae forte rite adhibitae caeteris omnibus palmam praeripient.

XVII. *Mania est delirium cum furore, sed sine febri*. Majorem hic deprehendimus irregularitatem tum in sanguine sale acido abundante, tum in ipsis spiritibus animalibus, quorum indifferentia sublata mentis turbatur tranquillitas, ut non possit non certis motibus inconcinnas jungere cogitationes. Si enim mens diutius haeserit circa contemplationem alicujus objecti vel cum voluptate vel graviori quadam passione, tunc vestigia istius objecti cerebro vivacissime imprimuntur, post ubi spirituum tollitur indifferentia, quod eorum quidam non adeo subtiles maxima cum vi, & agitatione in ventriculos propellantur, tunc a vestigiis illis in quae prae aliis facilius incidunt, reflexi sua impetuositate sensorium commune vi quadam abripiunt, & menti imaginem vestigii quasi obtrudunt, ut mens omnia sua media ad justa ratiocinia, non usurpans mira quadam praecipitantia absurdarum, & inconditarum actionum fiat & actor & spectator.

XVIII. Caussam antecedentem dicimus esse sanguinem multis irregularibus constantem particulis iisque fermentativis. Vel fermentum certis temporibus a certa materia subtili e parte aliqua solida, ubi delituit, excutitur & sanguini confusum dramata illa ludit. Huc faciunt aliae causae procatarticae: tempus vernale, hinc bene Hippocrates: *vere quidem insaniae*. Vinum generosum ejusque spiritus, ira, influxus lunaris.

XIX. Maniaci robustissimi sunt, quia spiritus animales ad musculosas partes fortius determinantur, ibidemque ob sui crassitiem diutius haerent nec facile tenues abeunt in auras. Ex eadem caussa, & humorum circulantium agitatione fit, ut intensissimum longo tempore citra noxam ferre possint frigus; accedit quod mens ab internis nimium occupata, ad externa minora segnius attendat.

XX. Malum si recens sit non raro unico tollitur opiato. Inveteratum autem difficilius curatur. Si sensorii communis vincula dilacerata sint, pro incurabili habetur. Ipsa cura periculi & molestiae plena largiori venaesectione, & emetico ex helleboro albo aliquoties repetito instituitur, quibus praemissis, testacea cum camphora, & nitro vel decoctum anagallidis fl. purpur. fumar. sanguinem asininum in potu & tincturam fl. hyperici *Mynsichti* commendamus.

XXI. *Rabies canina est delirium cum maxima anxietate, furore oculis torvis & siti intensissima*. Accedit nonnunquam hydrophobia, quam tamen in filio lanionis graviter in labiis a cane rabido demorso aliisque non observavi.

XXII. Caussa est venenum a cane rabido communicatum, quod saepius plures per dies, menses, vel etiam annos in corpore humano delitescit, donec sanguini communicetur, forte quod in fibris dilaceratis, & callosis factis in vulnere haereat, donec evidenti superveniente alia caussa exagitatum carceres suos perrumpat, & cum humoribus circulantibus cordi transmittatur.

XXIII. Ast major difficultas occurrit in explicanda hydrophobiae caussa. Nos hanc producimus, quod mempe canes rabidi aquam, & liquida ceu ignem fugiant, hinc aliter fieri non potest, quin venenum homini communicatum similem motum, & mistionem non solum sanguini, sed etiam liquori animali conciliet, unde similis spirituum determinatio, & consequenter cogitatio maxima cum passione conjuncta in mente. Vel (quod acutissimus *D. Craan.* annotat) venenum ab assumtis liquidis vehementer effervescit instar calcis vivae, quam turbam, & molestiam evitaturus aeger a liquidis abhorret, in eo solo prudentiae argumentum adhuc exhibens. Quid ni vero venenum certas spirituum radiationes producere poterit, quas certae sequuntur cogitationes, cum temperamento pituitoso praediti somnient de pluviis, submersione aquae, casu ab alto & aliis: biliosi vero

de

de incendiis, igne & ferro habent insomnia, & melancholici spectris terreantur, ut in re illa difficilima non opus habeamus confugere ad ideas tum imaginativas tum seminales aeque obscuras, & ignorantiae caligine involutas ac res ipsa de quibus praeter *Helmontium*, *Marcus Marci* videatur.

XXIV. In curatione vulnus non cito occludatur, cui allium, fermentum, vel caepa cocta sub cineribus cum theriaca imponatur, & saepius spiritu theriacali camphorato eluatur, submersio in aquam teste *Helmontio* egregie prodest; post pulvis palmarii ad drach. i. plures per dies pro sudoribus eliciendis mane exhibeatur, qui lap. bezoartico, sale volatili, viperarum, & aliis nobilitari potest, ut sicut nos hujus disputationis, ita Medicus suum assequatur finem.

II.

DE ANGINA ET PLEURITIDE.

I. Angina est inflammatio faucium, in qua musculi laryngis, & pharyngis intumescunt, ut solida plane non, liquida vero nonnisi difficulter deglutiri possint, cum febri acuta, & magna respirandi difficultate.

II. Variae hic ab Auctoribus recensentur anginae species, gradu saltem a se invicem differentes, prout musculi nunc oesophagi, nunc capitis asperae arteriae plus minus intumescunt, quas sicco praeterimus pede.

III. Caussa proxima est inflammatio, quae fit propter obstructionem pororum & vasorum sanguiferorum, indeque ortam sanguinis restagnationem, ejusque extravasationem. Si enim arteriae plus inferant, quam venae revehunt, motus ille particularum sanguinis progressivus transfertur in intestinum, quo aucto magna lucta, & effervescentia fit in sanguine, unde tenera illa vascula sanguifera vim patiuntur, rumpuntur, & sanguinem sub forma sanguinis reddunt, qui musculosas in partes effusus ibidem, ut foenum recens coacervatum brevi inordinato motu cietur, alios acquirit poros, & consequenter aliam materiam aetheream, unde denegato libero itu, & reditu tandem hic particularum conflictus excitatur.

IV. Saepius fermentum quoddam malignum ab aëre faucibus afflatum sanguinem coagulando, porosque obstruendo lerna fit malorum; hinc vapores antea per exspirationem avolare soliti aliam nunc induunt faciem, & arma in se ipsos convertendo bellum intestinum ineunt nonnisi sanguine expiandum; quae angina saepius epidemice grassatur, & pestis instar brevi plures inficit.

V. Maligni hujus fermenti vim in acido potissimum consistere autumo, tum quod alkalicis omnium optime retundatur, tum quod in clyssorum, & spirituum corrosivorum destillatione ejusmodi spicula evibrata, & faucibus adstantis suscepta anginam malignam producant.

VI. Inter caussas remotiores locum sibi vendicant omnia frigida ore assumta, & praecipue aër austrinus, ad obstructiones pariendas aptissimus, unde ab *Hippocrate* angina inter morbos autumnales & ab assiduis imbribus oriundos refertur. Huc pertinent etiam crapulae crebriores, exercitia vehementiora, spinae piscium incautius deglutitae, suppresiones consuetarum evacuationum, plethora, sanguinis intemperies acris, & fervida. Saepius aliquid consuetudini dandum, unde qui semel angina laborarunt, facilem eundem in morbum levi nacta occasione incidunt; quod experientia testis omni exceptione major confirmat.

VII. Dividitur angina in malignam, & valde contagiosam, in qua Medici fauces inspicientes maximo versantur in periculo, & benignam quae nec inficit, nec gravioribus stipata est symptomatibus. Deinde aliam dicunt esse veram, aliam notham, quamvis notham non tam musculorum faucium inflammatio-

nem, quam tonsillarum intumescentiam a salivae vitio, & vasorum salivalium obstructione oriundam dixerim. Vera autem angina semper comitem habere febrem continuam acutam cum magna respirandi & deglutiendi difficultate.

VIII. Ex actionum harum laesione prognosis desumitur. Quo enim difficilior est deglutitio, & respiratio laboriosior, eo periculosior ipse est morbus. Si liquida ore assumta statim per nares rejiciantur, exigua spes reconvalescentiae superest. Quamvis bene sperandum adhuc sit, quam diu spirat aeger. Ego in Judaeo, caeteroquin nequam, homine tamen, desperatissima vidi symptomata, quibus tamen non obstantibus orci faucibus ereptus est. Duae potissimum species lethales a Practicis censentur, nempe cynanche, & parasynanche, de quibus vide sis *Riverium*. Pulchre *Hippocrates* hae omnia in compendio proponit, dicens *lib. 5. aphor.* 10. Quibus ex angina in pulmonem fit mali conversio, intra septem dies moriuntur, si vero hos effugerint, suppurati fiunt. Et *aph. 37. lib. 6.* angina correpto tumorem in collo fieri bonum, morbus enim foras vertitur. Denique *aph. 35. lib 4.* Si febre detento collum repente pervertatur, ut vix deglutire queat, nullo in faucibus existente tumore, mortiferum.

IX. Curatio inniti debet indicationibus. Ego primarios scopos hoc in affectu explendos sequentes esse puto: 1. obstructio est reseranda. 2. sanguini restagnanti suus in circulum motus restituendus. 3. si cruor discuti nequeat, tumor suppurandus, quo obtento scopo postea ulceris habenda est ratio, ut mundificetur, & consolidetur. 4. gravioribus & urgentioribus obviam eundum est symptomatibus, quo respirationem & deglutitionem merito referimus. Primo & secundo scopo explendo inservit venae-sectio, magnum hoc in affectu remedium, nisi malignitas forte contrarium suadeat. Secari autem potest vena in brachio, post ranina sub lingua. Quod si mensium vel haemorrhoidum praecesserit obstructio, & respirandi difficultas non usque adeo urgeat, eligi potest vena in pede.

X. Purgantia exulare jubemus, quod sanguinem magis exagitent; vomitorium concedimus, si in momento invasionis vocetur Medicus, quo solo remedio graviora averti possunt symptomata. Sudorifera & ratione tumoris, & ratione febris omnium tutissima duobus prioribus respondent indicationibus, inter quae superbiunt oculi cancrorum, dens apri, antimonium diaphoreticum, salia volatilia, aquae bezoardicae, &c. clysteres venae-sectioni & sudoriferis praemitti possunt, ne vapores ex intestinis quaqua versum oberrantes plus facessant negocii.

XI. Iisdem indicationibus satisfaciunt externa nitrosa, & sale acri abundantia, v. gr. nidus hirundinum, fimus columbinus, & alia: pro acrimoniae temperatione adduntur balsamica, & mucilaginosa, quae in lacte coquuntur, qualia sunt rad. alth. flor. chamom. &c. Ego spiritum vini camphoratum vel tartarisatum omnibus linimentis & emplastris praefero, sentiant alii quid velint, modo fortuna mihi faveat in praxi. Gargarismata repellentia penitus proscribimus, & totum negocium discutientibus confici posse confidimus. Eandem ob caussam radix imperatoriae de collo suspensa valde efficax est. Quod si suppuratio expectanda, ea emollientibus & suppurantibus medicamentis promovenda. Saepius abscessus scalpello rumpendus, quod in casu desperato felici tentavi apud viduam quandam successu. Sed non cuivis licet adire Corinthum.

XII. Urgentioribus symptomatibus satisfaciunt praeter venae-sectionem clysteres nutrientes, quos merito sua censemus laude dignos, totum enim corpus est transpirabile.

XIII. Diaetam tenuem commendamus. Somnus nocet, quia auget inflammationes, & omnes fermentationes tempore somni sunt imbecilliores. Sed quaeris, unde febris continua? Resp. Quoties sanguini nostro aliquid fermentativae naturae abludentis a gradu fermentationis naturalis, hoc est, aliam inferens mate-

riam Mundi subtilissimam, immiscetur, toties peregrinam inducitur effervescentia; sanguis autem restagnans idem subit fatum, quod volatiles, & fluidae graminis particulae in foeno recenti: quod mirum itaque, si in corde reliquo vitali sanguini affusus naturalem ejus turbet motum & mistionem.

XIV. Pleuritis est morbus lateralis, & describitur, quod sit *inflammatio membrana pleurae dictae, & musculorum intercostalium cum febri acuta, dolore lateris punctorio, tussi, respiratione difficili, & sputo ut plurimum cruento.*

XV. Musculi intercostales facile ob contiguitatem simul inflammantur. Utrum vero pulmones semper in pleuritide afficiantur, de eo equidem dubitamus. Nam in peripneumonia sive solitaria, sive pleuritidem concomitante omnia symptomata graviora sunt. Et si pulmones semper inflammarentur, rarius pleuritici curarentur. Unde rectius statuitur, quod in pleuritide gravioribus stypata symptomatis pulmones quoque inflammatoriam patiantur obstructionem, quod eo facilius in illis fiet subjectis, quorum pulmones ipsi pleurae adhaerent, & annexi sunt.

XVI. Caussa proxima est sanguis vel extravasatus, & in pleuram effusus putrescens, vel restagnans saltem intra vasa sua, & effervescens. Neque enim ad inflammatoriam obstructionem semper opus erit, ut sanguis extravasetur, sed sufficit, si in vasis capillaribus (quae sub forma sanguinis in statu naturali non ingreditur) in motu suo progressivo praepediatur, quo facto non potest non magna lucta inter particulas sanguinem constituentes oriri, ut in oculorum inflammatione videre licet.

XVII. Caussae remotiores sunt plethora, exercitia vehementiora, casus ab alto, percussio, omnia frigida, vel ore hausta, vel per poros foris intus spectantes admissa vaporum liberum transitum sufflaminantia, & sanguinis in circulum itum praepedientia.

XVIII. Febris si symptomatica sit, eodem generatur modo, quo in reliquis inflammationibus eam fieri superius docuimus. Respiratio est difficilis, quia pulmones dilatari nequeunt, quin ipsa pleura & musculi intercostales simul moveantur, hinc ob doloris metum aegri parvam, sed crebram habent respirationem. Dolor est a dilaceratione filamentorum sive continui solutione. Tussis oritur ab humore acri asperam arteriam irritante. Sputum cruore tinctum apparet, quoties vascula sanguifera rumpuntur, & sanguis purus e pleura ob inflammationem rarefacta transudat.

XIX. Dividitur in veram & notham. In malignam sive epidemicam, & benignam.

XX. Signa diagnostica, ac apparentiis, sive phaenomenis eam concomitantibus facile hauriuntur. Si aeger super affecto latere aegre cubet, malum in musculis intercostalibus erit. Sin vero lateri sano incumbens plus sentiat molestiae, vera erit pleuritis; deinde in spuria febris vel nulla, vel mitior, utpote quae est flatibus & crassioribus vaporibus partes musculosas obsidentibus exoritur; dolor pectoris gravativus, magnaque respirandi difficultas pulmones simul inflammari indicant.

XXI. Pleuritis morbus est periculosus. Maligna saepius brevi hominem jugulat. Diarrhoea superveniens lethale est signum. Facile in empyema, & tandem in phthisin abit, immo qui aliquoties hoc morbo laborarunt, laxiores nanciscuntur pulmones, & ut plurimum tandem fiunt phthisici. Sputum quo citius apparet, & citra magnam difficultatem excernitur, eo breviorem indicat morbum. Videantur *aph. Hippocratis.*

XXII. In curatione omne fert punctum venae-sectio, quae in brachio nisi aliud quid obstet administranda, & largiori manu sanguis extrahendus, & quidem

in brachio lateris affecti institui, & iterari debet. Quod si tamen dolor non tam versus jugulum, quam hypochondrium se extendat, & ex lochiorum, mensium, vel haemorrhoidum suppressione ortum traxerit, incidi quoque debet vena pedis. Post sanguis coagulatus solvendus, expectoratio facilitanda, & si tumor ad suppurationem vergat, haec quoque convenientibus remediis promovenda. Formulas vide apud *Timaeum a Guldenklee, Willisium cap. de pleuritide*, & *Barbette in sua praxi*. Ego paucis contentus oleo lini recenti, emulsione mannata, oc. cancri, antim. diaphoretico & aquis aliquot destillatis interne exhibitis malum hoc profligavi. Externe fomentum ex lacte & summitat. aneth. floribus chamom. meliloti, &c. convenit, vel linimentum ex ol. diapalmae, & ungu. de althea. conducit quoque emplastrum diachyl. simpl. ulceris detersioni inservit decoctum vulnerarium pectorale. *In ephemeridibus Medicorum Germanorum* commendatur oleum antipleuriticum *Petri a Castro* ex cucurbitis longioribus, & oleo olivarum vetustissimo paratum, quod *Hanoviae* magno cum successu adhibitum fuisse memini.

XXIII. In diaeta victum tenuem & cerevisiam secundariam floribus pectoralibus, & stercore equino, magno remedio, exaltatum commendo. Hujus loco decoctum liquiritiae quoque parari potest. Vinum autem penitus proscribimus.

XXIV. Quaeri posset I. quare facilius inflammatoria obstructio in partibus membranosis, quam carnosis oriatur? dicimus fieri hoc quod pori partium carnosarum minus constantes sint, hinc vaporibus crassioribus facilius cedunt, quam pori partium membranosarum, quae stabiles magis & constantes, adeoque facilius ita obstruuntur, ut non nisi materiae Mundi subtilissimae transitus concedatur, quae talem humorum exagitationem, & inflammationem demum producit.

XXV. Secundo, quomodo in pleuriticis pus per vias urinarias evacuari possit, quam evacuationem non raro natura critice molitur. Aliqui putarunt stupendum hoc phaenomenum stante sanguinis circulatione facile explicari posse. Alii vero ad vasorum anastomosin & apertionem confugerunt. Verum enim vero nodus iste gorgonius nondum solutus est; nam vix credibile videtur, tantam puris foetidi copiam citra vitalis fermentationis destructionem per cordis thalamos trajici posse: & si vasa quaedam per anastomosin aperiuntur, quare non una sanguis effluit? Hinc forte melius nebulae illae discutiuntur, si attendamus, totum corpus vivens esse perspirabile, & inumeros eosque satis patulos in corpore vivente dari meatus, quos nemo Medicorum unquam ad oculum demonstrabit. Quidni itaque pus e thorace diaphragma transire, & in abdomine per poros foris intus spectantes ipsam ingredi poterit vesicam urinariam. Neque obstat argumentum a sensibus desumtum, quo ipsam rationem evertere conantur, jam dudum enim audivimus illud valde aegrotare & morbo aliquo laborare, quod vocant NON VALET CONSEQUENTIA.

FINIS.

12.

DE PHTHISI ET EMPYEMATE.

PHthisis est extenuatio totius corporis, cum febri lenta, tussi purulenta, & respirandi difficultate, a pulmonum exulceratione orta.

II. Quamvis enim atrophia aliorum etiam viscerum ulcera comitetur, vel pulmonum obstructionem a calculo, vel alia materia crassa, seu tophacea insequatur, rectius tamen hi morbi sub marasmo, vel etiam hectica comprehenduntur.

III. Caus-

III. Caussa immediata est ulcus pulmonum. Provenit hoc vel a sanguine in pulmonibus extravasato, ibidemque grumescente, & acescente, quod haemoptysicis contingit. Vel a pure post pleuritidem in pulmonibus remanente: vel a stigmate variolarum; vel etiam a lympha acriori in pulmonibus justo diutius restagnante, & ob salsam sanguinis intemperiem semper copiosius e glandulis asperae arteriae depluente, quod morbi genus phthisin catarrhalem vocare solent. Denique oritur etiam ulceratio a corrosivis effluviis cum aëre per inspirationem attractis, quale quid murarii, chymici, vitrarii, saponarii aliique, rem cum calce viva vel salibus corrosivis habentes, experiuntur.

IV. Suum quoque confert symbolum aër frigidus, & autumnalis. Recte *Hippocrates: autumnus tabidis malus*. Eundem sortiuntur acidulae intempestive, & largius haustae, spiritus vini, vinum, consuetae evacuationes suppressae, morbi temporis diuturnitate balsamicam sanguinis massam depascentes, quales sunt tertianae intermittentes, scorbutus, quartana. Vel qui immediate thoraci sunt infensi, quales variolae, peripneumonia, pleuritis. Stat per mortes confirmata regula: *saepius pleuriticus tandem fit phthisicus*. Dum enim pus pulmones saepius transit, eorum compagem relaxat, & ulcerosam tandem introducit dispositionem. Sunt qui in utero materno similem pulmonum imbecillitatem acquirunt, quorum insuper sanguis ob ulcerosum crasi seminali impressum characterem vel sigillum, leviori etiam data occasione, morbo huic fores pandit.

V. Phaenomena ita explicamus: phthisici tussiunt, quia fibrae pulmonales a purulenta materia irritantur. Tussis in morbi principio & aegrum & Medicum non nisi ipso cum ulcere increscit. Adest febris continua, lenta tamen, & quae semper elapsis post pastum aliquot horis intenditur: quia sanguis, dum per pulmones circulatur, semper quid purulenti absorbet, quod secundum minima in corde cum sanguine mistum non potest ejus mistionem turbare, quod poros habeat a poris sanguinis abludentes, hinc necessario peregrinam (sive alius motus, figurae & magnitudinis) materiam aethereain infert, unde lucta in sanguine, & pulsus frequentior.

VI. Calor post pastum exacerbatur: nam chylus in morboso tali corpore facile ab indole sua deflectit, & in acrem & fermentescibilem abit pastam, haec sanguini confusa, & purulentis humoribus obvia insignem excitat effervescentiam, donec vel subigatur vel per diaphoresin exhalet. Haec tamen effervescentia non adeo aucta est ut in febribus ardentibus, quia sanguis ab ulcerosis humoribus parum inspissatur. Febri huic se associat febris intermittens, focum suum in tubulo partis alicujus solidae, & ut plurimum in ventriculo habens: facile enim concipimus, quod sanguis pure refertus ad producendas obstructiones proclivis sit.

VII. Sudores nocturni colliquativi proveniunt a succo nutricio acriori, glandulas miliares vellicante, & ob spirituum animalium inopiam circuitum suum absolvere nescio: accedit calor stragulo auctus, qui facit, ut evaporatio copiosior instituatur.

VIII. Idem hic succus acrior radices capillorum in glandulis sitas (totum enim corpus pilosum est) exedit, unde eorundem defluvium sequitut.

IX. Paullo ante mortem duo alia accedunt symptomata, quae ut plurimum agmen claudunt, & vitae finem imponunt: nempe tumor pedum, & alvi fluxus colliquativus. Quum enim ob spirituum inopiam humores circulantes non amplius ea qua par est alacritate perpendiculariter ascendant, tubuli in pedibus obstruuntur, & humores propria sua gravitate pedem pedibus figunt. Quia etiam tonus intestinorum reliquorumque viscerum ob eandem caussam valde labefactatur, & putredo solita deficiente radiatione paullatim introducitur, dum aëri, & corpusculis ipsi innatantibus jam liberior quoquo versum transitus concedatur, ut pleno

agmine irruere possint, non potest non totius colliquatio, & destructio insequi.

X. Aliae quae conspiciuntur apparentiae non sunt explicatu difficiles: pinguedo, quae urinae innatat, est a liquaminis radicalis (humidum radicale vocant) & partium oleosarum abrasione, quae lymphae acrioris effectus est. Quod si musculosae partes pingui hac culcitra defraudentur, mirum quantum collabuntur unde facies hippocratica prodit, & totius extenuatio.

XI. Sed unde contagium? Morbus hic, ubi ulcus valde sordidum redditur, facile communicatur aliis aegro quotidie adstantibus, praesertim si vel laxiores jam habeant pulmones, vel ipsorum sanguis ad acrem intemperiem subeundam jam dum, & jure haereditario proclivis sit, adeoque tabida stirpe nati sint. Ecquis, dubitabit, exulceratos pulmones continuo motu agitatos, multa miasmata fermentescibilia, & corrosiva exspirationis sphaeram ab adstante corpore, sive cum saliva deglutita, sive cum aëre admissa, justa activitatis suae modulum tum in sanguinem tum in viscera debacchantur, eundemque praesertim in corpore praedisposito producunt morbum. Et quum illae hypotheses, quibus in explicandis effluviis malignis utimur, sint praesidia, quibus naturae recessus exhauriri possunt, haud sapit acumen, si quis illas hypotheses ad ipsas qualitates occultas referat, quum hae semper maneant occultae, hypotheses autem tandem fiant assertiones, & vel exinde suo gaudeant robore, quod phaenomenis explicandis in omnibus accommodatae sint, qua evidentia fictae pro cujusvis arbitrio suppositiones nequaquam gaudere possunt. Quod si quae in principiis tibi occurrat obscuritas, ea non tam hypothesi, quam tuo praejudicio accepta ferenda erit. Quoniam itaque pus phthisicorum adeo acre est, ut non male cum arsenico comparetur, quod muscas aeque interimat, non video, quid obstet, quo minus ejus naturam per particularum motum, & figuram describamus, quum ipsa etiam natura in tot stupendis effectibus edendis iisdem utatur adminiculis. Sin vero quis suis, iisque fictis quatuor elementis, & qualitatibus, ab ipso corpore realiter distinctis, iisdem vel plura praestare possit, hoc ipsi nequaquam invidebimus.

XII. Antequam autem de prognosi quid dicamus, restat ut paucis de signis agamus, quae Medicum de praesentia puris certiorem faciunt. Saepius enim fit, ut pituita tum consistentia tum colore pus mentiatur, quatenus solito diutius in bronchiis delitescens similem induit faciem. Distinguitur autem a pure, primo odore, quia pus carbonibus injectum foetet. Secundo gravitate, quia pus aquae injectum fundum petit, pituita vero aquae innatat.

XIII. Prognosis omnem convalescentiae spem nobis eripit. Dicant hic alii quid velint, credant se phthisicos curasse, nos ratione & crebriori experientia edocti novimus distinguere inter phthisin in fieri, & inter phthisin in facto esse. Pulmones semel exulcerati nunquam perfecte coalescunt, id quod tum mollior ipsorum compages, tum motus perennis, & tussis continua confirmant. Si phthisis morbo acuto supervenerit, brevi aegrum interimit. mortem instantem praenunciant facies hippocratica, unguium incurvatio, pedum tumor, diarrhoea, & sputi detentio; omnes enim phthisici vel suffocantur, vel syncope pereunt.

XIV. Interim non inficiamur, fieri posse, ut ulceris parietes callum contrahant, & labia indurescant, id quod exulcerationem impedit, quo minus se latius explicare possit. Tales Phthisici plures per annos vivunt, & pus in tanta copia rejiciunt, ut vel centies pulmonum molem superet, evidentissimo argumento, ipsum succum nutricium ad pulmones delatum fermenti putredinalis afflatu in pus degenerare. Quam parum autem chylus corruptus a pure differat, vel ipsum lac acescens abunde satis testatur.

XV. In curatione duos nobis praefigimus scopos, quorum unus ulcus pulmonum, alter sanguinis intemperiem purulentam respicit. Pro hoc obtinendo medicamen-

camenta acrimoniam sanguinis temperantia, & purulentam cacochymiam corrigentia commendamus; id quod faciunt modice humectantia, oleosa & chylosa: inter quae principem obtinent locum destillata antihectica variorum Auctorum, decoctum passularum cum radice chinae, & santal. citrin. paratum, & quae omnibus palmam eripiunt lacticinia, quo emulsiones etiam referimus.

XVI. Profecto lac est unicum illud asylum, quo tandem omnes in phthisi confirmata refugimus: sed vide, ut proscriptis omnibus esculentis, & potulentis solo lacte utaris. Deinde sedulo attende ad signa digestionis, ut scias, utrum lac probe in ventriculo digeratur, an vero acescat, & in putrilaginem abeat. Si enim aeger in cura lactis nullum putrilaginosum saporem in ore percipiat, nec acidum eructet. Si nulla ventriculi inflatio, nulla tormina vel diarrhoea superveniant. Si sitis imminuatur, & aeger bene dormiat, tum non exigua reconvalescentiae spes affulget. Verum quamvis haec omnia ex voto succedant, tamen res nondum est in vado, nec omnis superata difficultas; saepius enim fit, ut ulcus in principio curae recenti eoque copioso chylo obruatur, & palliative consolidetur, dum ipsi saltem crusta inducitur, qua ex levissima etiam occasione tandem decidente, morbus ad pristinum redit ingenium. Corpus, quod interim profecerat, extenuatur, tussis recrudescit cum febri, & sputo purulento, & aeger brevi moritur, id quod in duobus studiosis phthisicis observavimus. Quo ipso evincitur, lac facilius hecticam curare, quam phthisin.

XVII. Parem merentur laudem pulveres antihectici: antihecticum Poterii; specificum stomachicum ejusdem, & nunquam satis laudata tinctura ex vitriolo martis, & saturni parata, quae acido vitriolaceo spoliata balsamica sua dulcedine chyli, sanguinis, & puris acrimoniam, egregie demulcet.

XVIII. Inter externa commendantur resumtiva: unguentum resumtivum dictum, oleum ranarum, balsamus saturni, epithema santalinum, & balnea temperata.

XIX. Pro altero obtinendo scopo necessarium erit, ut ulcus abstergatur, & detersum consolidetur. Hoc praestant vulneraria, quae alkali suo occulto ulcerosum acidum subigunt. Talia sunt: veronica, hedera terrestris, pilosella, pulmonaria, salvia, alchymilla, sanicula, vinca-pervinca, flores bellidis, radix symphyti, myrrha, flores sulphuris, lapides cancrorum, pulvis Haly &c. ex quibus decocta, electuaria & pulveres parari possunt. His adjungenda sunt expectorantia. Loch. san. & expert. de pulmone vulp. conserv. rof. pulv. Anonym. pulvis antiphthisicus *Connerdingii*, bals. sulph. anis. circa cujus usum non possumus non monere, quod quod si calor hecticus valde fuerit intensus magno cum aegrotantis damno exhibeatur.

XX. Neque contemnenda sunt suffimigia ex succino, myrrha mastiche, gummi-anim. &c. vide *Ettmulleri* ideam praescribendarum formularum, §. 3. class. 1.

XXI. Sunt, qui axungiam caninam, quotidie in jusculo sumtam, depraedicant; sed dubitari potest, an tantae ipsi insint vires, quum facile rancescat, & bilescat. Forte profuit illis, qui putatitia laborarunt phthisi.

XXII. Respirandi difficultas nonnunquam usque adeo urget, ut cogamur emeticum exhibere, beneficio cujus purulenta materia foras eliminetur, ut aeger a praesentanea morte liberetur: id quod forte in illa phthisi tutius erit, quaea pulmonum vomica ortum traxit.

XXIII. In diaeta omnia frigida, acria, acida ceu pestis fugienda, quo pertinent venti boreales, & fumus tabaci. Exulare debet bacchus cum venere. Et si possibilis sit aëris mutatio, ea omni modo suadenda est. De coetero quietem commendamus & abstinentiam, quibus rite observatis hic morbus plures in annos protrahi potest. Sed quod differtur non aufertur.

XXIV. Empyema non multum ab hoc morbo distat, nisi quod pus non tam in pulmonum substantia, quam in thoracis cavitate, colligatur. Cui occasionem praebent pleuritis, peripneumonia, febres malignae, sanguis in thoracem effusus in casu ab alto, percussione & thoracis vulneribus.

XXV. Empyici difficulter respirant, febricitant & tussi molesta vexantur.

XXVI. Empyema differt a vomica, quod in hac pus peculiari contineatur capsula, ipsis pulmonibus adhaerescente, quae si rumpatur, ita ut pus non cito ad tracheam deferatur, tunc homo subito extinguitur.

XXVII. Et quum empyema facile transeat in phthisin, iisdem fere curatur remediis. Prosunt enim terebinthinata, vulneraria & temperatiora diuretica: quod si via pateat in thoracis cavitatem, sive ea vulnere inflicto sit facta, sive per paracenthesin a Chirurgo institutam parata, mundificantia ex melle, terebinthina, diascordio, aqua hordei, & tantillo spiritus vini, vel aqua theriacal. magno cum levamine injiciuntur.

XXVIII. Sed paracenthesis rarius instituitur, antequam abscessus sese externe prodat: in cujus administratione cavendum, ne vasa sanguifera laedantur: vide *Scultetum* & *Fabricium ab Aqua-pendente*.

13.

DE RELIQUIS THORACIS MORBIS.

CAPUT I.

DE HAEMOPTYSI.

THESIS I.

Haemoptysis est sanguinis cum tussi rejectio. Seu est *sputum cruentum*, *qua sanguis* cum screatu ex aspera arteria, vel cum tussi profundiori ex vasis capillaribus pulmonum in exigua tamen quantitate, vel ex vase aliquo pulmonum majori copiose, & cum tussi *rejicitur*.

II. Quum enim sanguis pulmonum vasa celerrime transeat, eaque valde distendat, facile contingit, ut vitio ipsius sanguinis, vel culpa alius caussae externae vas aliquod rumpatur, & sanguis floridus, & ob aëris commistionem spumosus qua data via egrediatur.

III. Vasa triplici aperiuntur modo. Vel per anastomosin in plethora vel per diarbrosin in intemperie acriori sanguinis, & humorum circulantium. Vel per rixin in casu ab alto, percussione, aut alia aliqua vi externa.

IV. In anastomosi, & rixi sanguis copiosior cum impetu rejicitur; in diarbrosi autem parcior, & minori cum turgescentia. In vomitu cruento sanguis quoque rejicitur, sed nigricans, grumosus & variis aliis humoribus commistus.

V. Caussae antecedentes sunt consuetae alicujus haemorrhagiae suppressio, intemperies sanguinis cacochymica, tussis violenta, febres malignae. Procatarcticae vero aër frigidior aut calidior, cibi calidiores, vinum generosum, motus immodici.

VI. Morbus hic non caret periculo, quia vel subito interimit, vel in longam tabem, & phthisin deducit. Nam post sanguinis sputum, puris sputum, post puris sputum phthisis. Mulieres, sicuti sanguinolentas excretiones minori cum virium jactura ferunt, ita etiam saepius minori cum labore ab hoc morbo liberantur.

VII. Curatio instituenda est juxta indicationes; indicat autem sanguis, peccans

cans intra vasa quantitate & motu, sui evacuationem & revulsionem. Id quod fit per venae-sectionem in brachio administratam, & si opus fuerit in pede repetitam. Qui vero sanguis jam extravasatus est, indicat sui resolutionē, & expectorationem. Denique ipsa vasa reserata indicant sui occlusionem. Pro quibus scopis obtinendis commendamus medicamenta *Timaei*, & si alia expetas quae ex portulac. veronic. heder. terrestr. & plantag. parantur. Conveniunt etiam lap. cancr. antimon. diaph. sangu. dracon. bol. Armen. terr. sigillat. lap. haemat. electuar. a *Boyle in usu philos. experiment.* commendatum, a quo parum *Haelidei* electuarium ad haemoptysin apud *Riverium* aliosque practicos descriptum.

VIII. Quod si vasis jam occlusis sanguinis intemperies recidivam comminetur, in usum vocari potest serum lactis cum tinctura antiphthisica ex saccharo saturni parata.

X. Diaeta debet esse excarnis cum quiete, & abstinentia a vino caeterisque spirituosis. Pro potu ordinario commendamus tincturam lignorum a Dn. *Sydenham* in novissimo suo de *podagra* tractatu descriptam.

CAPUT II.
DE TUSSI.
THES. I.

T*Ussis est frequens & reiterata aëris, & contentorum aliorum per asperam arteriam explosio a fibrarum irritatione producta.*

II. Irritantur autem fibrae 1. in ipsa aspera arteria, idque vel a lympha acriori, vel ab aëre frigido, & effluvis acidis contaminato. 2. in ipsis pulmonibus ab humore pituitoso salso vel purulento. 3. in diaphragmate ob consensum cum hypochondriis, & superiori orificio ventriculi.

III. Primas hic tenet sanguis, recrementa sua ob denegatam a frigidiori aëris constitutione insensibilem transpirationem in pulmones & ductus tracheales deponens, unde tussis epidemica ortum suum trahit.

IV. Saepius caussa continens in ipso ventriculo suos habet natales, dum assumta propter errores in diaeta commissos in liquamen catarrhale, & pituitosum abeunt, quod mole sua non solum ventriculum gravat, sed & vi sua irritativa fibras nerveas vellicando ipsum diaphragma concutit, & tussim valde molestam inducit.

V. Tussis est vel humida, in qua phlegma nunc crassius nunc liquidius excernitur: vel sicca, in qua nihil rejicitur, sive id fiat ob humoris cruditatem, quae nunc in visciditate, nunc fluxibilitate consistit, sive ob ejus acrimoniam. Utraque oritur vel vitio thoracis, vel culpa ventriculi.

VI. Tussis humida pituitosa curatur incidentibus, digerentibus, & expectorantibus, in quem finem parari potest mistura non inelegans ex aqu. asthm. veron. cinnam. bugloss. oxym. scyllit. & sirup. heder. terrestr. conveniunt etiam spec. diaireos, bals. sulph. anisat. terebinth. aut. succinatus.

VII. Quod si lympha fuerit tenuior, conducunt spec. diatr. frigid. loch. san. & expert. conserv. rosar. pulvis Haly, pulv. contra tussim *Mynsichti*. In tussi autem convulsiva, & magna fibrarum irritatione principem obtinent locum succinata, crocata, papaverina, cynoglossata, & blandiora alkalica opiatis maritata. Recte *Grembsius ex Helmontio: tussim compescit opiatum Paracelsi, quod constat experientia; ergo tussim curare soporiferis remediis non inconveniens est: hinc si quis noverit e papavere lethalia segregare, is nactus erit in tussi remedium egregium*, id

quod

quod per liquorem Alkaest praestabitur.

VIII. In tussi epidemica plus saepius nocent spirituosa, & calidiora sudorifera, praesertim, ubi nulla conjuncta febris; si enim vim vi repellere velis, facile pleuritis vel peripneumonia accersetur, quod felicissimus Angliae practicus *Sydenham in suis observationibus* prudenter annotavit.

IX. In tussi per consensum ex ventriculo egregie prosunt emetica aliquoties in usum vocata, & ipsis fermentativis praemissa.

CAP. III.
DE ASTHMATE, & DIFFICILI RESPIRATIONE.
THES. I.

Asthma est frequens quaedam cum anhelatione, & stertore respiratio; quod dyspnoeam, & orthopnoeam quoque referimus, quia saltem gradu inter se differunt.

II. Hoc malum saepius typos suos febris intermittentis instar accuratissime servat, & periodice recurrit, estque pro caussarum varietate varium. Potest tamen ad imitationem *Helmontii, & Grembsii* commode dividi in asthma humidum, in asthma siccum sive caducum, & in asthma stomachicum seu flatulentum.

III. In asthmate humido bronchia, & ductus tracheales ab humore viscido, & glutinoso obstruuntur, caeteraque viscera ob cachecticam sanguinis intemperiem humorum infarctu sunt contaminata; hinc a motu paullo vehementiori malum valde ingravescit, quod humores circulantes in suo per tubulos musculorum respirationis negocio dicatorum motu impediantur ob contumacem a lympha crassiori factam obstructionem.

IV. Asthma caducum merito inter morbos convulsivos refertur, tum quod eodem generetur modo, tum quod iisdem etiam curetur remediis. Hinc non male a *Grembsio* vocatur epilepsia pulmonum, quia quic quid epilepsiam curat, eo etiam curatur asthma. Usque adeo crispantur fibrae musculorum respirationis, & ipsum etiam diaphragma ita contrahitur, ut zonae instar costas constringere videatur. Oritur autem a sale scorbutico tum nervis tum ipsorum incolis infensissimo, quod impedit, quominus pulmones rite dilatentur, & ipsum diaphragma primarium respirationis organum libere moveatur, unde, praesentissimum imminet suffocationis periculum.

V. Flatulentum in ventriculo, & in primis viis castrametatur, ortumque suum habet a cruditate acida seu Gas flatulento, quod mucus ibidem collectus exspirare solet, a quo ventriculus non raro in tantum distenditur, ut ipsa respiratio valde laboriosa inde reddatur, & non nisi magno cum conatu, & difficultate peragi possit. Hinc est quare omnes hypochondriaci, hysterici & scorbutici post pastum sint asthmatici.

VI. Caussae remotiores sunt errores circa sex rerum non naturalium administrationem commissi: nec non morbi praegressi, quibus sanguis depauperatur, fermenta viscerum enervantur, & ipsa principia activa, sanguinis itum, & reditum conservantia, subiguntur.

VII. Refertur autem asthma inter Medicorum opprobria, quia nunquam periculo caret, cujuscunque etiam sit conditionis, & generis. In senibus nunquam curatur, praesertim si profundiores egerit radices. Quod si urina parcius incipiat fluere, non amplius de futura hydrope dubitandum est.

VIII. In

VIII. In curatione observandum est, nihil certi de venaesectione hic determinari posse, quum illam & profuisse & nocuisse ex praxi constet, itaque necesse est, ut ad corporis habitum, & caussas antecedentes probe attendatur.

IX. Asthma humidum pectorale curatur praemissis phlegmagogis incidentibus, & expectorantibus, commendamus misturam ex aqu. asthmat. hyssop. veronic. cinnam. hordeat. oxym. scyllit. tinctur. proprietat. *Mynsicht.* & julep. asthmat. cui praeferimus aquam pectoralem rubram celeberrimi *Horstii*, senibus nunquam non salutarem, cum qua julepus *Grembsii* ex aqua asthmat. & elixir. vitae convenit. Conducunt quoque omnia sulphurata, v. g. sirup. diasulph. *Willisii* tinctura sulph. flores sulph. omnia crocata, enulata, anisata, decoctum pectorale *August.* galli veteris Riveriano modo paratum. ol. sachar. composit. sperm. ceti. Butyrum cancrinum. Tinct. antim. tartarisat. tinct. tart. spir. sal. armoniac. anisat. virid. aeris *Michaëlis*.

X. Inter purgantia laudem merentur ea, quae ex gummi-ammoniac. & galban. praeparantur, qualia sunt pilul. de hier. cum agaric. de ammoniac. *Quercetan.* extract. diacartham. pilulae gummosae.

XI. In asthmate caduco conveniunt armoniacalia, aromatica, oleosa, castoreata & opiata. Omne hic ferunt punctum liquor. cc. succinat. cum opio. sal. volat. cc. cum opio: tinct. myrrh. spir. sal. armoniac. & omnia ex lumbricis & millepedibus parata.

XII. In asthmate stomachali vomitoria conducunt, quibus praemissis ad carminantia deveniendum, qualia sunt: elixir. propriet. alcoholisat. essent. carminat celeberrimi *Wedelii* spir. nitri rite dulcificat. arcanum duplicatum, varia elaeosacchara, tragea post pastum, aliaque caeteroquin cruditate acida compescenda valde proficua.

CAPUT. IV.
DE PALPITATIONE CORDIS, & SYNCOPE.
THES. I.

Palpitatio cordis est ejusdem motus convulsivus cum vehementi arteriarum cordis vibratione.

II. Caussa est vel inordinatus spirituum animalium influxus cordis fibras motu spasmodico vellicãtium: vel viscida sanguinis intemperies; ita tamen ut valde fermentescibilis sit; hinc in rarefactione spiritus crassiores se extricare nesciunt, tantoque cum impetu sanguinem excutiunt. Neque excludenda est lympha ex arteriis coronariis cordis parenchyma ingrediens, quae si acrior sit, spasmum inducere solet.

III. Caussae remotiores sunt terror, ira, venus, mensium suppressio, malum hypochondriacum, & sexcenta alia.

IV. In curatione ad primas vias respiciendum, frustra enim omnis instituitur curatio, nisi chyli vitia emendaveris: inter specifica commendantur coralliata, ambrata, margaritae. aq. e typh. cerv. cordial. frig. *Saxon.* externe laudatur theriaca cum croco & confect. alkerm.

V. *Syncope est praeceps omnium virium lapsus cum facultatis vitalis, & animalis ablatione.*

VI. Caussa quaerenda est vel in liquore animali vel in vitali. Sanguis hic saepius primas tenet, dum vel polypose in corde concrescit. Vel quantitate sua cordis thalamos obruit. Vel nimium rarescens in motu suo circulari prapeditur.

VII. Cu-

VII. Curatur vino generoso. aceto medicato, urinosis, castoreatis. elixir. precios. aq. cardiac. spir. theriac. camphorat. & omnibus ex cinnam. paratis, de quibus vide *volum. 5. actor. Haffniens. observ. 9.* Sin plura desiderentur, practicorum volumina evolvi possunt.

DISSEATATIO CHYMICA. DE AURO
RESPONDENTE.
WILHELMO HULDERICO Valdschmidt. HANOVIENSI.

I. EUdoxus rogavit aliquando Deos, ut sibi facultatem darent, solem, proxime cernendi, ejusque formam, magnitudinem, & puchritudinem proxime contemplandi: mallem ego solem, metallorum facile principem, & regni mineralis phoebum, aurum, proxime & in cunabulis suis, non solum contemplari, sed in principia ejus constitutiva profundius inquirere, ut non tam oculos cum vulgo, quam animum cum eruditis pascerem, atque reconditos telluris thesauros cogitationibus meis perlustrarem. Neque enim me sacra auri tenet fames, ut inde ditescere velim, qui sorte mea contentus, manibus meis obicem posui, nescius peregrinum hunc hospitem excipere, aut tali veneno loculos meos contaminare: quum a Deo & Principe meo habeam, quo de praesenti me alere possim, de futuris enim ne cogito quidem, est qui his finem & incrementum dare potest, in cujus manibus fatum meum aequo, & firmo stat talo. Nunc ad rem ipsam me accingo.

II. Rogatus non nemo cur aurum pallesceret, apposite, respondit, quod tot quotidie expositum esset insidiis: hinc nomen suum inde accepisse quidam existimant, quasi diceretur metallum, quod omnes habere percupiant, illudque tanto studio quaesitum solicite custodire. Coeterum inquirendum nobis erit in partes ejus constitutivas, inque patriam & indolem, ut perspectum reddamus, in qua telluris regione vellus hoc aureum abscondatur. Itaque aliorum missis conjecturis rectius supponimus, interiorem terrae partem centrali igni magis vicinam maximam sui partem esse metallicam, sed hominibus ob nimiam profunditatem inaccessam, intra cujus poros producuntur, & acuuntur salia, generantur moleculae sulphureae, & tria illa chymicorum principia suos habent natales. Quod autem natura in superiori, nobisque magis vicina, terrae parte, suum pandat Gazophylacium, id tum solari cum centrali igni in acceptis ferendum est: horum calor mercuriales atomos usque adeo volubiles, qua data via e terrae gremio versus superficiem propellit, quae plurima ramenta metallica salinasque atque sulphureas particulas secum abripiunt, iisque aliis terrestribus intimius junctis superiorem terrae partem faecundam faciunt, ut montes quandoque parturiant aurum, variaeque varii generis venae metallicae disseminentur, per longiores terrae tractus atque ambages diffusae, cujus rei veritas illos latere non potest, qui fodinas metallicas improbo labore scrutantur.

III. Si conjecturae esset locus, dicerem Plutonem in centrali terrae parte sua fixisse tentoria, huncque locum esse, in quo damnati suos patiuntur manes, & quem gehennam vocant. Horrenda haec est abyssus, quae terrae tangit centrum, ubi ignis nunquam intermoriturus metalla in stygios latices convertit, quibus damnati immerguntur, ut nunquam emergant. Videbis hic furnum reverberatorium, in quo faex hominum calcinatur, ut in ipsis cineribus singulis momen-

tis

tis reviviscant. Videbis mille torquendi modos, prout sua quemque his in terris traxit voluptas, quibus condemnati sine modo castigantur. Ille fuso innatabit ferro: hic venerem undiquaque candentem amplectetur, ut teneri nervi, tantopere a ramentis metallicis in orbem vibratis convulsi, miserae animae inexplicabilem inferent dolorem: contremiscent deflagrantis corporis partes, audietur dentium stridor, & desperabundi ejulabunt omnes. Erunt quorum faucibus potabile aurum infunditur, ut sicuti Cyrus apud Herodotum, & Justinum sanguine, hi aureo flumine satientur, cujus insatiabiles semper fuerunt.

IV. Sed è diverticulo in viam: aurum est metallum solidum, fusile & ductile, compositum ex terra suphurea fixa, salina & mercuriali. Mercurius ductibilitatem largitur: sal concretionem juvat, & basin constituit. Sulphur dat animam, & facit, ut sit indestructibile, & corruptionis expers. Nam facilius est aurum componere, quam destruere, usque adeo compactae sunt omnes ejus partes, ut vix ita dissolvi possint, quin non statim mutuos iterum ruant in amplexus.

V. Quamvis autem metallum hoc omnium sit defaecatissimum, ejus tamen partes admodum inaequales deprehenduntur, quoties per optimum microscopium conspiciuntur: videbis enim oculo armato auri superficiem admodum asperam esse, porulis & cavernulis indefinitae configurationis perviam: argumento, varii generis aetherem facilè admitti posse, non multum abludentem a natura aetheris sanguinem nostrum animantis, ut vel propterea aurum audiat medicamentum inter cardiaca haud postremum.

VI. Fuere quidem, qui aurum ceu inutile terrae pondus foro medico proscripserunt, nescii, illud in gravissimis etiam morbis magnae esse energiae, & multa egregia inde parari posse remedia: cum quibus nobis nunc non sunt feriae, ratione & experientia edocti, eos omnes errare, qui persuasum habent, aurum in substantia exhibitum morbi caussam nunquam attingere, nec ventriculi auscultare fermentationi, aut faciles digestioni duodeni praebere aures. Fac enim haec ita se habere, nunquam tamen inficiaberis, unum quodlibet medicamentum coelestem quandam, sive certi generis aetherem, sanguini nostro inferre, utut etiam primam quandoque subterfugiat fermentationem in ventriculo. Materia haec aetherea, prout sanguinis motui plus minus resistit, tota die varia ludit dramata, ut in purgantibus plus minus vehementibus venenis, aliisque plurimis, tum in corpore nostro, tum extra illud in liquoribus fermentantibus & acescentibus, vino, cerevisia, lacte, & aliis saepe saepius experimur. Dicimus itaque aurum transmittere materiam subtilem, & parum vel nihil a natura aetheris sanguinem nostrum pervadentis abludentem, qui fluiditatem, & mistionem debitam indefinitarum istarum partium massam sanguineam componentium conservat. unde palam fit, quod aurum in substantia exhibitum & ad sanguinem devolutum, egregie praeservet a putredine, novum vigorem singulis momentis superaddat, & totum corpus instar panaceae contra obstructiones, aliosque hostiles insultus vindicet. Haec est vis illa radiativa Helmontianorum, quam imperceptibilem esse autumant: Haec spiritus ille, tum influus tum insitus: Haec character seu idaea seminalis hactenus inexplicabilis: sola illa materia aetherea est, quae sicuti tempore vernali a sole orbis in haec inferiora spargitur, ut torpescentes actuet spiritus, & sanguinem accuratius commisceat, ita sole metallorum per universum dispensatur sanguinem, vires contritas restaurat, cordi robur addit, & nectaris hujus vitalis defaecationem, & despumationem ex voto promovet, ut merito remedium multae expectationis vocetur.

VII. Verum subjudice lis est, an aurum ita crudum, & ignis torturam nondum expertum, quale e sabulo elutriatur, feliciori cum successu exhibeatur, quam illud, quod jam ignis sustinuit vim & examen. Equidem non

ignoram, saepius credulitati, consuetudini & superstitioni quid dandum; omni quippe caret fundamento, si v.g. annulo matrimoniali, in fidem dato, plus virium conferre velim, quam auro alii usui consecrato, cum aurum qua tale, modo a sordibus, & recrementis metallicis probe fuerit liberatum, exoptatos hos in morbis exserat effectus, tum intus exhibitum, tum foris etiam appensum aut impositum. Neque enim est de nihilo quod variolosis commendemus anulum aureum oculis saepius admovendum, ut ab inflammatione, & exulceratione eos servent immunes: in impotentia ex incantatione multum pollet aurum certa conditione in usum vocatum, quo labefactatae partes genitales locantur in solido: sic daemones quandoque ipso fugantur auro, quod hominem reddit cordatum, audacem, & spiritus tum vitales, tum animales restaurat, ne tam facile obnubilari possint.

VIII. Non minoris energiae praesidium est, si intus exhibeatur, ad quod ceu salutis anchoram confugiant illi quos jam mors praestolatur. Celebris hoc nomine est pulvis aureus illustris medici Viennensis, Antonii de Pozis, quo non semel deploratos ex orci faucibus ereptos novimus.

℞. *Rasur. ebor.* unc. sem. *pulv. marchion.* drach. iii. *auri per trituram longiorem in pollinem redacti.* drach. ii. sem. *bezoar. orient. ver.* drach. ii. *unicorn. marin.* drach. i. *F. pulv. dos.* a gr. v. ad scr. i. vel drach. sem. *cum aqu. C. cerv. citrat. vel cerasor. lavendulata.*

IX. Pari successu exhibetur epilepticis in substantia. Hinc encomium meretur secretum antiepilepticum, ad quod, teste Bartholino, tanquam ex Aesculapii fano depromtum multi confugiunt, ac non pauci vim salutarem ex usu remedii hujus adhuc dum sentiunt.

℞. *Cran. human. sem. poeon.* āā scru. sem. *succin. alb.* gr. vii. *auri haeredit.* gr. ii. *margarit. corall.* āā gr. v. *sambuc. cortic. ex salic. nascent.* gr. x. *castor.* gr. iii. *pulv. calendul.* gr. ix. *f. pul. detur c. aqu. lavendulae.*

X. Sunt, qui aurum cande factum, & in aqua appropriata, aut etiam vino, saepius extinctum, hydropicis, ictericis, atque arthriticis commendent: & notum est, quanti hoc remedii genus Burrhus, & Poterius aestimaverint. Neque deest ratio: cum enim quaedam auri ramenta, vi ignis soluta, liquori confundantur, nulli dubitamus, quin amicum sanguini inferendo aetherem etiam per solam hanc viam extinctionis, periculosissimis mederi affectibus, & contumaces in morbis chronicis obstructiones reserare possint. Notari tamen velim, me hic loqui ex hypothesi, quod videlicet de substantia auri candefacti, & in liquore saepius extincti quid abscedat, nisi enim hoc fieret, potius fatuum dicendum foret remedium, omni sua virtute exutum. Neque me latet, quosdam ex turbatione liquoris particularum auri secessionem conjecturare, sed quam titubante hoc argumentum incedat gradu, ostendit celeberrimus Bohn., cum a particulis salinis e pabulo ignis eructatis quivis sincerus liquor facile turbetur, ejusque textura brevi immutetur.

XI. Progrediendum nunc ad varias auri praeparationes chymicas, inter quas haud postrema est, quae nobis aurum fulminans sistit, inde dictum, quod manibus familiarius contrectatum, & leviter in calescens, maximo cum strepitu fulminet, vimque suam explosivam non sine adstantium terrore, & periculo exserat, ut unicus etiam hujus pulveris scrupulus vehementiorem edere possit sonitum, quam dimidia libra pulveris pyrii imo juxta Wilisii calculum, unicum ejus Granum cum tanto impetu, explodatur, & strepitum edat, qualem non centuplum pulveris pyrii. Est autem nihil aliud quam calx auri, sive aurum ope aquae Regis solutum, & cum oleo tartari sensim in calcem praecipitatum, post menstruo leviter abstracto aqua dulci saepius lotum, & exsiccatum. Medicamentum profecto haud contemnendum: datur ad aliquot grana in febribus intermittentibus ante paroxysmum; in tympanitide, iliaca, cardialgia. Externe laudatur in ulceribus

ribus sordidis, fistulis ani, cum diascordio terebinthina, gummi elemi vel melle subactum.

XII. Quaeritur quaenam vera stupendi hujus fulminis sit causa? cui quaestioni enodandae facem non levem praeferunt illa, quae alibi de natura, & ortu ignis docuimus, quorum summa haec est, quod nempe ignis tunc producatur, quando particulae terrestres, expulsis globulis soli primae materiae elemento innatant, quae si rigidae, & ad motum retinendum aptae natae fuerint, magnam in momento excitant rarefactionem, prout in pulvere pyrio quotidie videmus. Eundem in modum pulvis hic flammam concipit, quando a superveniente calore spicula salina intra poros occultata, & expulsis sphaerulis secundi elementi, vehementissimo motu abrepta, secundum omnes dimensiones vibrantur.

XIII. Sic tandem ad famosas solis tincturas contemplandas ducimur, visuri, an decantatae illae quintae essentiae vulgo dictae pro genuinis, aut apocryphis haberi possint, Angelus Sala, chymicus cordatus & candidus, multis iisque solidis persuadere contendit rationibus, aurum nunquam ita solvi posse, ut quid de sua substantia menstruo largiatur, quo rubicundum & purpureum induat colorem. Hinc non veremur publicè profiteri, vulgares chymicorum tincturas solis non genuinam esse prolem auri, sed adulteratam & pro fuco faciendo natam, quippe color ille, non soli, sed menstruo in acceptis ferendus, qui usque adeo superficialis est, ut facile mutuatitia hac veste exui possit, Stat aurea chymicorum regula. Omnia metalla simul ac vel liquidam, vel salinam formam sunt adepta, simplicia esse desinunt, vereque dici res compositae merentur, quandoquidem absque adjectione solventium in his formis, neque consistere, neque persistere diu possunt, usque adeo, ut si illi, priventur has, quoque pari ratione deponant, & tanquam post liminio redeant ad consistentiam solidam priorem. Haec certe regula omnes solis tincturas, hactenus tantopere laudatas, de ponte dejicit, ut antiqua sua haereditate, possessione & fama excidant, cum ex ipsis processibus abunde satis constet, colorem flavum, vel purpureum non sulphuri auri, sed saccharo, & spiritui vini deberi, cujus sint pro exemplo sequentes auri tincturae. ℞. Fol. auri libellum, i. sacchar. cand. unc. i. misceantur in parva phiala bacillo ligneo, in leni calore arenae, huic pulveri post affunde spirit. vini sale volatili urinae exaltatum stent in digestione, donec spiritus tingatur. ℞. Fol. auri q. v. misce cum sale tartari, affunde spiritum vini, eumque accende ad deflagrandum, repete id aliquoties, residuo pulveri affunde tandem recentem spiritum vini, & habebis tincturam auri rubicundissimam. Risum teneatis amici, has enim solis esse tincturas credat judaeus apella.

XIV. Verum enim vero ita actum quoque esset de auro potabili, cui tamen sua hactenus apud plures constitit laus, & fama, medicamentum hoc commune habuit fatum cum mendaciis, quae eundo per ora hominum crescunt, quippe ab hoc benigne fuit susceptum, ab altero e contra iniquè habitum, cum forte uterque ab effectibus abrepti infidum tulerint judicium. Dicendum itaque quod res est. Nempe ambabus largimur manibus, ex auro & appropriato menstruo potabilem parari posse medicinam magnarum in morbis curandis virium. Et vel unicum illud Francisci Antonii Londinensis Aurum potabile, cujus fama ex Anglia per universum divulgata est orbem, & non ita pridem cura Alberti Othonis Fabri Medici regii revixit, omnem dubitantibus excutiet scrupulum; cum ipsa omnium rerum magistra experientia illud tot successibus fortunatis aeternitati consecrarit. Sed haec aliaque scopum non feriunt, cum tale aurum potabile imaginarium quid sit, in eo enim cardo rei vertitur, an aurum in oleum, seu fluidum corpus ita redigi possit, ut sola extracta anima, nec calx, nec sulphur in verum aurum reduci possit. Id quod constanter negamus, & omnes istos laterem lavare contendimus, qui id

tentare volunt, quicquid etiam nobis in contrarium objiciant creduli quidam chymici: est enim de natura auri, ut ratione sui sulphuris sit indestructibile, & quocunque etiam vexetur modo, semper ad pristinam artificis manu reduci possit formam.

§. XV. Plura quidem fateor hic in contrarium objici solent argumenta, quae tamen ceu plumbea tela facile inverti possunt. unicum restat celeberrimi Langelotte inventum, nuper inter praetermissa in rebus chymicis collegia Naturae curiosorum communicatum, quod plus roboris in propugnando auro potabili prae se ferre videtur. Verba doctissimi hujus viri ita se habent. Ad tritum, dicit, me nunc converto, pharmacopaeis quidem satis usitatum, non item chymicis, quibus paradoxon forsan videbitur, quod eum tantis laudibus evehem, dicamque eo solo miranda posse in chymia patrari. Perfacile vero omnem eum assensurum, mihi confido, qui modo in sequentes duas operationes oculum animumque intenderit, quarum utriusque experimentum in laboratorio nostro factum. Mirum equidem, & id quoque primitus nobis accidit, aurum, fixissimum illud, ut chymicorum more loquar, corpus tritus imperio se subdere, quod alibi nec ignis, extremo mundi tyranno, nec aliis fortissimis quibusve menstruis cedit, cessit tamen ei, uti his oculis vidimus, verum adhibito instrumento singulari, cui ob mirandum hunc usum molae philosophicae nomen indidimus, cujusque structuram eo accuratius hic delineandam curavimus, quoniam omnis hujus operationis momentum ab ea dependet. Aurum itaque foliatum q. v. in minimas particulas conscissum, mortario vitreo densissimo inditur, inque eo charta tantum tecto, ne pulvis vel aliud quid incidere queat, noctes atque dies continua molae agitatione tamdiu teritur, usque dum in pulverem subnigrum convertatur: cui tritus ut plurimum 14. dies insumendi sunt. Dein pulvis hic retortulae non nimis profundae sed planae, quales Anglicae esse solent, immissus, igne arenae per gradus, eoque tandem fortissimo pellitur, & sic stillabit paucas quidem, sed rubicundissimas guttulas, quae vel per se cum spiritu vini tartarisato digestae, verum exhibent aurum potabile, non fucatum, vel ulla alia peregrina qualitate infectum. Residuo (quod ipsum quoque facile tritu poteramus resolvere) acetum nostrum philosophicum ex viridi aeris, & sulphure cum spiritu in longa digestione confecto, adfudimus, & sic iterum rubicundam tincturam accepimus magnarum itidem virium. Paucissimum quod superfuit, beneficio boracis in corpus reduximus, sed pondus ei debitum defuit. Rudis utique primo aspectu videtur operatio haec, quaeque multum saltem temporis, & laboris requirit, verum in recessu mirabilis plane est, a mirabili illo sale aëris unice solvente catholico adjuta. Huc usque praelaudatus Dn. Langelotte, cujus inventum grave negativae sententiae circa auri potabilis existentiam inflixit vulnus. Liceat autem mihi exercitii gratia quaedam movere dubia. 1. videtur oleum istud nil aliud esse, quam sal aëris in fluorem redactum, quod forte quasdam auri particulas secum abripuit, ut & hae alembicum transcenderint. Retulit mihi amicus, se non ita pridem retortam figulinam aëri nebuloso diutus expositam violento commisisse igni, eamque liquorem rubicundum in vas recipiens eructasse, quem haud inepte oleum philosophorum vocabat. 2. Quum aër privatus in laboratoriis multis salibus impraegnatus sit, facile aliis sese insinuare poterunt comporibus, si horum compages laxetur, hinc vasa polita brevi etiam temporis spatio in laboratoriis maculis tinguntur, imo eroduntur. 3. Praesupponit vir praelaudatus, mercurium aethereum aëri inexistentem ab auro attrahi ob magnetismum, quem magnetismum recentiores inter non entia merito referunt, quod talis attractio a prudentioribus intelligi nequeat. 4. Dicit in praefatione in experimenta tilemanniana posse in locum tritus substitui sal tartari probe depuratum, concentratum & sale catholico impraegnatum, quo aurum pari successu reclu-

recludatur, sed cum talis tinctura, pro tinctura salis potius, quam solis habeatur, quidni simile de priori ferre licebit judicium? Quae omnia in eo dicuntur animo, quod forte inficias ire velim, tincturam tot tantisque in curandis morbis pollere viribus, sed potius ut evincam illam non esse centralem auri solutionem. Interim semper ad ipsum attendendum erit menstruum, quorum tot fere recensentur, quot auri potabilis prostant processus. Sunt enim qui solutionem instituunt in via humida per spiritus corrosivos v. g. salis, nitri: &c. Alia in via sicca per amalgamationem cum mercurio, vel caementationem cum salibus id tentant. Multi insipidum quoddam jactant menstruum ex rore majali, nive, aqua tonitruali, vel etiam spiritu mundi paratum, sed & hic dubitatur a sagacioribus, an ejus modi fontes, e quibus universalia menstrua hauriri possint, ullibi in rerum natura scaturiant.

XV. Quamvis autem usum externum superius etiam commendaverim, non possum tamen non, quin hic adjiciam, & auro suam in curandis scrophulis, & cancrosis affectibus constare laudem, de quo vide ephem. N. C. Ego aurum foliatum prius in mortario pistillo plumbeo cum emplastro saturnino subactum, paucos ante menses adhibui in cancro exulcerato mammae sinistrae, successu usque adeo prospero, ut dissipato tumore scirrhoso reliquum cicatrisari posse nunc appareat, & vel ex hoc solo remedio externo salutem sibi promittat urbis nostrae civis, si non primarius, saltem pietate, & sinceritate animi nemini secundus. Admodum quoque conducit illis, qui mercurialibus imprudentius usi sunt, si vel in globulos redactum deglutiatur, vel saltem in ore detineatur, videbis enim illud tandem albicante obduci colore, quo atomis mercurialibus omnes corporis regiones permeantibus acceptum ferendum.

XVI. Sed aurem nobis vellicat famosus philosophorum lapis, de cujus confectione, & metallorum transmutatione quaedam dicenda veniunt, priusquam colophonem huic imponamus differtationi: ut autem nebulas has eo alacrius discutere possimus, notandum est, nos per lapidem philosophorum intelligere tincturam universalem, ita meteorisatam, ut super metalla ignobiliora projecta, ea fulminis instar absque omni sensibili corrosione pervadat, & ramenta ipsorum ita disponat, ut pondere juxta ac colore optimo aequivaleant auro: Egregium profecto artificium omnes instar blandientis scorti invitans, paucos admittens: dignum caeteroquin studium, in quo ingenium exerceamus, cum labores, & sumptus cum foenore compenset, plusque afferre possit lucri, quam omnes nostrae distinctiones, argutiae, & syllogismi, cujuscunque etiam fuerint figurae, quibus horas fallere solemus: hoc unicum argumentum meretur, ut pro hoc lapide acquirendo omnem moveamus lapidem, imo omnes abjiciamus libros, quibus evolvendis ita quandoque insudamus, ut lapidem quidem acquiramus non philosophorum, sed renum, & tincturam universalem accipiamus, matulam, non metalla, tingentem & crusta tophacea investientem. Sed nullus dubito, quin jam salivam tibi moverim, ut scire desideres, ubi degat rara haec avis. Ita enim est, amice, suavia haec de philosophorum lapide insomnia omnium fere occuparunt animos, ut qui hodie negare velit metallorum tsansmutationem, habeatur indoctior; hinc nec ego hunc lapidem inter non entia referre audeo quamvis non desint rationes, suadentes ejus confectionem extra cerebri pomoeria omni carere fundamento: ne forte idem responsum feram, quod Pontifex tulit a Fratre Ferrario. Alterum, dicit, sancte Pater, quod attinet argumentum, pace tua respondeo. Non est verum. Nam quis inficiabitur fuisse qui artem hanc calluerint? Sed nancisci praeceptorem ingenuum, reperire Oedipum, qui in hermetica hac apocalypsi te dignetur solvere sigillum, & aperire librum, hoc opus hic labor est. Quis quaeso extricabit se e tot labyrinthis destitutus filo Ariadnaeo? cum ipsa praecepta vel in mille sensus torqueri possint.

Quis impervestigabilem hanc teret viam, cum vel ipse philaletha nesciat ad Regis palatium introitum? Bono itaque esto animo, ostendam in quo negocii hujus cardo vertatur, quod totum eo recidit, an metalla in radice conveniant, & ex uno eodemque semine metallico, ob digestionis mistionis, & maturationis defectum, quandoque in vilius, & ignobilius terrae metallicae maritato efflorescente metallum ortum suum thahant, quem defectum tempus edax rerum compensare possit, ut ignobiliora etiam metalla tandem in perfectiora abeant, vel artis chymicae beneficio in melius mutari possint? an vero ipsa metalla a Deo olim creata nunc numero, & pondere talia adhuc prostent citra ullum vel incrementum vel decrementum? Verisimile quippe est, germinandi vim solis vegetabilibus, & animalibus sancitam esse, cum nec lapides nec metalla sui simile producant, sed avulsa a compage iterum hinc inde coalescant, & ad pristinum redeant ingenium. Interim alchymistae suscipiunt prioris sententiae patrocinium, supponentes semen metallicum seu materiam metallorum proximam esse unctuosum humidum cum obvio sulphure & sale, praevia digestione & maturatione, in perfectum concrescens aurum, quod ignis fatui vel errantis genii instar triplex oberrare soleat regnum, & in omnibus corporibus, ipsis etiam excrementis non exceptis, reperiatur. Quodque concentratum tincturam largiatur omnia metalla in aurum transmutantem. Verum multi quoque sunt qui imaginarias has rident divitias, aliorum reales opes evertentes, ita enim fraudulentorum hominum turba crevit, ut nuspiam amplius tuta sit fides: promittunt artis hujus periti vel quasi, montes aureos, cum ipsi ne obulum etiam habeant, quo restim emere queant, quia fumum vendunt, digni ut cum Alexandri Severi impostore fumo perirent. Ab his fumi vendulis cave tibi serio, & si artem hanc addiscere, & per ignem fieri velis adeptus, noli primam lapidis materiam in vulgari quaerere auro, quod ita cadaverisatum est, ut nunquam reviviscere, & germinare possit, quin potius eligas pro laborum tuorum objecto magnesiam, sive terram metallicam rubram, quae in fodinis reperitur, & vide, num per benedictionem, & gratiam divinam tincturam elicere possis, quae digesta cum mercurio philosophorum eum brevi convertat in aurum. Haec rectissima (crede mihi) est semita, qua si incedes, nunquam errabis, vel si voto tuo excidas, fiet id sine magna expensarum jactura. Ego omnium fere legi & relegi scripta, & multum fateor viris his debeo, qui totum nunc possideo arcanum, & quod alii quaerunt inveni: dicam id tibi in aurem. Inter centum artifices sunt nonaginta novem, qui vel alios deceperunt, vel ab aliis decepti sunt, centesimum quem ingenuum, & candidum esse dicunt quaerimus omnes, nescii adhuc quae ipsum terra alat. Discas itaque meo exemplo cautius mercari. Hic niger est, hunc tu Romane caveto. Sin monitis meis auscultare recuses, ingeminabis aliquando illud ex Propheta. *Comederunt alieni robur meum*. Gerunt ad unum fere omnes hos characteres in fronte. Sch Mo Mo, & sub spe lucri credulos inani lactant spe, quam indies protrahere student, ut aut Rex, aut Asinus interim moriatur, aut Praeceptor. Nam profitentur artem sine arte, cujus principium est mentiri, medium laborare, finis mendicare.

Tantum.

DI-

DISPUTATIO XXXIV.
DE ARGENTO ET CUPRO.

RESPONDENTE

WILHELMO HULDERICO Valdeschmiedt

HANOVIENSI.

Q. D. B. V.

Argentum.

THES. I.

Quamvis priori in dissertatione multis ad palatum, & salivam locuti simus, fuere tamen, quibus bilem movit, quod metallorum transmutationem, & famosum philosophorum lapidem, rem extra omnem dubitationis aleam positam, & antiqua fide canonisatam, in jus vocaverimus. Verum enim vero! cum ingenii nostri cymba non cuivis aurae populi velificari soleat, qui in philosophico hoc aequore navigantes, nullam aliam quam sanae rationis pyxidem nauticam sequimur, nec unquam quid pro vero asserere audemus, nisi quod jam clare & distincte perceperimus; non nescii, omnia illa quae apud Historicos, speciosis sub titulis, de arcani hujus possessoribus leguntur, individuum vagum tangere, & de praeteritis saltem, de quibus audacius mentiri licet, loqui; nullibi enim dicitur neque legitur, N.N. arcani hujus esse possessorem: hinc haud peccasse confidimus, quod dubia quaedam circa hujus existentiam (non circa possibilitatem) moverimus, vocantes illud artem sine arte: cujus scire fit pars cum parte: medium strenue mentiri: finis medicatum ire, vel in patibulo superbire. Itaque, ut quem coepimus cursum, teneamus, placet impraesentiarum inquirere in naturam, & indolem argenti, & cupri: persuasum habentes, hanc dissertationem pretio priori non fore inferiorem.

II. Reperitur autem argentum in superiori telluris regione, verum suum interiori terrae parti debet ortum, quam mere metallicam esse, supposuimus. Rarius tamen purum & nitidum effoditur, sed ut plurimum sub cortice marcasitae, glebae mineralis, vel lapidis pyritis sepultum jacet. Nisi quod subinde in Potosinis Americae montibus magna quaedam ejus frustra reperiantur, & tabulam quandam argenteam, naturae industria ita efformatam, in Saxoniae fodinis metallicis inventam fuisse, auctor sit Agricola. Veteres illud Lunam vocarunt, ob nescio quam sympathiam, quam cum Luna coelesti habere credebatur: cui forte sententiae patrocinari posset Albini observatio, scribentis: argentum semper copiosius repertum fuisse in sodinis Schnebergensibus, sub Saturni in signum cancri ingressu luna accedente. Ast communis hic est hominum lapsus, ut quando duo phoenomena uno eodemque appareant tempore, statim se abripi patiantur, ut credant, unum necessario alterius debere esse caussam, quod tamen, quam fallax sit, nemini ad omnes circumstantias attendenti poterit esse in occulto. Major difficultas exoritur circa argenti principia, quod alii aquam esse, cum auctore libri inscripti (nihil solidi & realis solo excepto titulo praeferentis) existimant: Alii ad tria illa chymicis laudata principia recurrunt, provocantes ad analysin igne, vel sale, magnis istis naturae arctitectonicae instrumentis, instituendam, quae sal, sulphur, & mercurium ob oculos ponet. Verum! haecquae post tales solutiones cernuntur, revera sub peregrino apparent schematismo, novique concreti nomen

me-

merentur, nec unquam digna sunt, quae principiorum titulis donentur, ut vel propterea persuasum habeam, neminem hactenus aliquid de substantia argenti, vel auri abradere potuisse, nomine salis, sulphuris, vel mercurii dignum: usque adeo profundae ignorantiae tenebris immersa est vexata haec de metallorum principiis doctrina.

III. Priusquam argentum in usum vocetur medicum, necesse est, ut ope saturni in catino, depuretur, qui labor eo majorem requirit industriam, quo intimius scoriae non solum, sed ramenta cupri, ipsi argento associata sunt, ut vix ac nec vix quidem ad unum omnia divelli possint; hinc est, quare medicamenta inde parata quandoque enormes vomitus, & convulsiones membranarum sensilium inprimis viis inducant, quibus cuprum infestum esse etiam tyronibus notum est. Eundem in finem fulmine, & folle manuali ita excoquendum est, quo omnia heterogenea, quae in sinu gerit, eructet: quod usque adeo difficile est, ut argentum purum, nullo amplius colore menstrua tingens, merito inter rariora nomen sibi vendicet, quale celeberrimus Borrichius inter curiosa reservat. Porro alii argentum depurandi adhuc sunt modi, quorum unus ope mercurii peragitur, alter cum aqua forti instituitur: circa priorem notandum est, eum in cassum institui, si vitriolum Lunae fuerit admistum, cum illud Mercurio nunquam auscultare soleat, hinc bene monet praefatus *Dn. Borrichius*, ut omne vitriolum prius aqua elutrietur, qua facilius & vilius, quam nescio quo menstruo, separari potest. Posterior spectat argenti ab auro separationem, quam sola aqua forti hoc intactum relinquente obtinebis; sed cum nihilominus sic aliis commistum maneat metallis, solutioni, per inclinationem decantatae, injicitur cuprum, quo Luna praecipitetur: huic decantatae solutioni adde Martem, & praecipitabitur Venus: hic tandem ope salis tartari vel lapidis calaminaris praeceps ibit. Lapis autem calaminaris praecipitabitur liquore nitri fixi.

IV. Circa caussam harum praecipitationum (quod in transitu) Auctores varias eunt in sententias, dum alii eam in soluto, alii in menstruo solvente, alii in praecipitante quaerant. Nos nihil aliud his in laboribus contingere existimamus, quam quandam totius liquoris modificationem, quam in pororum, & texturae mutatione consistere arbitramur. Facit haec, ut praecipitandum sui juris factum, & augmentum ratione ponderis nactum, sponte sua ruat deorsum. Quum enim salia acida, ipsa ramenta intra amplexus suos sustinentia ex novi corporis injectione plus dilatentur, & ob configurationis similitudinem novi hujus corporis poros ingrediantur, soluta antea corpuscula, priori nunc mutata liquoris textura, nativa sua gravitate menstruum deserunt, & fundum petunt. Idem contingit, si praecipitatio cum alcali, v. g. sale tartari instituatur, quippe hoc poros salium acidorum occludendo & ratione aetheris cum illis ebulliendo, caetera ramenta metallica intra poros salium acidorum natantia fundum versus deturbat: de quibus viros undiquaque celeberrimos Boyle, Bohn & Maëts consule.

V. Coeterum plures sunt qualitates, quas tum prisci tum moderni argento tribuunt, inter quas praecipua haec est, quod virtutem cerebrum juxta ac cor confortandi obtineat, quam ceu concentratam, magisque exaltatam in tinctura Lunae, multis, encomiis depraedicant; qnae proinde inter medicamenta ex argento praeparanda agmen ducet. Et profecto si unquam mens humana hallucinata est in determinandis virtutibus specificis, idcirca Lunae tincturam factum esse suspicor, quando quidem coeruleum illum colorem soli argento in acceptis tulerunt, non attendentes, & hunc, & viridem, signum quasi pathognomonicum esse venereae virulentiae, qua lue infectum esse argentum vel ex monetis legi potest: Luna enim virginea, & non adulterata nullum unquam menstruo largitur colorem, sed illud limpidum, & diaphanum inde emergit, ut vel propterea ipsa haec decan-

decantata tinctura male & mihi & aliis audiat, digna quae censorea castigetur virgula. Placet nobis excellentissimi Bohnii hac de re judicium. Tinctura lunae, dicit, nihil incertius, cum sibi relicta luna, id est, a cupro non adulterata, ac post habitis menstruis suspectis nihil coloris possideat, sed in solutionem limpidam, & aqueam plane abeat. Huic calculum adjicit celeberrimus Borrichius, cordate pronuncians, coeruleum illum colorem, qui ubique etiam in pharmacopoliis blanditur oculis, non esse veram argenti sobolem, sed admistorum: usque adeo difficilis impetratu est vera lunae tinctura, ut judice Rolfincio hactenus nulla genuina visa sit. Parari autem vulgo solet cum aceto, spir. sal. armon. spir. vini sale microcosmic. volatil. exaltato, tartaro vitriolato, flor. sulph. sal. armon. &c. quas tamen ad unum omnes seu spurias rejicimus, quum color ille nequaquam ab argento sit, cujus ponderi ne vel tantillum decedit, & quocunque etiam tandem fuerit solutum modo, in argentum, ope salium, Mercurii, vel Saturni, qui hoc in negocio omne fert punctum, reduci potest.

Sed unde novus ille, quaeris, color? ℞. a toto composito, quod a soluto cupro, & menstruo talem nanciscitur texturam, ut radii solares seu sphaerulae aethereae transeuntes eandem acquirant determinationem atque modificationem, tum motus sui in directum, tum motus sui circa suos axes, qualem corporibus coeruleo colore superbientibus adscribere solemus. Huc spectant generales notae super omnia praecipitata. 1. Quaecunque sale aliquo corroduntur & imminuuntur, qualitates pristinas pro parte immutant, & alias pro ratione salis adjuncti acquirunt. 2. Salia corrodentia immutant etiam subjectum ratione volatilitatis vel fixitatis. Sic metalla acido aliquo soluta magis volatilia redduntur, & nunquam in metallum pristinae naturae abirent, nisi denuo a sale contrario alkalico ab acidis illis particulis liberarentur. 3. Qualitas in totum immutatur a salibus, ubi diversam illis particulis figuram inducunt. E quibus abunde satis elucet, quantum & solvens & solvendum a pristino suo recedant statu, ut nec solvens tantum, nec solutum tantum, sed utrumque conjunctis viribus, ut caeteras qualitates, ita & colorem suppeditent.

VII. Interea tamen famosi hujus medicamenti patrocinium suscipere videtur experientia, rerum omnium magistra: praeterquam enim quod coerulea illa tinctura in adultorum affectibus capitis, & infantum spasmodicis motibus saepius auspicato successu exhibeatur, cujus vel ipsi testes esse possumus, etiam multum adferet solatii caeteris aegrotantibus, humores vitiosos in primis viis restagnantes, concentrando, praecipitando & quovis modo corrigendo. Verum quis non videt committi sic fallaciam non caussae ut caussae? Tinctura Veneris est quae nobis haec ocia fecit, quod male argento acceptum fertur. Dein virtus antiepileptica si quae ipsi inest, non est ab argento, sed a toto composito, cui hae porrigendae fasces.

VIII. Alterum quod ex argento parari solet remedium insignitur bezoardicum lunare. Nempe luna solvitur cum spiritu nitri, deinde huic solutioni affunditur butyri antimonii cum eodem spiritu facta solutio, abstractoque in arenae igne omni menstruo, habebis in fundo massam viridescentem, sive lunae vitriolum, hoc est argentum a salibus corrosum. Haec massa denuo ab igne torquetur, & praevia semper solutione cum spiritu nitri eo usque vexatur, donec omnia spicula salina, quae imbibit, vel reddiderit, vel ita intra poros calcis occultaverit, ut aethere suo massam sanguineam circa tumultum agitare, & sudores movere possint. Omnis enim in eo locandus est labor, ut rigida illa ramenta, vi corrosiva contaminata, crebrioraque affusione elutrientur: & potentiori adhibito igne in aliam, dum a calore agitata metalli parietibus intra poros cum impetu alliduntur, torqueantur figuram. Prodest epilepticis, maniacis & febri Ungarica correptis

ptis a scrup. sem. ad drach. sem. exhibitum. Puerperis autem, & infantibus, omnibusque quibus systema nervinum admodum sensile est, nunquam vel saltem magna cum circumspectione dari debet.

IX. Eodem in labore comparari possunt crystalli lunae, quae sunt compositum ex Venere, (vel si mavis argento) & nitro, medicamentum magnae in hydrope efficaciae, quod ad aliquot grana in forma pilulari datum aquas in abdominis cavitate fluctuantes, vel subter cutem restagnantes, potenter educit. Processum integrum vide apud Salam. Has crystallos illustris Boyle arcana quadam encheirisi in insigne mutavit diaphoreticum, id quod acidum invertendo, in aliam figuram contorquendo, vel solidiori cortice involvendo, factum esse arbitramur: quum vel furibundus Mercurius vitae dictus ope amalgamationis cum metallis ita cicurari possit, ut in morbis chronicis curandis magnae exspectationis fiat remedium.

X. Ab his parum differre videtur lapis infernalis, seu causticum perpetuum, quod pisi magnitudine, vel mille fonticulis excitandis sufficit. Siquidem ex iisdem componitur ingredientibus, nisi quod in modo componendi aliqua intercedat diversitas, quae facit ut hoc potentius, & fortius vim suam corrodentem exserat. Idem ex cupro parari posse Auctor est Lemery, minus tamen constans, & diuturnum, & in aëre facile liquescens. Conducit quoque in excrescentiis carnis consumendis, & fistulis dilatandis.

XI Agmen tandem claudit arbor Dianae sive philosophica, quae admiranda sua pulchritudine oculis blanditur, utut in re medica nullius sit usus. Paratur ex argento spiritu nitri soluto. Huic affunditur aqua mercurialis, ita ut vitrum ad collum usque impleatur: ponantur in loco frigido per 40. dies, & explicabit se sal nitri in fruticem, ut jucundo spectaculo cernere possis ramosam arborem, cum globulis mercurialibus fructus mentientibus. Non putandum est, latere hoc in composito vim quandam plasticam, vel formam aliquam substantialem architectonicam, omnia pro nutu suo ita disponentem: nitrum est, quod ita ludit, & pro varietate occursus aquae, vel aëris, sub vario inter crystallisandum apparet schematismo, hinc videmus in potestate artificis situm esse, ut pro ratione majoris vel minoris quantitatis aquae, qua Mercurius excipitur, ipsam configurationem aliter, atque aliter modificare possit. Ipsa equidem salia, ramentis metallicis commista, inter crystallisandum varias quandoque induunt figuras. Sic Borrichius Regi suo ostendit salem viridem, evaporatae tincturae solis, solo aceti communis phlegmate sine igne paratae, residuum, quod deorsum corporeos sparsit radios, sed longos & tenuissimos, orientis solis radiis non dissimiles, nisi quod albicantes fuerint, sursum autem virides exporrexit ramos graminei coloris: plura vide apud ipsum Auctorem de metallorum dissolutione rara. Tantum de argento.

Venus

XII. Cuprum, ob venustatem & colorem flavescentem vel rutilantem Venus dictum, est metallum sui generis, ductile & fusile, intra viscera sua aliorum metallorum praesertim solis, lunae, vel ferri particulas recondens, caeteroquin nunquam in aliud metallum transmutabile.

XIII. Natura sua est acre, nauseosum, subvertens ventriculum, & intestina fibrasque nerveas vellicans, ut rarius & non nisi correctum in medicum veniat usum. Praeclare scripsit Sala aphor. 37. quod cuprum quocunque etiam modo paratum intus sumere religio sit, & quod malignitatem quandam habeat, quae difficulter tolli possit. Quoniam non solum variae scoriae metallicae ipsi adhaerent, sed quia a quovis occurente acido rosum tam facile in vitriolum vel viride aeris mutatur itaque locum hic habet aureum illud monitum. Nec tumide, nec timide! Si enim virulentum hoc metallum periti artificis laboribus fuerit submissum, suas in arte medica merebitur laudes, magnarum virium in curandis morbis tum in-

ternis tum externis futurum remedium. Id quod magnus novit Helmontius, scribens: nihil aeque victoriose in humidum radicale agere atque primum ens cupri.

XIV. Non possumus stare figmentis veterum, qui ob anilem forte fabulam illud utero, & partibus generationi dicatis, potissimum suas consecrasse qualitates, persuasum habuere: quum appropriatae, & nescio qua affinitate conjunctae huic potius visceri, quam alii potestates medicaminum, imaginaria sua possessione nunc exutae, & de ponte dejectae sint. Omnia enim quae praestant haec ex cupro parata medicamenta, vel inprimas redundant vias, vel in sanguinem exporriguntur, ut partes solidae non nisi consequenter aliquod inde levamen foenerari possint.

XV. Primum in remediorum internorum ordine meretur locum ens Veneris, ab illustri Boyle in phylosophia experimentali, lectu profecto dignissima, quod admiranda nobis revelet secreta tum physica tum medica, commendatum. Ejus compositionem ingreditur vitriolum sive magisterium Veneris, vel juxta quosdam, caput mortuum Veneris: vitriolum paratur juxta Febure ex Venere, & spiritu salis armoniaci acido, deinde volatile hoc magisterium sublimatur cum anatica portione salis armoniaci: flores collecti, qui non tam venereae, quam armoniacalis videntur esse prosapiae, vocantur primum ens Veneris medicamentum quod vix sui habet simile in demulcendis vigiliis ex cruditate ventriculi ortis. Infantum rachitide curanda omne fert punctum a gr. i. ad vi. datum. Corrigit omne acido-austerum in primis viis, & liquorem gastricum ad aequilibrium reducit. In inveterata gonorrhoea caeteris omnibus palmam facit dubiam. Verbo! omnia illa quoque praestare videtur, quae arcanum duplicatum alias efficere solet. Vires ejus multis extollit encomiis Majovv. Inter remedia, inquit, quae in hoc affectu (rachitide) probantur, celebratissimum est illud a nob. D. Boyle inventum, cui nomen est ens Veneris. Componitur ex sale armoniaco & colcothare edulcorato, bis aut ter simul sublimatis. Dos. gr. iii. ad vi. in convenienti liquore hora somni. Medicamenti istius efficaciam a sale armoniaco praecipue oriri existimo, utpote quod ob summam partium suarum tenuitatem ad obstructiones, morbum hunc efficientes tollendas, maxime idoneum est. Et utique probabile est, flores salis armoniaci aeque, aut etiam magis, in hoc affectu profecturos esse: quippe dum sal armoniacum una cum colcothare sublimatur, sulphur quoddam narcoticum colcotharis, indolis terreae, aut cupreae, una cum sale armoniaco in altum ascendit. Sulphur autem istiusmodi morbo huic non minus convenire videtur.

XVI. Alterum, quod sequitur, est spiritus Veneris, tanti a Zvvelffero aestimatus, aut eum in secretis habuerit; & liquoris Alcahest nomine donavit, apud quem genuinam ejus vide descriptionem. In ejus praeparatione patiens esto, & ignem per gradus prudenter, & pedentim augeto, alias vasa magna vi rumpuntur. Laudatur in hypochondriaca, quartana, epilepsia, melancholia, ob vim suam incisivam, & aperitivam. Magna de spiritus hujus indole, & naturalis orta fuit inter Zvvelfferum, & Tachenium controversia: quum enim ille ejus virtutes ad coelum usque extolleret, hic demonstrare conatus fuit, eum nihil aliud esse, quam aceti spiritum, neque vires ejus superare posse. Verum regessit Zvvelfferus, aeruginem in gallia non parari cum aceto, sed cum recrementis uvarum & urina, adeoque debere de alkali volatili participare. Quod alter cachinnis excipit & in clave medicinae hippocraticae solidissimis ostendit rationibus, eum ab aceti spiritu nequaquam differre, & ambo in effectibus convenire, nisi quod spiritus Veneris, vulgari spiritu aceti magis dephlegmatus, & volatilis, adeoque activus sit. Uterque fateor suos habuit patronos, quod si tamen rationes utrinque allatas aequa trutinem lance, Tachenio assentiendum esse existimo. Sed nolo litem hanc jam meam facere, hoc saltem negari nequit, spiritum hunc usque adeo penetrantem esse, ut

magisteria solubilia juxta methodum Zvvelfferianam parata vix ita dulcificari possint, ut non aliquid de acido hujus spiritus in recessu detineant, unde non amplius ea gaudent existimatione ob latentis corrosivi salis suspicionem, quali quidem ob gratam novitatem primo ab omnibus excipiebantur.

XVII. Ex eodem spiritu componitur celebratus ille spiritus asthmaticus D. Michaelis, qui cum gummi ammoniaco, & sulphure prudenti sub ignis regimine destillatur; & ad drach. i. vel drach. ii. cum aliis aquis pectoralibus miscetur aegrotanti per intervalla propinandus. De quo Ettmullerus in sua praxi cap. de respirationis vitiis.

XVIII. Caput mortuum in fundo relictum denuo calcinatum abit in crocum, qui ob vim consolidandi, & ulcerosum acre corrigendi haud postremum inter vulneraria obtinet locum: hunc alii per calcinationem cementatoriam parare solent, ut ingrediatur famosum emplastrum Oppodeldoch dictum. Vide Schroderum.

XIX. Tertium in ordine occupat locum arcanum contra vermes Timaei a Guldenklee, cujus descriptionem communicavit in epistolis. Dicam tibi ingenue, quid mihi contigerit. Paravi illud juxta ejus descriptionem, verum nunquam potui vim emeticam, qua vitriolum Veneris pollet, adimere, quicquid etiam frequentioribus lotionibus, & exsiccationibus fuerim molitus. Quod si te fortuna aequiori aspexerit oculo, equidem non invidebo, qui spe mea frustratus arcanum hoc nunquam iterum in usum medicum vocaturus sum.

XX. Hujus vestigia legit tinctura Veneris celebris in Belgio Practici Helvetii, qua in infantum atrophia cum abdominis intumescentia, malo frequentissime in praxi occurente, nec non in epilepsia saepius mira praestitit. Prodest quoque in mensium suppressione, & gonorrhoea inveterata, & virulenta. Qui persuasum habent, se ejus compositionem explorasse, putant esse solutionem vitrioli Veneris prius cum sale armoniaco fusi, dein cum alcohol vini digesti datur a gutt. i. ad vi. vel xii. in aqua ceras. nigr. antihectica, pulegii, graminis, vel alio aliquo appropriato vehiculo.

XXI. Paria si non plura, minori tamen cum periculo in affectibus externis adhibenda, remedia nobis quoque promittit cuprum, dum in aeruginem sive aes viride, & in vitriolum mutatur. Illud notissimum chirurgis unguentum Aegyptiacum dictum ingreditur, & in ulceribus putridis, excrescentiis gingivarum earundemque putredine, haud exiguam spondet opem. Hoc constituit famosum illum pulverem sympatheticum, qui olim omnium oculos in se convertit, nunc autem, mirum quantum! ab auctoritate pristina declinavit. Verum itaque subtrahendum, & objectum glaucoma discutiendum est, quo imaginaria haec vis sympathetica tenues abeat in auras, aura qua hactenus excepta fuit indigna. Sciendum enim est, naturam vulnera curare, non Medicum, qui saltem impedimenta tollit, dum aliena e vulnere eximit, sordes abstergit, labia conducit, & aëris accessum prohibet. Quibus probe observatis totum negocium pro voto succedit, & vulnus brevi coalescit. Sed si attendamus ad circumstantias, circa pulveris sympathetici usum religiose observandas, plures superstitionem sapiunt, pro forma, & ut imaginationi pondus addant, excogitatae. Quippe vulneri curando hoc uncum sufficit, si vino prius elotum panno mundo obtegatur. Caetera sunt adiaphora, credat ea qui velit, quum nec prosint, nec noceant. Sed mundus regitur opinionibus, praesertim in re medica, ubi magna vis inest verbis, vestibus, herbis & lapidibus: & omnis homo extra professionem suam quid agens fit admirabilis. Sapienti sat!

XXII. Egregium quoque ophtalmicum describitur apud Salam ex cupri flavi bracteati ung. iii. & vino malvatico. Stent plures per dies in digestione, donec li-

quor evadat viridis. Prodest in albugine, suffusione & maculis. Ejusdem notae est aqua viridis ex aerugine, nec non saphirea ex calce viva, sale armoniaco, & cupro apud Schroderum. Sed omnes ob mordacitatem parca manu sunt instillandae. Solent nostrates aquam scoriarum cupri, sive in qua cuprum exstinctum est, commendare in scabie, qua manus scabiosas saepius lavare jubent ad cutem detergendam, & poros restituendos. Tandem elegantissima adhuc parari potest tinctura in vase aeneo ex aqua calcis vivae cum sale armoniaco & vitriolo, vi pollens sedativa, & anodyna in arthritide, inflammationibus, & gangraenae metu, foris linteis imponenda: inservit praeterea Thermoscopiis, ut & Anatomicis, pro demonstrandis & discernendis vasis capillaribus viscerum, cerebri, hepatis, & renum, per syringam injicienda, praesertim si cum spiritu urinae praeparetur, negocio huic magis apto. Ejusdem elegantiae tinctura paratur etiam per destillationem, iisdem cum priori praedita qualitatibus. Color hic per varias metamorphoses mutari potest nunc in album, mox iterum in coeruleum, tandem in viridem, prout videlidet nunc ol. tartari per deliq. nunc spir. vitrioli, nunc urinae vel fuliginis spiritum, instillaveris.

XXIII. Antequam autem hinc abeam, tribus saltem verbis agam de Veneris dealbatione, quae in superficiei mutatione saltem consistit: quum intus nativum suum retineat colorem. Instituitur autem vel in igne aperto per modum quendam fusionis cum arsenico, & Mercurio sublimato. Vel per coctionem, quae de albatio rectius deargentatio vocatur, & hunc in modum instituitur ℞. Fol. lunae unc. i. calcinentur in crucibulo cum sale communi. Hujus pulveris ℞. p. iii. aqu. pluvial. q. s. coquantur omnia simul. Tunc cuprum, ignitione & sabulo ab omni immunditie liberatum, immitte, coquantur iterum ad horam dimidiam, & deargentabitur cuprum. Salia enim ob aetheris motum quaquaversus vibrata impetum faciunt in Venerem, quae praecipitando lunam, eam undiquaque superficie sua excipit, & ejus albam induit vestem. Sin aureum expectes colorem ℞. cupri fusi lib. i. adde tantum sulphuris, usque totum deflagraverit. Hoc facto sume auripigmenti q. v. funde & in aceto per 24. vices extingue: jam fiat stratum supra stratum cum farina laterum, nitro, tartaro auripigmento, & cupro. Ordine probe observato exponantur omnia in crucibulo primo igni cementationis, deinde fusionis, & si recte processeris, habebis cuprum auratum in folia instar auri ductile, & extensibile. Boyle tentavit id mediante Zinco, certa quadam ratione rite cum cupro misto, quo illud aureo impraegnavit colore. Si praeter hos alios adhuc evolvere velis processus, lege part. X. & XVI. miscellaneorum D. Becheri, p. m. 567. & 517. Nunc manum de tabula!

DISPUTATIO XXXV.

DE POTU THEAE.

RESPONDENTE.

CHRISTIANO KURSNERO MARBURGENSI.

J. N. J.

Qua cura & solicitudine vani Japeti nepotes in res externas, viles quandoque ac frivolas, ferantur, quoque splendido apparatu, & indefesso studio, earundem durationem, etiam neglecta proprii corporis cura, saepius promoveant, tot improbi labores molimina testantur tota die. Tecta, aedibus imponuntur, ut con-

tra tempestatum impetus vindicentur: cubiculis valvae, foribus serae appenduntur, ne cuivis pateant: civitates aggeribus & moeniis muniuntur, ut extra telorum jactus jaceant: omnes denique rimae obserantur ne quid quod laedat, aut incommodet, illabatur atque subintret. Corpus vero nostrum, pulcherrimum coelestis architecturae exemplum, susque deque habemus, negligenter circumagimus, & variis gulae irritamentis, atque depascentibus voluptatibus, quo non capitalior hostis, dilacerandum (levitate inexcusabili) exponimus. Carnes sale condimus, & fumo vermibus inaccessam ac ingratam reddimus: carnem autem nostram tantum abest ut a corruptione, quo sponte ruit, servare velimus immunem, ut potius accersitis e longinquo, per mare, per terras auxiliis, eam acceleremus, & adjuvemus. Ipsius jumentis & brutis, quae tamen ad pastum, & ventrem projecta sunt, certum & naturae congruum praescribimus modum, ne nimio pastu morbis laxemus januam; & homo, divinum istud animal, omnis modi expers, se mancipat voluptatibus, earumque desideriis ad quaevis se pertrahi flagitia patitur: quibus denegatis, tam male se habet, ut amore potiundi quidlibet aut agere aut pati non vereatur, omnia sanae rationis, & medicinae consilia, & praecepta respuens aut eludens, ut cum Satyrico exclamare cogamur:

O *curas hominum, quantum est in rebus inane!*

Et quod magis, quoties comessando, potando, luxuriando malum accersere, ut jam morbis, cum vitae discrimine conjunctis, infestentur, tunc nescio qua improbitate, naturam ipsam accusare cum Gorgia Leontino non verentur, quod cervis & corniculis tam vivacem naturam concesserit, hominem autem ad inevitabiles morbos, totque casus tragicos, damnarit: imo culpam, ad intemperantiam exculpandam, in fatum nescio quod, transferre satagunt. Etsi enim ego non sim ex ordine illorum, qui cum Epicuri de grege porcis omnia casu metiuntur, neque apud me Stoicorum fatum locum habeat, tamen vix induci possum, ut credam, mediis promiscue uti licere, quibus vitam nostram conservare debemus. Etenim, si id verum esset, mehercule! omnia tum alimenta, tum vestimenta frustra adhiberentur. Quod si haec rite usurpata, sanitatem conservent, & vitam protrahant, certe male administrata, non possunt non iis noxe esse, & impedimento. Neque enim reperitur morbus, qui ita ex insidiis agat, ut aeger caussam antecendem ignoret, quin fateatur ultro, se, si hunc errorem non commisisset, sanum adhuc fore, & incolumem. Praeterea quum intemperantia, & multos morbos, & multos medicos, faciat, atque plures jugulentur voracitate, quam ense, quae si temperetur, quid clarius est, quam nos non solum tot aerumnis non subjectos fore, sed ipsam etiam vitam eo ipso sic reddi posse longaevam, & protrahi. Verum quum difficile sit, in omnibus sibi ita temperare posse, & medice vivere, ut non quandoque diaetae excedamus limites, succurram hic novo potus genere, quo impune uti licebit, etsi ob simplicitatem forte multis displicuerit, cujus elogia & virtutes ex sequentibus melius innotescent.

I. Ne sub obscuro nomine militemus, aut incerta sub tessera in arenam descendamus, operae pretium erit, pauca quaedam de ipso argumento introducere. Appellatur autem thea vel cha, nonnullis tsia, & describitur, quod nullibi terrarum, quantum quidem constat, nisi in Japoniae, Chinae & Chiam campis colatur, exsurgens ad ribesiorum, vel rosae Europeae molem & altitudinem. Caules & ramunculi totius fruticis a pede usque ad verticem perpetuis, & infinitis floribus, & foliis tenuibus, acuminatis, in ambitu crenatis, ornate vestiuntur. Quae ejusdem licet formae, diversae adeo sunt magnitudinis, ut quinque foliorum differentiae uni eidemque frutici adnatae appareant. Prima & maxima in inferioribus ramusculis, balsami hortensis foliis! milia existunt. His succedunt ea, quae secundae magnitudinis, & prioribus multo minora sunt, ut sic gradatim adscendentia quinquies

quies manifeste differant. Verum quantum haec folia sursum magnitudine decrescunt, tantum pretio accrescunt: quippe primae magnitudinis exsiccatorum, & praeparatorum libra valet quinque asses: secundae quinquaginta, tertiae vero quinque florenos: quartae quindecim, & quintae, & ultimae magnitudinis quinquaginta, imo subinde centum, & quinquaginta florenos valet, si rite praeparata fuerit. Flores porro fert thee albicantes, magnitudine, figura, colore rosae sylvestri Europeae, excepto odore, simillimos, quorum foliolis decidentibus umbilicus manet, ubi semen horum fruticum rotundum, & nigrum continetur rosarum instar, quod terrae commissum novas producit plantas triennii spatio, ex quarum foliis messis luculenta illis annuatim redit, etiam iis Japoniae locis, ubi gelu ac nix vigentaeque, ac apud nos. Ita ut sperandum sit, si semen capsulis inclusum, & contra aëris injurias munitum huc deferatur, ibidemque umbrosis, & fertilioribus terrae locis commendetur, feliciter quoque educari posse. Radices sunt fibrosae, & in minimas particulas dispersae circa terrae superficiem, nullius hactenus usus habitae. Ita ut sola hujus decantati fruticis praestantia in frondibus existat, quae vere Japonensi lectae atque in umbra exsiccatae ad quotidianas decoctiones reservantur. Plura hactenus nosse non licuit: sive id nobis inviderint Chinenses, sive ipsi nesciverint. Rogati enim de natura, figura & cultura hujus plantae, usque adeo frigide, & obscure responderunt, ut nihil solidi ac certi ad nostras has oras pervenire potuerit. Vide interim Pisonem.

II. Huic the, ceu pretiosissimo vitae Cimelio, omnes fere assurgunt Indi, atque ex eo saluberrimum parant potum, quem communi suffragio, ceu potentissimum morborum Statorem & vindicem, omnibus promiscue commendant, eoque non solum plus delectantur, quam Europoei vino & cerevisia, sed & majorem vim & virtutem, tum in sanitate conservanda, tum in vita prolonganda, adscribunt.

III. Enim vero quum vitae nostrae exordium, aeque ac progressus, dependeat a sanguinis fluiditate, ejusque per vasa in circulum motu, cibi autem tantum humidi erogare nequeant, quod fluiditati conservendae sufficeret, ipsa jubet necessitas, ut pro humectando, & diluendo cibo quandoque bibamus: quem in finem natura, provida mater, faucibus & palato sitis sensum indidit, quae moneat nos atque invitet ad potum assumendum. Est enim sitis nihil aliud, quam minor motus fibrillarum, antea motu tremulo agitatarum, id quod fit propter obstructionem glandularum salivalium, quorum poris inhaeret humor viscidus, & incongruus, obicem ponens lymphae, his ex rivulis scaturire solitae.

IV. Atque sic potus soli fluiditati inservit, ipsique sanguini pro vehiculo est, ut per minutissima etiam vascula alacriter trajici possit: quo ipso sitis fallitur, dum particulae viscidae, intra poros haerentes, nunc solutae, libere prodeunt, & in palati cavitatem jugiter depluunt. Hinc apparet, solam aquam omne hic ferre punctum, & utramque, quod dicitur, facere paginam, quod sua particularum tenuitate, & flexibilitate huic negocio, quam maxime conveniens sit, dum e contrario cerevisia, & vinum a scopo abludant, plures naturae inimica crassas, viscidas, & in motu segniores inferendo partes, ut ipsam sitim non tam compescant, quam augeant. Quod autem vinum, & cerevisiam in deliciis habeamus, nullam aliam novi caussam, nisi quod ita ferat hominis natura, ut ea, quae palato arrideant, menti quoque placere oporteat, hoc non attento, quod hydropotae vitam magis tranquillam, & vegetam vivant, quam Bacchi, & Cereris filii, quos ut plurimum brevioris esse vitae, nemini erit in occulto.

V. Neque est, ut quis de transitoria aquae voluptate conqueratur, quod gulam vix afficiat, nec gratam jucundamque in luxuriante lingua excitet titillationem,

quum

quum in potu theae res longe aliter sese habeat, qui & palato, & oculis acceptus est. Praeterquam enim quod colore vinum Hispanicum seu malvaticum aemuletur, etiam amaricantem linguae infert saporem, una cum fragrantia quadam, ipsis naribus haud ingrata. Totum hunc potum parandi artificium consistit in eo, si folia in pyxide stannea recondita, omnem suam viriditatem sartam tectamque servaverint, atque infusa ahenulo cum proboscide, in aqua simplici calefacta, virtutem suam liquori brevi reddiderint, quo hic ex vasculo porcellano, aut ligneo, intus de argentato calide sorbillari possit. Alii lac commiscent aquae, nec male, cum ipsi sanguini sic facilius assimiletur, majoremque vim obtineat, humores degeneres, & temperandi, & demulcendi.

VI. Miraberis forte, quod per solam infusionem, aut leviorem saltem coctionem, potum istum praeparari docuerim. Sed scire te velim, herbam hanc sale volatili, oleoso temperato, & facile mobili gaudere, ut vix fortiorem cocturam citra virium suarum depauperationem, & castrationem ferre possit. Hinc ipsi vim quandam aromaticam, blandiorem tamen, abstersivam, diureticam & diaphoreticam tribuimus, quam attenuando humores viscidos, & obstructiones reserando, egregio cum potantis commodo, in oeconomia animali exercet. Ut dicere ausim, aquam hanc tsiatam transmittere aetherem, illi, qui sanguinem nostrum quotidie permeat, & ejus motum, & mistionem intra sanitatis limites conservat, fere similem, vel ut verbis Dn. Praesidis utar ex disputatione de auro, parum ab eo abludentem.

VII. Quod vero ad fallendam sitim potum calidum commendem, quem tamen omnes fere qui refocillari cupiunt, respuunt, & frigidum prae illo amplectuntur, & ratione & experientia ductus scribo. Quia (1.) frigida non qua frigida, sed qua humida sitim extingunt, imo, qua frigida male potius audiunt, quod, quo plus bibatur, plus sitiatur. (2.) Quia obstructio glandularum nequaquam tollitur subitaneo isto aquae attactu, & transitu, quin necesse sit, ut humores circulantes diluti ab aqua, majori cum vi, & promtiori fluiditate, illas reserent. (3.) Ex refrigeratione tali subitanea sanguis facile restagnat, & in grumos abit, nam frigida pectori, & praecordiis sunt inimica. Nec (3.) unicum allegari potest exemplum, ubi potus calidus infausto sidere fuerit exhibitus, quum plura frigidi, pessime, & ad internecionem usque cedentis prostent in foro Medico. Quis itaque ambiget, aquam calidam aliis frigidis potulentis praeferendam esse.

VIII. Quod si nunc in naturam, & indolem tum vini tum cerevisiae, absque ullo partium studio inquirere velimus, eaque paulo profundius perlustrare, deprehendemus, illa nequaquam aetatem ferre posse, quum brevi acescant, aut in vappam abeant, si vel per momentum aëri calidiori exponantur. Quo ipso evincere conabor, liquores hos ipsi sanguini infensos magis esse, quam salutares, omnis enim acor, omnis vappa, ac situs, ubi sanguini fuerint confusa, veneni obtinent indolem, ac infausta ludunt dramata, sive id aperto agant Marte, sive per cuniculos, & ex insidiis quasi, vitae filum convellant. Praeterea! quod quis non habet, alteri dare nequit constans est fori regula: jam quis dicet, potulentos illos liquores aptos natos esse fluiditati conservandae, quum ipsi in sinu gerant particulas, sanguini tam facile pedem figentes, ut destructa ejus textura, plures particulae hinc inde in meandris, & occultissimis viscerum cavernis, abeant in coagulum, & in motu suo vitali praepeditae cadaverosam induant faciem. Hinc est, quod celebris quidam Historicus in Anglia sancte affirmarit, homines antequam cerevisiae usus invaluisset, plerumque ad centum annos, & quod excurrit vitam produxisse: nempe cerevisia juxta ac vinum senium accelerant, quatenus plures quotidie particulas acidas, viscidas, & ad motum vitalem continuandum ineptas, sanguini suffundunt, eumque ad senilem characterem subeundum graviter disponunt: ipsum

enim

enim senium revera in sanguinis, & humorum circulantium pigritia, & vappescentia consistit. Ut propterea vinum, & cerevisia male merito suo audiant, & ceu morborum fabri, irritamentum malorum, fomes luxuriae, a prudentioribus proscribantur. Meliorem vero sustinet famam potus Theae, tum quod simplex sit, tum quod non facile acescat, nedum vappescat, sed seros in annos citra corruptionis metum servari (modo recte rem instituas) possit, ipsumque sanguinem condimenti instar, contra quosvis hostes, foris impetentes, tueatur: id quod nunc specialius probatum ibimus.

IX. Quo autem virtutem, & efficaciam hujus potus accuratius mecum perpendo, & morborum numerum, quibus medelam afferre solet, in digitos mitto, eo magis animum meum induci video, ut credat, hunc decantatam illam, hactenus a multis frustra quaesitam, esse panacaeam, mortalibus in solatium concessam, ut certissimum valetudinis conservandae, & vitae ad extremam usque senectam prorogandae esset remedium, multorumque gravissimorum morborum antidotum praesentissimum. Quae ut clariora fiant, pauca de morborum caussis, & seminibus praefari licebit, sic enim ipse operandi modus in lucem protrahi poterit.

X. Quicunque universam morborum turbam, quibuscum homines quotidie conflictari videmus, aequa judicii aestimant lance, haud ibunt inficias, omnes radicative natales suos habere in sanguinis, & humorum circulantium, motu, solito minori, atque ex visciditate, & acrimonia sanguinis universum genus morborum, ceu infausta pandore pyxide, prodire, ut non male Scorbutum communem omnium morborum Parentem salutare possimus, a quo omnes reliqui non nisi gradu differre videntur. Ortum autem trahit haec sanguinis intemperies ex vitiosa chylificatione in ventriculo, dum assumta non rite volatilisata in pastam crudam, viscidam & acrem degenerant. Quae si cruda sanguini commisceatur deflectit hic paulatim a sua indole, atque varia eructat in tubulos partium solidarum, ipsaque vasa capillaria, recrementa & coagula, a tergo insequentis motum progressivum remorantia, donec eousque auctis obstructionibus, & suppresso cruoris circulo, tota evertatur oeconomia. Quamdiu enim sanguini transitus per cordis thalamos conceditur, tamdiu homo aura vitali adhuc fruitur, neque mortuus dici potest: hinc si moribundis, vel aërem flabello impellamus, vel volatilisantia foris adhibeamus, saepius novis quasi recollectis viribus reviviscunt, donec vires penitus diffluxerint. Et simile quid in brutis tentare licet, si enim gallinae suffocatae, etiam ne vestigio amplius vitae apparente, halitus infletur, vel aër folle impellatur, redibit sufflaminatus antea itus humorum in circulum. Aut si cani strangulato aër per ductum thoracicum infletur, cor priorem pari successu recuperabit motum. Sed e diverticulo in viam.

XI. Nunc presso pedo sequimur iter chyli & sanguinis, visuri, quid tota in oeconomia hinc inde emolumenti ex usu potus theae sperare possimus. Nempe! praeterquam quod sitim fallat, in ore dentes vacillantes redigit in ordinem, nigrescentes dealbat, mephitim olentes corrigit & emendat: quatenus attenuando fordes abstergit, sale autem aromatico blandiori acidum scorbuticum infringit.

XII. Ad ventriculum delatus radicem chronicorum morborum exstirpat, dum acidum viscidum, & mucosum attenuat, & enervat: cibi coctionem promovet: poros tum intus foris, tum foras intus spectantes deobstruit. Inde ab ejus usu prostratus appetitus excitatur, ipsum chylificationis negocium promte perficitur, nec ullum amplius sive gravativi doloris, & distentionis, sive nauseae & aversionis apparet vestigium. Imo omnibus morbis ex repletione, & voracitate oriundis pabulum subtrahit, eorundemque fomitem tempestive praescindit.

XIII. Successu haud impari digestionem in intestinali fistula juvat, ac promovet, succi pancreatici infensissimam aciditatem, & visciditatem blande demulcen-

do, flatus discutiendo, mucum resolvendo, & alvum de officio benigne movendo. Hinc habent quo se solentur Colici, in summum saepe ob intestinorum convulsiones vitae discrimen praecipitati: expedit chyli ingressum in vasa lactea, vim ejus balsamicam non parum adauget, ejusque consistentiam moderatur. Est enim de natura hujus salis, ut attenuet, & in fluiditatis mediocritate chylum servet, cujus fidem nobis facit experimentum in lacte institutum: huic enim si liquor theae affundatur, illud tam constanter a caseositate, & congrumescentia praeservat, ut quamvis acida denuo superaddantur, nunquam tamen coagulari, aut in acorem mutari possit: quia itaque chylum tenuem, & fluxilem reddit, & ab omni viscititate, & coagulatione vindicat, hic non nisi purus, & optime constitutus sanguini confundetur.

XIV. Ecquis nunc vires hujus herbae plusquam medicas non admirabitur? Quis non agnoscet, quantum Hygeia huic debeat medicamento dicam, an alimento medicamentoso, quod adeo largiter primae prospicit culinae, ex cujus penusalus in totum redundat corpus: nam qualis chylus, talis sanguis & sanitas. Exulare nunc jubentur famosae hypochondriorum obstructiones, & pullulantes ex hoc nido morbi in prima herba ab hac salutari herba suffocantur, imo omnibus etiam foris advenientibus aditus intercluditur. O virtutem theae inexhaustam, nunquam satis laudandam! nunquam satis aestimandam! O potum tam in conservanda valetudine, qua non pretiosior thesaurus, quam morbis & doloribus debellandis longe efficacissimum, fidissimum: ite nunc Arabes, & vestrum depraedicate cophe: extollant chocolatam Americani: ad furorem usque Turcae suo utantur maslah: delicientur in suo San Martiniano Iberi, aliique in aliis triumphent potulentis. Ego sorte chinensium contentus, the commendo, cujus aqua tum virtute, tum salubritate inter omnes alios liquores, suum nunc extollit caput, quantum lenta solet inter viburna cupressus.

XV. Sed sequar vestigia chyli sanguinem intrantis, ut quae ibidem potus theae ferat auxilia cognoscam. Sciendum itaque, quod medicata haec lympha sanguinem diluat, attenuet, & fluxilem reddat, non aliter ac si lacti coagulato forte affunderetur, & coagulatio maxima sui parte tolleretur, quod evenire statim videmus, dum crassamentum viscidum, & tenax mox evanescit, atque lac tenue, & fere limpidum redditur: eodem modo dissolvit quoque sanguinem, & ejus acrimoniam temperat atque demulcet. Hinc aliquando fit, ut, si scorbutus non adeo altas egerit radices, id est, obstructiones non nimis profundae ac contumaces fuerint, aeger incassum variis adhibitis, ex uno hausto theae, ad miraculum usque lectum deserat, & pristinae reddatur valetudini, siquidem dum sanguinem ita attenuat, & minutissima vasa perreptat, obstructiones omnes reserat, omnem mucum, sive omne viscidum, saponis instar detergit: constat enim sale volatili acri oleoso, quo & viscida resolvit, & resoluta per sudores, & urinam elutriat. Pari fidelitate humores, & spiritus a sanguine dependentes ad volatilitatis evehit statum, & meteorisat. Glandulas omnes, quae ab acido, & viscido facile obstrui solent, facit permeabiles, ut non nisi humorem laudabilem, & sincerum suppeditent. Ipsa viscera ab infarctu vel liberat, vel immunia reddit, ut muneribus exacte & probe fungi possint: imo omnia organa secretioni destinata novo quasi incitat stimulo, ut impigram in depurando sanguine navent operam; hinc inter bibendum corpus tenui sudore madet, urina largius profluit, & lingua arida ac exsucca apposite humectatur, ut non possit non ociosis, & vitam sedentariam agentibus admodum proficuus esse, dum supplet motionis, & exercitiorum defectum, imo plus utilitatis confert, quam omnia exercitia, quibus homines utuntur ad corpus movendum, quippe haec cum aliquali violentia, & debilitate sanguinis peraguntur; is vero sine omni vi, & vehementia, saltem aperiendo, exspectationi satisfacit.

XVI. Por-

XVI. Porro dum sanguis se a recrementis suis in pulmonibus exonerat, pectus inde non parum saepius affligitur, accedit tussis & pulmones ab improba tali sentina infarciuntur, ut suffocationis periculum saepissime immineat, vel saltem respirationis negocium valde perplexum reddatur, quo in periculo, & labore ex potu theae praesentaneum affulget levamen.

XVII. Phthisici ab omnibus vel vana, & inani spe lactati, vel ceu desperati derelicti, ad hanc salutis anchoram confugiant, & the cum lacte bibant, quod acrimoniam, & crassitiem sanguinis demulcebit, humores diluet, & obstructiones reserabit, ulcus vero deterget, & consolidabit, sudores quoque nocturnos, & colliquativos, acrimoniae, & obstructionis pedissequas, brevi cohibebit, & succum nutricium ita componet, ut glandulae quae antea lympham corrodentem stillabant, nunc non nisi rorem dulcem ferant, & cutis vis ossibus haerens, & flaccida antea caro, in dies incrementum capient, ipseque tabidus ex orcu revocabitur.

XVIII. Non minorem hic potus in ipsa Palladis metropoli, sedem ubi fata quietam menti constituit rerum omnium arbiter, exserit virtutem, dum gravissimis etiam capitis affectibus, quales sunt vertigo, cephalalgia, epilepsia, apoplexia, catarrhi, & istius farinae alii, cito ac tuto medetur. Equidem observatum fuit, a frequentiori ejus usu omnem superfluam exsiccari humiditatem, ut etiam ptyalismum non semel eo curatum viderimus. Quum enim attenuando & resolvendo, tum per diuresin, tum per diaphoresin, scorias & salia sylvestria meningibus cerebri infensissima, quotidie abunde satis ad secretionis organa amandet, atque foras eliminet, etiam ipsum cerebrum in quavis inundatione, quibus alias expositum est, mediis saepius sub undis locat in solido. Ipsos quoque cerebri incolas spiritus animales, ceu alter Phoebus irradiat, eosque ad munia obeunda promtos magis ac alacres efficit, vix enim dici potest, quam efficaciter somnolentiam arceat, praesertim ubi vel severiores res decernendae, vel meditationes longam in noctem protrahendae sunt. Et quis est, qui non ab ejus usu insolitam quandam alacritatem ad negocia expedienda, & ingenii labores ferendos animadvertat, ut plures etiam noctes, absque ullo vel virium dispendio, vel sanitatis incommodo transigere possit. Neque difficile est omnes hos effectus per suas explicare caussas, quippe somnus nihil aliud est, quam subsidentia, vel occlusio pororum cerebri, quae contingit, tum quod spiritus excurrant ad alia, tum quod dissipentur, & fibrae laxentur antea tensae, & collabantur. Saepius etiam obrepit somnus, quod spiritus animales, particulis pituitosis, & ad motum ineptis onusti, in fibris & poris immersi quasi jaceant. Hic in subsidium venit potus theae, ex quacunque etiam somnus oriatur caussa, quatenus sanguinem attenuando, & agitando eum per minutissimos impellit cerebri maeandros, ut subtilitate sua se insinuet in fibras, illasque distendat, mobilitate autem, & agilitate sua spirituum penuriam compenset, qui recens generati poros apertos detinent, ipsumque cerebrum in statu vigiliarum conservant.

XIX. Si Boeoticum tibi sit ingenium, aut infelicem habeas memoriam, ad hos accede rivulos, qui omnes discutient nebulas, ipsumque cerebrum a sordibus expurgabunt, ut serenum magis ac nitidum, impressiones promte recipiat, & menti eas, fideliter reddat. Hinc ipsi Chinenses nonsolum nobis ingeniosiores sunt, sed in sensibus quoque externis praerogativam quandam obtinent, ut in excusabili fastu jactare non vereantur, Chinenses duos habere oculos, Europaeos unum, reliquum autem hominum genus coecutire. Quas tum ingenii dotes, tum sensuum externorum vigorem theae in acceptis referunt: qui enim a teneris illi assuescunt, etiam senes facti nunquam aut de visus hebetudine, aut auditus difficultate conqueruntur.

XX. Caeterum non jam meam hanc faciam litem, an Medico licitum sit ali-

quod contra ebrietatem commendare remedium? ab utraque enim parte rationes non contemnendae in scenam introduci possent. Videtur tamen distinguendum esse inter crapulam officiosam, & malitiosam, vel si haec displiceat distinctio, alia mutuari posset a Politicis, inter mendacia discrimen facientibus. Nobis sufficiet annotasse potum theae liberare stomachum a stagmate acido plenis buccis ingurgitato, dum viam ad vesicam urinariam reddit expeditam, qua commodior dari non potest pro ebrietate vel impedienda vel tollenda. Quin & cerebrum onere suo sic levatur, ejusque accolae, juvante theae vi discussiva redeunt ad officium, Ut haud immeritus palmam eripiat decantato alias hoc in negocio spiritui salis armoniaci, quem ob exoptatas qualitates vocare olim solebant.

XXI. Sed heus tu curasti probe! Medicorum tibi sistitur opprobrium, hactenus quosvis conatus Medicantium eludens. Nunquid & hic tuae panacaeae haerebit aqua? Verum bono estote animo, vos Padagrici, qui hactenus multa tulistis, sudastis, alsistis, ipse enim morbus vester me etiam tacente docet, quantum praesidii locatum habeatis in thea. Quippe hic morbus Herculeus indigestio sanguinis est, dum materia quaedam, quae a sanguine subigi nequit, inter circulandum divortium faciens, artubus insidet, ibidemque atrocissimos dolores cum tumore, & rubore producit. Indigestio autem sanguinis est a spirituum defectu, & ipsius sanguinis debilitate, dum nimirum spiritus in aetatis flore per Bacchum, per Venerem, per immanes labores, aut profundas meditationes, studia, aliaque exhausti & consumti sunt, unde sanguis paulatim inspissatus, & incrassatus, debito vigore destituitur. Hinc corpus flaccescit, labefactatur spirituascentia, ipsaeque coctiones segnius peraguntur: quo fit, ut humores, antea per insensibilem transpirationem amandari soliti, in corpore detineantur, donec tandem eorum colluvie sanguis opprimatur, & spiritus jam dudum effoemiti aut supprimantur, aut suffocentur. Itaque saburra sanguinem quasi condens, quum a natura (materia aetherea) regi amplius nesciat, in articulos ad miseros mortales extorquendos erumpit. Efferus redditur immanis hic hostis mortiferis venae-sectionibus, enervantibus catharticis, colliquantibus sudoriferis: haec sane spiritus magis dissipant, vires exhauriunt, sanguinem debilitant, adeoque hunc affectum plus semper exasperant & deteriorem reddunt. Quod si aliquamdiu continuata prodesse videantur, fucum tamen facere credas, & infidum hoc esse levamen vel exinde patet, quod insequentes paroxysmi semper, & vehementius affligant, & diutius durent. Quin talia potius requiruntur remedia, quae imbecillitati sanguinis succurrant, & sanguini indigesto amicum ignem subministrent. Quibus omnibus palmam praeripit theae potus. Hic restaurat: hic sanguinem eorum indigestum digerit, ut vegetus, & floridus per vasa exspacietur. Hic tempestati in articulos saevienti omni pabulum subtrahit, dum optimum laudabilemque chylum in culinis praeparat: hic solus de hoste feliciter jugulato triumphat. Hic anchora est salutis, qua cymba ex scopuloso mari servari potest: in hoc unicum Podagricorum erit solatium. Idem sibi promittere poterunt Calculosi, quum nullae sordes ad sanguinem deferantur, vel induciae concedantur, ut alibi lapidescere possint.

XXII. Tandem suas quoque potus theae meretur laudes in febribus levandis, praeprimis in quartana reliquisque intermittentibus. Febres intermittentes exquisite ad unum omnes a pancreatis obstructione forte oriuntur, quatenus sanguis crassus, & viscidus istius poros oblinit, unde succus pancreaticus non solum acescit, sed ad plenitudinem etiam collectus effunditur in intestina, & ita cum chylo ad sanguinem defertur, qui ab ejus accessu coagulatur, & in vasis stagnat. Hic auxiliatrices sanguini ad restagnationem prono praebet theae manus, cujus infusum una vel altera ante paroxysmum hora absortum, febrem vel tollit vel placat. Lucem haec foenerantur ex doctissimis, & nervosissimis monitis medicis a Dno

Prae-

Praeside in collegio privato dictatis, ubi inter alia lectu, & relectu dignissima docet, in febrium paroxysmis calide bibendum, non frigide, quo sudores in declinatione emanantes eo largius profluant.

XXIII. Sed major forte mihi movebitur lis circa theae usum in febribus continuis. Et fateor plura adhuc prostabilienda sententia deficere experimenta. Quod si tamen ad qualitates theae diaphoreticas, & aperitivas attendam, non video, quid obstet, quo minus etiam his in febribus in usum Medicum venire debeat. Quot enim febres istae plerumque post se reliquant obstructiones, & scirrhosos viscerum infarctus, morbi illi chronici testantur, qui febres has insequi solent, quos averti vel tempestive tolli posse potu theae, nullus dubito.

XXIV. Sed tempus me monet de proposito, hinc colophonem huic imponam dissertationi: infiniti enim operis, & laboris res esset, omnes enumerare velle morbos, eorundemque indolem, & naturam explicare, quibus theae potus mederi potest. Hinc omitto illa quae de scabie, & vitiis cutaneis, nec non de vulneraria theae virtute, dici possent. Interim, lector benevole, in memoriam iterum revoca, quae saepius in thesibus inculcavi, nimirum omnes morbos oriri sanguine crasso, & acri seu ab intemperie scorbutica, ita ut reliqui morbi, qui non nisi rami ruinosae arboris sive scorbuti sint, ac gradu saltem inter se differant, scilicet ratione viscidiatis, & aciditatis sanguinis, quoque diversa nomina ratione partium affectarum tantummodo obtineant. Enimvero facile concipere, idem acidum, adulti sanguini infusum, si sanguini infantis infunderetur, aliter sanguinem commutaturum, aliam acrimoniam conciliaturum, argumento, etiam diversae indolis morbos ab una eademque posse oriri caussa. Quod si sanguinis particulae viscidae, & crassae in totum omnia obstruant vascula, orietur gangraena, & sphacelus: sin aliqualem transitum a tergo venientibus concesserint, & simul acres extiterint, producent inflammationem, & dolorem. Iterum: si partes hae deferantur ad pleuram, orietur pleuritis, si ad fauces, angina. In capite excitabunt phrenitidem, cephalalgiam &c. In artubus parient dolores arthriticos: in intestinis colicam, dysenteriam: in vesica stranguriam: in cute pruriginem, & scabiem &c. Quod si partes hae acres corrodant vasa in pulmonibus, prodit haemophtisis: si ipsam pulmonum substantiam, phthisis. In renibus mictionem cruentam, in gingivis haemorrhagiam generabunt &c. Si obstruant vasa lymphatica hydropem. Si hepar, & lienem affectionem hypochondriacam, morbos splenicos parient &c. Eadem serie morbi mulierum recenseri poterunt, & ostendi, quod & his & illis ex communi scaturigine, obstructione scilicet, prodeuntibus, solius theae usu obviam eatur. Neque fictos moror nonnullorum Medicorum scrupulos, quos hoc in negocio injicere solent, praetendentes, non tantum cum metu immedicabilis siccitatis potum theae in quotidianum vocari usum, sed mulieres etiam inde fieri steriles. Quippe nugae hae sunt: Chinenses enim a prima infantia ad decrepitam senectutem usque hoc potu utuntur, & elegantiori praediti sunt habitu, & multorum liberorum fiunt parentes. Et homines illi forte non tam generi humano, quam propriis loculis metuunt, qui exinde non parum affligentur, si homines ex usu theae rarius inposterum aegrotarint. Sed dandum aliquid tempori, cui dare quoque velis, quod argumentum hoc a DOMINO PRAESIDE mihi commendatum, nec pro dignitate loci, nec lectoris expectatione elaborare potuerim, id quod non tam meae voluntati, quam curtae ingenii mei suppellectili acceptum ferre velis. Et quemadmodum spero fore, ut lapsibus meis juvenilibus in terra incognita, & materia minus trita veniam sis daturus, ita Deum veneror, ut tibi, & mihi animo valenti, & corpore sano ex veteri formula annare ac perennare contingat.

Tantum.

DISPUTATIO XXXVI.
DE ACIDULIS
RESPONDENTE
LUDOVICO GOTHOFREDO BUELIO.
J. N. J.

I. QUod olim divus Senex sanguinis naturam explanaturus statuit, ipsi nempe amarum, acidum, salsum & sexcenta alia inesse, hoc pari ratione de aqua hinc inde e tellure scaturiente dici posse persuasum habeo: si enim diversas illas, quae ipsi insunt potestates mentis acie perlustremus, & admirandos illos, quos edit effectus, ad animum revocemus, fatebimur ipsi vel sexcenta inesse, quae nos in sui rapiant admirationem, imo invitent, ut in vim illam per aquarum molem diffusam eamque exagitantem, quam Gentiles Neptunum, vel animam appellarunt, profundius inquiratur. Haec est, quae mihi hisce diebus calcar admovit, ut de acidularum origine, & utendi modo, hoc praesertim anni tempore, quo copiosius bibuntur, quaedam praemeditatus sim. Faxit DEUS, ut in aegrotantium salutem vergant.

II. Ante omnia autem descendendum erit in mundum subterraneum, ipsiusque telluris gremium excutiendum, ut quid intus lateat, quidque intra cavernas & cryptas abscondatur cominus intueri possimus, quum aeque exhibeat intra viscera sua phaenomena terra sicuti coelum, aliaque subcoelestia corpora; nemo equidem inficiabitur, terram esse corpus quoddam compositum, seu congeriem plurium particularum, quae vario exagitatae motu varias patiuntur tum solutiones, tum combinationes, variaque nova producunt concreta, quae non raro ubi abscondita terrae conclavia reserantur, ceu thesaurus quidam, auro, argento, gemmisque foecundus, in apricum deducuntur.

III. Neque enim jam de interiori illa, & centrali terrae dicam parte, quam totam metallicam esse suspicatur CARTESIUS, nobisque inaccessa est, quin illam potius nobis magis vicinam sub examen analyticum vocabo, in qua varii generis particulas prae aliis notare velim, quales (1.) sunt salinae, tum acidae, tum alcalicae: (2.) sulphureae, pingues, mollesque (3.) mercuriales, admodum fluidae, & mobiles, & (4.) aliae plurimae terrestres, arenosae, petrosae, lutosae, &c. Hae, sive a prima creatione praeexistant jam in tellure, sive ope ignis subterranei, vel alius alicujus caloris foris advenientis adjuvante motu, de novo combinentur, dant metallis soliditatem, ductilitatem fluiditatem aliasque qualitates, prout hoc nunc evictum esse autumo a modernis Physicis, & Chymicis, inter quos non postremum obtinent locum ALBARO ALONSO BARBA, & *du* HAMEL *in tr. de fossilibus*.

IV. Eaedem illae particulae constituunt quoque mineralia vulgo dicta. ver. gr. nitrum, vitriolum, alumen, sulphur, sal, tum fossile, tum artificiale, terras, pinguiores, sigillatam, Armenam, cretam, bitumen, aliasque innumeras, prout scilicet nunc cum his, nunc cum illis particulis terrestribus combinantur, & plus minus de acido fixo, vel etiam volatili participant, quae mineralia etiam ad terrae superficiem usque evehuntur, suasque sub terra habent matrices, in quibus quotidie renascuntur.

V. Quibus praemissis jam facilior magisque expedita nobis erit via ad acidularum ortum indagandum, habet enim hoc coeteris cum fontibus commune, ut secundum aquosas particulas, quae basin constituere videntur, originem suam ex ipso mari quoque trahant, quod omnium fontium promtuarium esse praeter

CAR-

CARTESIUM prolixe satis deducit SCHOTTUS *de fontium origine:* neque obstant rationes a MAYOW Medico Anglo, & Philosopho acutissimo in contrarium *tr. de thermis Bathoniensibus* allatae, utpote quae facile refelli possunt, modo observetur, aquam illam sub forma aquae telluri a mari quidem committi, verum non sub eadem facie, sed potius sub forma vaporum angustissimos terrae meatus, & maeandros transire, longissimumque iter brevi temporis spatio emetiri, & veluti in laboratorio Chymico per altissimam cucurbitam sublimari, donec vapores hinc inde in cavernis condensati ab alveo aliquo excipiantur, rursusque aquam constituant, quae qua data via etiam ad montium juga usque erumpere potest.

VI. Sed unde sapor iste acidus? negari quidem nequit, aquam lambentem matricem metallicam quaedam corpuscula mutuo amplexu ita sibi associare posse, ut ea foras deferat, adeoque ramenta metallica in ipsis fontibus reperiantur, quorum aliquot describit VARENIUS. Verum aequae illae non participabunt de mineralium vel metallorum viribus, neque propterea medicinales aquae evadent, quod jamdudum SENNERTUS *in epitome naturalis scientia p.m.64.cap.9.* de fontibus annotavit. Accedit etiam hoc, quod in nostris acidulis nunquam metalla vel praecipitando vel coquendo & liquando, & liquando haberi possint, ipse etiam odor & color satis superque ostendant, quid volatile magis & spirituosum ipsi aquae simplici commistum esse, a quo stupendi illi in corpore humano effectus maximam partem dependeant. Et quum aqua nec metalla, nec ipsa mineralia centraliter solvere possit, nisi vim illam & efficaciam ab aliquo spiritu acido vel salino mutuetur, & sic in menstruum Chymicum mutetur, suspicari fas erit, odorem quendam acidum certis in terrae cavernis aquae afflari, qui de sulphuris prosapia emanasse videtur, quo jam armata, ubi mineras in quibus mineralia delitescunt, vel terram metallicam praeprimis Martialem vel etiam Veneream offendat, tunc rodendo corpora illa vitriolum Martis aliaque salia nexu adeo arcto sibi copulat, ut haec sub forma atomorum secundum minimas particulas commistarum unum aliquem liquorem homogeneum una cum aquosis particulis constituant.

VII. Habent itaque acidulae acorem suum vel saporem illum subacidum ab acido quodam vinoso in Martis minera nato, dum aqua sale naturae vel odore acido impraegnata Martem rodit, ex qua mutua actione, & reactione tertium tandem nascitur, ita tamen ut acidum praedominium obtineat, quale quid in vitriolo Martis, & tartaro videre est; hinc in illis acidulis, quibus potentius inest acidum, magna statim oritur fermentatio, si vel tantillum salis alkali ex tartaro parati ipsis injiciatur, quod in Pyrmontensibus DN. PRAESES non semel observavit.

VIII. Concurrunt non minus in acidularum constitutione alia quoque salia. Nitri ver.gr. & aluminis, ita tamen, ut subjugentur a vitriolo Martis, quod inter salia basin constituit. Hancque veram esse acidularum originem, multa profecto sunt, quae confirmant testis est omni exceptione major sedulus quidam naturae scrutator, qui in locis ubi acidulae scaturiunt, eo usque fodere jussit, donec ad terram quandam materialem devenerit, in qua aquam ante ingressum adhuc sterilem manifesto illo acido impraegnari observavit, eumque in finem peculiarem edidit tractatum, quem allegat RAMLOVIUS *de acidulis Wildungensibus p.m.31.*

IX. Neque nescii sumus GIURE Medicum Gallum contrariam experientiam in scenam introducere, qua probare vult, acidulas acidam qualitatem non a vitriolo Martis, sed ab alumine habere, nec unquam vitriolum in ferri minera reperiri, sed tantum in terra Venerea, alumen vero ubivis in terra Martiali obvium esse; verum tanti haec ponderis non sunt, ut in hoc difficultatum pelago fluctuemus, quum curiosi hujus viri experimenta facile nostra cum sententia conciliari

possint,

possint, prout in conflictu, data prolixius disserendi occasione, ostendam; vide interim praefati Auctoris libellum Parisiis impressum sub titulo *Les secret des eaux minerales acides, nouvellement decouvert par le moyen des principes chymiques, contre l'opinion commune.*

X. Prostant insuper alia quoque argumenta; si enim acidulae sub ignis torturam vocentur, reperies terram fatuam, vitriolum Martis, nitrum & alumen, sulphur cum sale aëreo avolare videtur. Sin eas praecipitando analysin instituas, salia sub eodem schematismo apparebunt: & quid de artificialibus acidulis dicemus, nonne ad naturam naturalium quam proxime accedunt? parantur autem ex vitrioli Matris, dum phlegma vitrioli Marti affunditur mutuoque hoc congressu vitriolum Martis generatur. Suadet id quoque effectus, qui in absorbendo, adstringendo, & aperiendo potissimum consistit, quod Martis proprium est; prout inferius docebimus.

XI. Confirmatur hoc ulterius experimento in tartaro instituto, quo effervescentiam, similem illi, quae in acidulis videtur, producere possumus, mediante qua scaturiens liquor bullas, & gemmas non sine jucundo spectaculo eructat, magnaque particularum lucta ad plures horas continuatur, argumento, motum istum fermentativo non absimilem in acidulis esse ab acido in alkali Martis agente.

XII. Quum vero acida infantibus ob teneram viscerum constitutionem, senibus autem ob animalis facultatis languorem, viscerumque tonum labefactatum, sint infensa, facile inde apparet, acidulas nec aetati infantili, nec senectae fore admodum proficuas, quin potius aetati mediae magis convenire, eoque liberalius propinare posse, quo viscera robusta magis, & firma existant. Quod si vel levissimum exulceratorum pulmonum signum deprehendatur, ceu pestem acidulas fugere jubeto, ne salutarem hanc medicinam imprudenti tuo consilio fama sua, & existimatione exuas, quum crebrioribus constet observationibus, acidulas in phthisi, hydrope confirmato, epilepsia idiopathica, febribus pestilentialibus, & variolis non nisi ancipiti, & ut plurimum funesto, cum eventu concedi.

XIII. Jam autem superius dictum fuit, Martem omne acidum peregrinum potenter absorbere, unde evidens fit. quod acidulae in morbis chronicis, sive a cruditate acida in ventriculo plurium morborum infausta matre, sive ab intemperie sanguinis acida, & faeculenta ortum trahant, magnae sunt expectationis, quales sunt affectio hypochondriaca, anorexia, calculus, colica, melancholia, febris quartana, asthma stomachale, catharrus, mensium suppressio, scorbutus, passio hysterica, viscerum obstructiones, & hujus farinae alii.

XIV. Neque putandum est, vim illam saturandi, & absorbendi tantum in ventriculo exseri, quod multi quidem statuunt, quum latex iste Martialis ad massam sanguineam usque deferatur, & cum sanguine totam peragere soleat oeconomiam animalem, & salia sylvestria in sanguine oberrantia facili negocio fundat, concentret, sanguini crasin nativam reddat, & morbosa semina qua data via excludat; hinc in haemorrhagiis, diarrhaea biliosa, inordinata sanguinis fermentatione, scabie aliisque morbis a bile oriundis non minori cum successu adhibentur, quod innumeris exemplis confirmare possemus, nisi ad alia eundem esset. Non jam dicam de vi illa inebriandi, qua pollent acidulae, quae nunquam in cerebro, & liquore animali se explicaret, nisi acidum quoddam vinosum ad mentis emporium cum sanguine mitteretur, hinc acidulis utentes saepius audimus conqueri.

XV. Interea toto curationis tempore accuratissima observanda venit diaeta, quia victus regimen caput rei est. Vitandi itaque sunt cibi flatulenti, viscidi, valde fermentescibiles: exulet aër nocturnus: in prandio & coena vinum generosum bibendum: somnus meridianus ceu pestis fugiendus: motus corporis sit moderatus:

tus: mens laeta & serena: alvus quotidie suo fungatur munere.

XVI. Quod utendi modum attinet, bibuntur acidulae mane jejunio ventriculo cum jejunio quinque horarum, incipiendo a lib. i. & ascendendo ad lib. vi. octo vel decem hodierno tempore mos obtinuit, ut tantum bibatur, quantum ventriculus citra nauseam, & molestiam ferre possit; istius enim potior habenda ratio, quem in finem varia stomachica in usum vocantur, quibus tonus ventriculi conservetur, qualia inter interna sunt spirituosa, aromatica, amara; inter externa oleũ stomachale CRATONIS, balsamus stomachalis ZWELFFERI, emplastrum nobile ejusdem, sacculus stomachalis SCHRODERI, aqua mastichina, anhaltina, spiritus theriacalis camphoratus & alia.

XVII. Verum enim vero tantum abest, ut quis ejusmodi curam inconsulto Medico subire debeat, ut etiam non raro cum vitae periculo, & sanitatis dispendio ab incautis instituatur, qui illotis, quod dicitur, manibus & corpore nondum praeparato fontes hos accedunt. Habent sane acidulae hoc commune cum aliis generosis remediis, ut si vel intempestive propinentur, vel in saburram acidam, & viscidam incidant, vel viscera teneriora, & exhausta fermenta offendant, nova producant symptomata, & plus noxae quam emolumenti inferant. Consistit autem praeparatio in ventris inferioris depuratione, & sordium e primis viis evacuatione, cui scopo minorativum inservit, quod in curae initio exhiberi solet, interpositis subinde toto curationis tempore purgantibus; tandem colophonem imponit hydragogum, ut aquae si quae forte hinc inde absorptae in visceribus, & partibus solidis restagnet: foras eliminentur, inter quae locum non postremum sibi vendicat pulvis solutivus tartarisatus ZWELFFERI.

XVIII. Inter symptomata multum facessunt negocii alvi adstrictio, flatus, anorexia & tussis: in alvi constipatione commendantur tartarisata, vinum passulatum, anisum laxativum, morsuli laxativi, passulae laxativae, pruna laxativa, pilulae usuales pro acidulis CONERDINGII, pilulae gummosae vulgo hypochondriacae dictae, clysteres emollientes. Flatus dissipant aqua mirabilis, aqua zedoariae composita, physogona, malvaticum juniperinum, aqua corticum citri, elixirium vitae MATTHIOLI, tinctura cortic. aurantior. essent. flor. aurant. In anorexia conveniunt amara, elixirium fermentativum, proprietatis & omnia, quae ex absinthio, & mentha parantur: semper enim attendendum est ad coctionem in ventriculo, quod si appetitus prostet etiam ubi graviora superveniunt syomptomata, tanti tamen non sunt ponderis, ut propterea hasta abjicienda, & curae filum abrumpendum sit. In tussi a lymphae vitio commendamus suffimigia, rotulas papaverinas, aquam veronicae, & alia apud practicos obvia: verum si tussis ex pulmonum vitio suboriatur, satius est maturae fontes deserere, & ad lac sanguinis animam confugere, quam imaginaria aliqua gravitate in vitae periculum praecipitari. Et jam dum difficile est, ut Medicus, etiamsi ex asse suo satisfaciat officio, iniqua vulgi judicia subterfugere possit, cujus fert sententia, quod si aliquis eo anno, quo bibit acidulas, vel etiam in sequenti, diem suum obeat, redundare culpam in insons remedium aquas medicatas. Verum inique nobiscum hic agitur, quum attendi debeat, an aeger novo aliquo morbo ab acidulis introducto sit extinctus, an vero malo aliquo inveterato, quo jam dudum laboravit, succubuerit, quod si hoc, quomodo quaeso acidulae accusantur? Interim manet nobis solatium cum regibus commune; bene regnare & apud imprudenter male audire.

Tantùm?

DISPUTATIO XXXVII.

DE ACIDULARUM USU EARUNDEMQUE VERO OPERANDI MODO

MARTINI HARMSENII. Brem.

CAPUT I.

Exhibens Statum machinae naturalem, & praeternaturalem.

PRimum hominis vivens, & ultimum moriens est rubicundum illud punctum saliens in utero matris ex commistione utriusque seminis vel excolliquamento ovi contagio seminis masculini impraegnato, praevia fermentatione enatum, mater & indubitata genitrix massa sanguinis ex qua fere sola & sanitatis morborumque natales derivandos existimo. Cōplectitur hoc punctum duo illa decantata salia acidum & alkali amico quasi quodam conjugio sibi invicem maritata, tacitoque unita foedere, adeo ut neutrum praedominetur, neutrum praeponderet. Haec eadem postea, dum in sanguine sibi invicem occurrunt, sesequé contemperant, & destruunt acidum rodendo alkali hocque illud obsorbendo, non potest non fieri, quin in tertium abeant, & imposterum sub peregrino schematismo salis volatilis salsi appareant. Sic ut ex hac amica duorum istorum pugilum pugna ope materiae primi elementi orta discordique concordia sal istud hermaphroditicae naturae exsobolescat, quod neutrum est ex his de utroque tamen participans, quum nec acidum nec alkali imperium sibi arroget, quin proportionato inter se congressu undulationem, & micationem quasi quandam perpetuam efformantia motum sanguinis intestinum aliarumque plurimarum particularum multiplicem congeriem, licet ad sensum obliterata delitescant, unanimiter moderantur. Hoc nobile par ceu volubilis Proteus, ubicunque locorum in universa machina suam exserit energiam. Hujus praesentiam saliva universale illud menstruum, fermentum gastricum, bilis succus pancreaticus, sanguis lympha luculentissime testantur. Adeo ut hircum mulgere, & in sole lucernam accendere velle videret, si haec fercula ruminari totiesque mansa iterum apponere nauseantibus ridicule satagerem. Idcirco quod ad rhombum potissimum facit id duntaxat monendum duco, quod, quemadmodum ex hac harmonica salium conspiratione, & infinitarum particularum pacifica unione intemerata surgit sanitas: sic contra ubi vitiata proportione laesaque temperatura, a blanda fermentatione exorbitent, aut alterum altero vel superius vel inferius evadat, ilicet fatiscat, & atrocibus morborum insultibus universa oeconomia. Nec est quod scioli hanc doctrinam acerbissimo prosequantur sibilo aut novitatis accusent, quum & rationi congruat, & ipsum Coum nacta fuerit Parentem, quem qui solis auctoritatibus velificantur, audiant ita loquentem lib. de prisca sive veteri medicina. Nihil igitur utilius, neque magis necessarium, quam haec cognovisse, quod & probe & convenienti ratione investigantes juxta hominis naturam haec primi inventores invenerunt judicaveruntque artem dignam, quae Deo ascriberetur, quemadmodum etiam est receptum. Non enim siccum, neque humidum, neque calidum, neque frigidum, neque aliud quippiam ex his putaverunt hominem laedere, neque aliquo horum homini opus esse opinati sunt, sed quod in unoquoque forte, & humana natura potentius est quodque non possit supurare, hoc ipsum laedare duxerunt, & hoc auferre quaesiverunt. Fortissimum autem est inter dulcia dulcissimum, inter amara amarissimum, inter acida acidissimum, & in omnibus adeo rebus vigor ipse ac sum-

summum. Haec enim in homine esse, viderunt & hominem laedere. Inest enim homini, & amarum, & salsum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum atque alia infinita omnigenas facultates habentia copiamque, & robur. Atque haec mista atque inter se temperata neque conspicua sunt neque hominem laedunt. Ubi vero horum quid secretum exstiterit atque ipsum in se ipso fuerit, tunc & conspicuum est, & hominem laedit. En suffragantem nobis divinum Senem. En aurea verba, quibus quid concinnius, quid aptius in rem nostram non dicam inveniri, sed excogitari potuisset, penitus ignoro. In eandem sententiam abeunt Paracelsus, & Helmontius qualitates illas primas relollaeas vocantes id est non procedentes immediate ex fermentis, & seminibus rerum.

II. Haec vero blanda amica, & naturalis fermentatio quatuor potissimum laeditur modis: vel enim augetur imminuitur, vel depravatur, vel aboletur. Augetur: quando in massa sanguinis particulae alkalinae cōpedibus sui cōparis solutae propriique juris factae, sanguinis motum, & intestinum, & progressivum intendunt tumultuoso, & effraeni impetu per vasa vagantur, appetitum dejiciunt, vires enervant, sitim cient clamosam, vigilias denique delirium, anxietates praecordiorum, aliaque pessimae notae producunt symptomata.

III. Imminuitur: quando ex chyli nimia aciditata, aut visciditate particulae fixae, crassae, viscidae, & faeculentae in massā sanguinis tristi omine, & atroci totius oeconomiae clade pullulascunt. Hinc volatilitas alkali obtunditur sociique sui fixitate subigitur & refraenatur, quo fit ut sanguinis necessaria exaltatione sufflammata spiritus crassiores, fermenta, viscerum inertia, & torpida generentur, excrementa retineantur, pulsus parvus, & tardus, tristis in ore pallor, appetitus, jam nullus, jam caninus, hydrops, febres quartanae, asthmata, &c. originantur.

IV. Depravatur: si acidae, & alkalicae particulae a naturali crasi deficientes peregrinos sapores induant, aut acrimoniam salsam, nidorosam, vel aciditatem contrahant, quae prout inter se occurrunt vitiosas instituunt effervescentias, & orgasmos invisarumque istarum cruditatum nidorosae, & acidae funesta locant incunabula. Hinc corpus jam calet jam friget: facies modo rubet modo pallet, prout nempe acidum illud excessivum effervescens fibrillarum motum tremulum, nunc intendit, nunc imminuit: urina modo rubicunda, modo pallida, modo tenuis, & aquosa: pulsus jam celer jam tardus, jam durus, jam debilis, jam inaequalis. Appetitus inconstans, nunc viget, nunc jacet, nunc in res absurdas, & inediles insano fertur molimine, unde pica, malacia, familiarissima praegnantibus mala, scorbutus, malum hypochondriacum, passio hysterica, scabies, lues venerea, calculus, arthritis, podagra.

V. Aboletur: quando seminalis sanguinis crasis, quae in horum salium blanda fermentatione consistit funditus evertitur, omnes sanguinis particulae secundum minima perturbantur, & a se invicem secedunt, fibrae ejusdem resolvuntur, adeo ut ad consistentiam nullo artificio redire aptus, vappidus & cadaverosus evadat. Non aliter ac ingruente tempestate lac, cerevisia, aut vinum in doliis syderatur, dum peregrina materia subtilis transmissa poros horum liquorum perreptans cum materia subtili liquoribus amica congreditur, quumque sit alius figurae, motus, & magnitudinis, neque poros horum commode ingredi potest, vi viam sibi parat, alteraque alteram excutere nititur, unde ingens tumultus, & pugna, pororum figuraeque prioris omnimoda immutatio. Pari modo alteratur sanguis in febribus malignis, pestilentialibus, variolis, morbillis, de quibus vid. Auctores. Spirituum vero animalium lymphaeque morbos hic de industria intactos relitquo. Quum enim a sanguine originem trahant, quod cuivis nisi plumbeus sin in re medica patebit, omnes oeconomiae tempestates, & aerumnas divisas communesque tenebunt.

 VI. Qui-

VI. Quibus breviter praelibatis fontium acidorum, & originem, & naturam paucis quoque expediam. Habent autem acidulae id commune cum aliis fontibus, ut ex ipso mari suos ducant natales. Nimirum Oceanus dum ad marginem, & littora continuo allabitur, atque allidit, in aquarum cumulum per daedaleos terrae anfractus propellitur, & in cavernas specusque, quas perpetuus undarum affluxus longo usu sibi excaverat, praeceps fertur. Hic quis ambigeret, quin partim calore solis, partim ignis subterranei magna earum copia in vapores resolvatur, & ad terrae superiora sublimiumque montium juga attollatur; ubi accedente frigore vapores in aquam conversi, quum per poros per quos ascenderant, dilabi nequeant, meatus in cortice terrae sibi formant fontesque referunt. Jam vero prima metallorum exordia, quae minimarum molecularum specie lapidibus adhaerescunt, cum aquae vaporibus aut rivulis in terra manantibus misceri facile possunt, quumque prima metalli rudimenta sunt mollia, ea quoque possunt ab aqua praeter fluente decerpi. Sed imperfecta quae sunt mineralia sulphur, vitriolum, carbones, fossiles in fumos persaepe ex soluta aquam impraegnare solent. Videntur itaque, ut pressius loquar, acidulae participare de salibus quibusdam in phlegmate solutis, quae fere accedunt ad naturam salis communis, & de ochra ferrum in se continente. Ex quo per facile jam nobis est confestim explicare diversitatem saporum in acidulis, dum in aliis salsus in aliis acidus praedominatur. Si nimirum salis particulis magis foetae sunt acidulae, salsus, sin ferreis, acidus orietur sapor.

VII. Sicque adeo loqui de depraedicare quasi tacite nobis videntur divinas suas virtutes acidulae, ut pote impraegnatae amico salium acidum & occulto Martis alkali sibi invicem arctissime connexis tertiumque aliquod salsum volatile omnium fere morborum chronicorum haud ignavum antidotum parturientibus. Nec tamen existimandum est cum plebitate hominum omnibus omnino morbis exstirpandis natas esse acidulas, & parvi referre, quomodo & quo tempore hauriantur. Calamitosus hic & perniciosus plurimis error est, qui dum in salutato Medico propriis solum auspiciis his operari sacris satagunt, fatum sibi accelerant, & delirae mentis praecipitantiam certa morte luunt. Invasit adeo haec vaecors insania omnium non modo e plebe sed & ex Phoebi prosapia medentum animos, qui aegrotantes agento probe emunctos, ubi jamjam de salute eorum conclamatum videtur, ad acidulas amandant, consilio, ut quidem hariolor, vix alio, quam ut morosos, & querulos a se amoliantur, flocci pendentes saluti, an pesti ipsis sit futurus laticum horum temerarius haustus. Caeterum jactari mireris ubicunque terrarum eum esse acidularum genium, ut per flexuosos totius corporis maeandros oberrando, quicquid salium sylvestrium hinc inde restiterit, vel per urinam, vel per sudorem feliciter exturbent. In hunc pene errorem jurarunt omnes, animisque tam alte infixa haeret opinio, ut aëra verberare videatur, qui eam evellere decernat. Verum enim quum nihilominus salva, & integra Philosophis maneat libertas, quid judicent, quid sentiant de rebus obscuris, & ambiguis philosophice, hoc est libere coecis expediti praejudiciis expromere, ego quoque animi mei recessus hac super re ultro aperiam. Sicque occasionem datum iri confido illustrioribus ingeniis, ut quorum ego quaedam quasi lineamenta obtuso, & in experto duxi penicillo, haec illi meliori lima, & doctori censura post modum exponant.

CAP. II.

Inquirit Acidularum Operationem.

I. ACidulas ego non aliter salutem afferre corpori nostro, quam ipsa praecipitantia, absorbentia quorum plurima testacea vulgo dicuntur, earumque efficaciam primis viis terminari, etsi nihilominus per consensum toti microcosmo incolumitatem procurent, existimo. Atque hoc ut credam sequentibus fere adductus planeque impulsus sum rationibus. Principio quidem, ubi altius considerabam fermentum in ventriculo gastricum, ejus indolem probe trutinans facile poteram divinare insignem hic alterationem passuras acidulas. Noram insuper limaturam ferri crude assumtam sulphureos sursum emittere fumos, manifesto argumento in ventriculo ab acido fermenti arrodi planeque immutari. Nec fugere scientiam meam poterat salium natura, quae sibi invicem occurrentia praevia vel fermentatione vel effervescentia in tertium mutari assueverant. Convictus denique eram omnia terrestria alkalia Martialia promte imbibere omnes sapores acidos, certa tamen mensura, adeo ut postea saturata quicquam recipere dedignentur. Adhaec quum acidulae duabus maxime partibus constent una volatili acida, altera terr. Martiali, ita mecum coepi ratiocinari: acidum illud volatile dissolvere, & abstergere mucilaginosas sordes in primis viis iisque annexis visceribus hospitantes: dum interea vena ista metallica absorbet sapores, acidos, vitiosos, acerbos, austeros saliaque sylvestria, & excrementitia figit, eorumque spicula intra poros recipit cum iisque firmiter unita exitum molitur.

II. Nullo itaque pacto infractae, & illibatae ad massā sanguinis perveniunt acidulae, praeprimis quum & ipsa urina ab haustu acidularum projecta satis evidens clarumque hujus perhibeat testimonium. Haec quippe pallida, insipida, similis omnino illi, quam fundere solent, qui Baccho largiori intemperantius se ingurgitant nunquam circulare iter emensa. Quin potius simul ac chylus per vasa lactea in mesenterio ad glandulas delatus fuerit, ibi secretione utilis ab inutili peracta serum vaporum forma, quum totum corpus sit trāspirabile per poros in abdomen, exinde in visicam deplorans naturali harum partium frigore in aquam concrescit. Respondeant jam pro me, quotquot hactenus a Nymphis hisce Medicis opem expetiere, num uspiam lixiviosam urinam reddi observaverint sic nullus dubito, quin omnes utroque pollice meam sint approbaturi sententiam. Quae ut eo clarius appareant cedo nobis scorbuticum quendam acidulas potantem. Hujus fermentum in ventriculo a naturali crasi degener factum, fixum, acidum, viscidumque erit: succus pancreaticus austerus, & acerbus ab aqua Regia haud multum abludens. Hic quid futurum judicas? Nimirum acidum in acidulis volatile, dum mucum in ventriculum glutinosum, & viscosum aggreditur, & exaltare conatur, sensim semetipsum atteret propriamque enervabit virtutem. Vena vero metallica, dum eam acidum, in ventriculo vitiosum arrodit, in ejusque poros se insinuat, jam saturata erit, & inepta plus humorum imbibere antequam ventriculo elabatur. Taceo superesse adhuc succum pancreaticum, cujus visciditas, & austeritas morbosa immane quantum acidularum virtutem, si qua adhuc superest fatigabit. Sed de his fusius forte agendi in sequentibus dabitur occasio. Colligas tamen ex his cave sanguinem interea temporis immotum existere, ejusque vitiosas qualitates ab acidulis nequaquam tolli. Quin potius totam machinam, quanta quanta est, refici his lymphis intrepide asserimus, nec tamen immediate hoc est per deuteropathiam.

III. Nimirum extra omnem positum est dubitationis aleam, fermenta viscerum

rum naturam imitari ipsius sanguinis, nihilque aliud esse, quam ejusdem particulas salino acidas volatiles, quae per arteriarum poros in eorum cavitatem transudant, in ventriculum quidem per arterias gastricas, quarum pori ita sunt proportionati, ut certae figurae, & texturae particulas transmittant pari modo ac per cribra non omnia promiscue grana percolari obvia, & domestica loquitur experientia. Hujus proin fermenti officium quum sit cibum in laudabilem massam dissolvere, quae ad sanguinem delata, nihil turbarum, nihil tumultuum cieat; sed concordem utriusque salis plurimarumque aliarum symmetriam alat, facile est colligere vitiatum fermentum simili contagio inficere massam chylosam, hancque in societatem ejusdem labis trahere totum sanguinem. Idem plane est, quod tritus inculcat scholarum medicarum canon: qualis cibus, talis chylus; qualis chylus, talis sanguis; qualis sanguis, talis sanitas. Languidulum hoc, & pene fatuum ventriculi fermentum simul acuitur, novisque quasi spiculis, & aculeis armatur ab acidularum salibus, atque efficacius imposterum, & validius ciborum texturam dissolvere, subigere, exaltare, & in laudabilem massam convertere poterit, quae sanguini advecta, ejus dyscrasias pedetentim tollet, ille meliores spiritus, meliorem lympham procreabit; quo sic tota machina de prostrato, & attrito feliciter hoste triumphare valeant.

IV. Sed necdum mihi triumphare datur de asserta hac feliciter sententia, quam forsitan nonnulli argutulo ore, vanoque argumentorum strepitu infirmare conantur. Videri me existimant infringere auctoritatem fidemque gravissimorum Auctorum, qui paralyticos acidularum usu non modo mediocriter allevatos, sed ex toto restitutos effuso recensent agmine. His ego regero, me flagrantissime hic expetere omnes circumstantias; si a caussa externa paralysis fuerit inducta, aetas praeterea juvenilis, alia medicamenta, vel praecesserint, haud aegre tolli potuit malum. Nec temperare mihi possum, quin ingenue fatear, dubitare me, unquam vere, & desperate paralyticum ab usu acidularum convaluisse. Finge tamen id ita esse, nihil Aedepol obstare puto, quo minus obstructio haec tolli, resolutio vero tendinum corrigi potuerit, quum sanguis modo superius dicto pristino vigori restitutus vegetiores spiritus elaboraverit, qui impetu & vi qua pollent elastica, in nervos irrumpendo claustris, & infaustis repagulis perruptis, sensum motumque restituerunt macilentumque, & fere membrum vi sua ex voto refocillarunt.

V. Ceu clavus clavum sic difficultas trudit difficultatem. Hic vero insigni pompa omnium eorum, quorum unquam labia his maduere lymphis, concordia obtrudunt suffragia uno quasi ore ab usu harum de gravedine capitis quadamque ebrietate testantium. Quam illi explicari posse negant nisi mutato consilio receptui canamus. Sed enim tantum his moveor quantum generosus equus catelli latratu. Quanta enim quam concors, quam arcta ventriculumque cerebrumque intercedat amicitia, neminem reor esse, qui nesciat. Quorum caput gyrosa rotatur vertigine his stomachus illico ad nauseam vomitumque inevitabilem stimulatus sororiantis partis vicem quasi tristatur. Contra Hypochondriaci famem ferre diutinam non possunt, quin actutum nauseabundae vertiginis prandio curandae, persentiant incommoda. Denique quum unumquemque a prandio sopor, & horror quispiam incessat, animusque studiorum graviorumque curarum fastidio lacoret, quis foret adeo perfrictae frontis, ut singulare harum partium negaret commercium? Accedit magnus paris vagi ramus, qui a cerebro, & cerebello in ventriculum sparsus hujus necessitudinis indissolubile existit vinculum, candidusque omnium, quae in utriusque geruntur territorio interpres. Per hunc ramum quum spiritus continenter e cerebro in ventriculum manant, corporis continui speciem referentes, vix aliter usu venire potest, quin spiritibus in ventriculo tur-

turbatis ejusdem mali sensus ulterius serpat feriatque spirituum in cerebro hospitantium familiam: & vicissim. Exempli loco sit chorda vel baculus, cujus extremitas vibrata, & crispata efficit, ut eundem motum in altera extremitate, quam manu complecteris, percipias. Ex quo suapte sponte fluit dum particulae spirituosae acidularum spiritus animales in ventriculi nervis agitant, concutiunt, cumiisque nonnihil tumultuantur; eundem e vestigio motum continuari debere ad cerebrum usque, & similiter afficere ejusdem incolas, unde effusa laetitia, & ebrietas, quae tamen cum & ipsa effervescentia non ita diu perennet brevi evanescit.

VI. His jam superatis syrtibus contra torrentem niti videntur, qui solo contradicendi studio perciti adhuc eorum objectant historias, qui ex intempestivo acidularum potu exsuccae phthiseos saevitiam perpessi diem suum obiere; nec enim exinde conficitur acidulas primarum viarum transgredi limites. Nam quid ego mirer homines in phthisin jam propendentes, quorum pulmones rimulis hinc inde hiscunt, porisque laxioribus flaccescunt, ubi insuper habitus corporis strigosior, arctum pectus aliaque plurima gliscentis mali significent atrociam, epotis his aquis phthisin incurrisse: imo esto exstitisse eos immunes ab omni pulmonum labe, quid quid dementiae est algidissimas aquas non pitissando, sed tuburcinando potare? tum enim quam facile potentissimum illud acidum in transitu asperam arteriam aggredietur, fibras corrugabit, humoribus circulantibus obicem ponet, qui sic acriores facti in pulmones distillantes immedicabilem eorum corrosionem cum inevitabili vaesani hydropotae interitu conjunctam inducent. Adde plenioribus rictibus ingurgitatos latices sanguinem caeterosque humores concentrare, qui sic stagnantes acrimoniam contrahunt, tumque torridi balsamicas partes roremque nutricium depascunt totumque corpus atrociter exedunt.

VII. Quae quum ita sese habeant firmum, & ratum esto acidularum virtutem extra primas vias non diffundi, nihilo minus tamen toti sanguini, universae machinae opitulari. Jam pridem enim non modo defaecatioris ingenii Medicis, & Philosophis; verum etiam lippis, & tonsoribus innotuit in ventriculo omnium fere morborum praesertim chronicorum strui fundamenta, ex hoc bene constituto, uti plena omnibusque numeris absoluta sanitas, sic, si ab integritate parumper aberraverit, infinitarum ex eo calamitatum per totum corpus dispergi semina. Conjicere hic & quasi per nebulam videre licet quid attendere in curando, & de quibus remediis nobis prospicere maximopere debeamus. Videlicet boni sapientisque Medici officio functurus originem, caussam, radicem morbi imperterrito animo aggrediatur eamque pro virili funditus evertere allaboret, ne saevientia symptomata imbelli pharmaco, nisi durum telum urserit necessitas, deliniat ipsumque interea fomitem linquat intentatum. Nec destituet spem felix exitus. Veluti enim ingentem arborem, & superbos ramos longe lateque diffundentem exstirpaturus radicem tantum diffindit, & allidit, quo fit, ut immanis ille apparatus humi fusus sponte emarcescat, sic quoque radice morborum in ventriculo evulsa funestae eorundem propagines quasi signo dato evanescent.

VIII. Ex eodem fonte derivo oculorum rectius lapidum cancror. potionumque vulnerarium interne assumtarum prosperrimum effectum in vulneribus atque ulceribus conclamatis. Illi enim, dum acidum vitiosum in primis viis absorbent, fermentativum ejus odorem cohibent, efficiuntque ut chylosae partes nullo peregrino sapore contaminatae vulneris coalitionem non modo non impediant, sed plane promoveant. Ad ulcera vero ista cacoëthea dum continuo appellunt particulae laudabiles, acidum istud corruptivum absorbetur, imminuitur, & dulcescit, tandemque laudabili exorta temperie alacriter omnique spe citius consolidantur. Potiones vero vulnerariae quantam, quam praeclaram navent operam

in

in vulneribus, & ulceribus depascentibus nemini, qui sacra nostra facit, latere potest. Recensuit mihi aliquando Vir nobiliss. experientiss. excellentiss. Dn. Vadschmidt. Med. D. ejusdemque in hac Acad. Profess. prim. Phys. ordinar. p. t. Rectot Magnif. Consiliarius, & Medicus cubicularis Sereniss. Princ. Hass. longe celeberrimus, Fautor, Patronus & Praeceptor meus omnigeno obsequiorum genere, dum vita manet, afficiendus, non neminem in abdomine graviter sauciatum, ubi externis incassum applicitis, ab omnibus cum Medicis tum Chirurgis incurabilis fuisset reputatus, jam jamque praesenti tabe mactandus videretur, accessisse nescio quam vetulam, quae vulgares herbas vulnerarias potui immisit familiari eumque aegrotanti bibendum praebuit successu adeo prospero, ut exin citra omnem spem brevi semianimis aeger convaluerit. Unde non parum ponderis accedere videtur trito Chirurgorum axiomati. Ars impedimenta tollit: natura, hoc est particularum figura, magnitudo textura, ad coalitionem idonea, sanat. Sic itaque decretum esto de acidularum operatione, eas acidum in primis viis fixare, absorbere, corrigere, imo si quid peregrini saporis ex circulationis lege ad primas vias delatum fuerit prompte imbibere, quin & chylum ita rite elaboratum, & ad sanguinem omnesque totius corporis partes delatum, & acidularum quasi contagio non persunctorie, aut superficialiter tinctum, sed intime imbutum quicquid morbosi, seminis hinc illinc resederit gnaviter infringere penitusque eluere.

CAPUT. III.

Persequitur morbis qui legitima acidularum administratione tolli posse videntur.

QUandoquidem satis jam actum videtur de acidularum operatione, ordinis exigit ratio, ut morborum in quibus debellandis utramque faciunt paginam acidulae, calculum ineamus. Quatuor superius morborum stationes, & classes adumbravimus. Prima dabat morbos nervoso vocabulo acutos dictos, quod tragoedias suas citato cursu pererret, sive jam emergat sive subsidat aeger, dicatque novissima verba. Hisce ne tantillum quidem opis hi ferunt fontes. Furiosam quippe salis alkali vel salis acidi volatilis effervescentiam, & effraenem ebullitionem tantum abest, ut placare acidulae possint, ut potius exacerbet atque intendant oleumque sic adjiciant camino: secunda & tertia morborum classis jure meritissimo aquarum usum proprium, & perpetuum sibi vendicat. Horum enim morborum Auctor quum sit rebellans, & ab alkali desciscens acidum, quod peregrinam larvam induens fixum crassum, & viscosum evadit inque primis viis castra sua potissimum metatur, hoc itaque ad debitum volatilitatis gradum exaltare poterunt acidulae, quo sic cum alkali compare suo pristinam societatem ineat naturalemque, & toti corpori proficuam effervescentiam irrite perennet. De quarto morborum ordine nil attinet dicere. Hi quum consistant in sideratione, & sphacelatione totius sanguinis ejusdemque crasis seminalis omnimoda eversione insuperque dictum factum, & fulminis ocius ictu dramata conficiant sua, insaniae argumentum foret, ignava accersere remedia ubi promtiora prostant, & sanguinis dyscrasiam tollere velle iis, quae nequidem ad eum nisi enervata perveniunt, denique copioso phlegmate ventriculum languentem, & flaccidum plane pessum dare, in quo tamen confortando omnem operam collocare debemus.

II. Prosequamur jam filum dissertationis nostrae pressiusque delineemus morbos, quibus quum nunc negocium habemus, quos inter familiam fere ducit conflata

flata in ventriculo cruditas acida, cujus tergo quasi incumbunt malum hypochondriacum, scorbutus, melancholia matre turpi filiae turpiores. Acidi vero istiusmodi rancidi in hisce morbis,& viscidi praesentiam manifestam reddere,& tanquam digito monstrare in proclivi omnino foret, nisi jam convictus essem neminem uspiam existere, qui a nobis hic dissideat. Ne quid tamen temere praetermittere aut inanem duntaxat praetextum caussari videar, agedum in me ipsum descendam, periculum facturus, nunquid ex animi sententia symptomata scorbuti ab acido vitioso derivare valeam.

III. Quod itaque plurimum negocii facessere solet scorbuticis symptoma, est anorexia. Quatenus nempe mucus acidus, viscosus & glutinosus, quo ventriculi parietes oblinuntur, & quasi incrustantur fermenti gastrici aculeos, & spicula obtundit, quo minus illa rodere superius orificium ventriculi spiritusque ad deferendum menti talem motum excitare possint. Quandoque tamen usu venit ut latrantem sortiantur scorbutici stomachum nullis fere dapibus placabilem. Tum vero istius appetitus auctor non est fermentum ventriculi, quin potius sal acidum volatile corrosivum,quo mucus ille impraegnatus est,aqua fortis indolem referens, quod superius orificium ventriculi non blande vellicat, sed crudeliter lancinat concutitque cibos ingestos impetu quidem aggreditur dissolvere tamen, & in laudabilem massam redigere non potest. Flatus: quando propter obstructos ventriculi, & intestinorum poros intus foras spectantes humor viscidus, & mucilaginosus concrescit, cum quo si occurrat acidum vitiosum, cum eoque vitiose fermentet, flatus oriuntur, qui modernis nomine gas sylvestris medii inter vapores, & exhalationes veniunt. Difficilem respirationem parit mucus viscidus, & acidus bronchia pulmonum infarciens liberoque aëris ingressui, & pulmonum elevationi remotam injiciens. 2. Si ventriculus flatibus expansus incumbat diaphragmati,quod, dum antiqua se ultro movendi libertate privatur, respirationis aliquam affert difficultatem. 3. Musculi abdominis, & thoracis respirationi inservientes si turgidi sint salibus scorbuticis nonnisi aegre, & cum labore elevantur. 4. Ubi nerveus plexus fibrosus pulmonum ab acido quodam, ubicunque locorum illud systemati nervino insideat contractus, & convulsus, vesiculas pulmonum membranaceas stringendo, angustiores & pro aëre suscipiendo ineptiores reddit, asthma siccum vel convulsivum progerminat. Adde 5. quod sanguis scorbuticorum a levissimo motu effervescens celerrime e corde in pulmones effundatur, quorum quum cellulae obstructae, & impactae sint humore tenaci, sanguis restagnat, & gravissimi anhelitus funebris existit parens. Dolor lateris punctorius excitatur a scybalis induratis mucilagine tenaci ac acore peregrino corrosivo imbutis, & hujus muci ponticus acor in viscida materia obstinate haerens, & continuo rodens intestinum colon in ea maxime parte ubi angustatum, & incurvatum sub sinistro hypochondrio incidit, & irritatione illa molesta in crispaturam, & motus spasmodicos cogit, e quibus doloris mira exacerbatio, & crudelitas, quum intestina velut per crampum contracta dolorem manifestent suum; unde & umbilicus introvertitur. Obstructio alvi: quod vel diaphoresis vel diuresis justo intensior serum glandularum intestinalium suffuretur & absumat, quo fit, ut faeces induratae pertinacem efficiant alvi obstructionem, vel propter austeritatem succi pancreatici bilisque inertiam; quae clysteris naturalis officio fungi deberet, vel propter spirituum paucitatem, qui fibrillas stimulando, & ad egerendum impellendo impares existunt, vel denique quod mucus intestina obducens motus peristaltici pressionem remoretur, & impediat. Tussis eaque utplurimum stomachalis nonnunquam pulmonica propter lymphae acrimoniam acidam asperae arteriae incumbentem, & fibrillas in spasmodicos motus abripientem. Taceo reliqua symptomata quorum enodatio per intemperiem sanguinis salsam acidam, & crassam perfacilis est. Sic putre-

putredo, & cruentatio gingivarum, dolor casusque dentium per acidum corrosivum, lassitudo artuum per lymphae crassitiem, & acorem spirituumque, qui ex inerte, & vappido sanguine sufficiente agmine prodire nequeunt, raritatem & inopiam, palpitatio cordis propter acidas, & viscidas, in sanguine praedominantes particulas vel propter grumusos quosdam sanguinis circa valvulas cordis coërcitos; sic enim aequaliter accendi, & turgescere sanguis quum nequeat tumultus, & turba cietur, quo & spiritus anim. in pari vago in ataxiam redacti cordis musculum atrociter concutiunt; enucleari concinne, & per apte possunt.

IV. Sed ne longior sim haec digito desultorie, & tanquam aliud agendo monstrasse sat esto. Antequam tamen ulterius provehar quaestiunculam quandam quam forte curiositas extorquere nonnemini posset; discutiam. Unde scilicet acidum tale vitiosum, quod nunc temporis Medicorum scholas tantopere perstrepit, primitus irrepere corpus nostrum soleat? Satisfacturus accersere hic cogor caput disputationis nostrae, ubi humani ortus historiam verbulo tetigi. In puncto illo saliente, cujus tum fiebat mentio si jam dum acidum praerogativam obtineat, quod forsan parentes in hunc vel illum morbum ab acido oriundum plus minus propendeant, pedetentim venientibus annis latius sese expandet, & una cum ipso homine incrementa sui capiet, donec tandem mediante certa materia subtili vel ingestorum simili qualitate malignitatem, & virulentiam suam prodendi ansam obtinuerit. Haec crasis seminalis pro diversa sui indole mille proseminat idiosyncrasias; quae ut in unoquoque innumeris modis variant, sic in medicina ingentes dant turbas. Quin & ipsum lac in utero matris haustum si particulis pinguibus, & flexilibus defraudatum, vel charactere aliquo morboso sigillatum fuerit, aut si errore diaetae in coagulum abierit, monstrosum hunc partum vel serius vel citius aliquando tamen enitetur.

V. Porro acidi hujus praenaturalis generationi favent sex res non naturales dictae, inter quas primas sibi vendicant aër, cibus & potus. Aër quemadmodum legitime constitutus, & sale nitroso blandi impraegnatus occultum vitae cibum impertiri nobis dicitur: sic contra, ubi illa atmosphaera cui innatamus, quamque necessaria reciprocatione inspiramus, & exspiramus salibus corrosivis aliisque heterogeneis particulis adulteratus, non potest non machinam hanc hydraulico pneumaticam mirifice turbare. Quid familiarius in spagyrica, quam colcothar exponere sub dio, quo sub Vulcani violentia enervatum imo castratum ab aëre refocilletur ejusque sale acido denuo imbuatur, nec solum hoc verum etiam tam sal quam aluminis terram aëri ad aliquot annos permissam novum alumen, novumque nitro ministrare norunt omnes chemiae studiosi. Quas vero molestias aut ut verius dicam, deformitates hyberno tempore iter facientibus affricet sal subtile aëris acidum armoniacalis forsan prosapiae affatim loquuntur labiorum, faciei, manuumque contractae asperitates, & superficiales fissurae lotione urinae aut saponis acris tanquam contrarii alkali curandae. Denique ecquis est quem lateat, quotiescunque vagatur fluctuatque in aëre sal tale corrosivum pessime valere ad unum omnes scorbuticos, & atrociter saevire plerosque ab acido derivandos morbos, quin imo regiones juxta Oceanum sitas ipsumque Batavium benignissimam caetera Doctorum virorum nutricem propter aëris delicatulis Musis minus commodi inclementiam male audire.

VI. Cibum & potum quod concernit, in propatulo est, omnes fere homines naturali quasi quodam instinctu, & desiderio in panem ferri & vinum, & raro horum capi fastidio. Colludit singulari modo panis cum fermento stomachali, & propter temperaturam insignem commodissimum suppeditat corpori nostro alimentum. Quum etiam panis imprimis secalinus stomacho ingestus propter spiritum acidum volatilem, qui tantarum virium ex eo destillari potest, ut & ipsa metalla

talla arrodat, docente Chimia, liquescens in stomacho in cremorem herbas & cibos, quibus cum est masticatus una colliquescere cogit, ut Helmontii verba mea faciam tr. victus 515. Est tamen modus in rebus certique fines, quos ultra si progressus fuerit, noces. Ita etiam si intemperantius, & largiori dosi solis Cerealibus te adimpleveris, fiet ut acidum illud in pane a ventriculi fermento pedetentim debilitato, indomabile & in sal salsum volatile immutabile e ventriculo elapsum toti corpori morbosa hinc inde insisturum sit stigmata. De vino eadem dicta sunto. Etsi enim propter praeclaras virtutes, quibus omnia antecellit vegetabilia, speciosos a veteribus extorserit titulos, jamque bezoardicum vegetabile; alibi aurum potabile vegetabile salutatum fuerit, nihilominus; o pueri fugite hinc, latet anguis in herba. Praeter enim spiritus salinos volatiles sulphureos acidum simul complectitur id quod solum in caussa est, quare ut ab eo abstineant, aegrotos nostros hortari solemus. Cernere id ipsum datur si vino oleū silicum vel destillat. salis armoniaci vel unicornu fossibile nothum asperseris, tunc enim stupefactus illud in ossam crassiusculam praegresso tumultu congelascere miraberis, indubio argumento divinum hoc naturae nectar acido quodam turgescere. Hoc ergo acidum vini benignum quamdiu partim in stomacho, partim in intestinis ope fermenti fellei subigitur, invertitur, & in sal salsum volatile redigitur nihil detrimenti affert: sin vero quotidiano, & familiari ejus usu vinci nescius, crudus, & acidulus liquor ventriculo exierit hostili toti corpori aciditate in intestinis tormina colica, in artibus pareses, & contracturas praeter mala arthritica, nephritica parturiet. His constare persuasum habeo, qui sanguini nostro sese insinuet, & nobiscum assuescat teneris ab unguiculis callidus, & versutus hostis acidum illud vitiosum, possem quidem imo deberem caeteras res non naturales excutere, & quomodo per earum abusum acorem contrahere sanguis posset evincere. Verum enim quum jam satis mihi indulserim, & citra spem longius exspatiatus fuerim, in viam redeam oportet.

VII. Scorbuto itaque, malo hypochondriaco, melancholia, passione hysteria quotquot divexantur his cum acidularum potus proprius pene, & quasi a natura consecratus videatur, tum commendatissimus esse debet, & quotannis iterandus. Plenum optimae spei remedium, & quale post hominum memoriam nullibi, quod sciam, tanta celebritate nominis, & in morbis hisce propulsandis efficacia claruit. Voti equidem sui compotes factum iri bona fide promitto. Illud enim vitiosum acidum cujus infandae toties ingemiscunt tyrannidi dum particulas Martiales in acidulis aggreditur in earumque poros sese insinuat, & e medio quasi tollitur, salia vero volatilia, quod crassum est incidunt, quod viscidum attenuant, quod fixum volatilisant, verbo, rebelles hasce intemperias funditus exstirpant.

VIII. Catameniorum quoque suppressioni ut & nimio eorundem fluxui medelam afferre acidulas haud aegre mihi patior persuaderi. Menstruo namque mulierum fluxui quum remoram, ut plurimum injiciant cruditates in primis viis collectae, quo humores, & ipse sanguis crudefacti, & incrassati ignavo feruntur per vasa passu, salia vero volatilia in acidulis motum fermentativum sanguinis redintegrat, duos istos pugiles calamitoso veterno pene sepultos suscitant, unde tributum lunare pristino more solvendi grata mulierculis redit potestas. Immodicus autem fluxus nihilominus quoque per idem sistitur remedium. Quandoquidem tum peregrinas effervescentias, & impetuosas in sanguine turbas conciat sal quoddam volatile oleosum, vel ut plurimum sal volatile acidum. Si illud, acidulae conferunt, dum salia acida compedibus suis figunt sal volatile oleosum, sanguinisque compagem incrassant, sin hoc, particulae Martiales illud absorbent, & concentrant, quo sic utrobique a diversis caussis motus tum progressivi tum intestini in sanguine excitatus, uno remedio refroenetur furor.

IX. Hydropicos insuper usu aquarum convaluisse memoriae proditum est. Verum quod notanter dico, post aliquot annos recidivam passi interiere. Itaque ne quid dissimulem, sic mihi persuasi, sic sentio, pace tamen eorum, qui secus judicant; sicubi vasa aut lymphatica, aut lactea nondum rupta sunt, sed chylo lymphaque lenta, & crassa tumefacta, fermenta viscerum nondum penitus castrata, ipsa viscera labis expertia, nonnihil spei situm in acidulis esse: est vero si pallor, & viva mortis imago in ore sedeat, vel ut medice loquar, facies adsit Hippocratica, aeger gravissimum ab imo pectore ducens anhelitum parum absit a suffocandi metu, dira tabes depascat superiora, inferioribus immane quantum intumescentibus, totum corpus quasset effera tussis, urina detineatur sitis inexstinguibilis urgeat, ibi ego suasor existerem; ut ex templo missis fontibus, aeger non tam de corporis, quam animi prosperitate iniret consilium.

X. Utrum vero calculosis suaderi debeant acidulae, necne, ut quod res est eloquar, haereo. Propria quidem experientia destitutus Practicorum in divortia abeuntium huc illuc distrahor discordia. Nonnemo tamen, qui de fontibus Spadanis scripsit non incongrue forsan; possemus, inquit, nonnullos referre gravissimis ex renum, & vesicae doloribus afflictos, qui interea dum hunc fontem biberent a doloribus liberi furint, non tamen idcirco sanitati restituti. Praeter missa siquidem hujus potione etiam acerbius quandoque pejus doloribus habuerunt. Fortem hariolari datur caussam. Acidulae per renes percolatae continuo allapsu arenulas, & omne sabulum eluerunt sedita eluerunt, ut relictis particulis acidis novorum calculorum rudimenta jam sensim coeperint sub oriri. Sic enim relictum istud sal acidum sal volatile urinosum in urina concentrans accedentibus corpusculis terrestribus novos generavit calculos, ab inde repullulascens malum acerbius, quam olim recruduit, Nec ille forte a scopo multum abludet, qui fallaces hasce dolorum inducias imputaverit sali vitriolico, quod stuporem nervis inducendo doloris sensum obtudit, aut etiam ipsis aegrotantium moribus, qui se totos hilaritati permittentes, tristes & ingratas hasce sensationes minus attenderunt, domum autem reversi utroque cessante, solitudinem praeterea amantes, minimos etiam corporis sui motus exactissime perceperunt.

XI. Scabiem cedere acidulis magnam prae se fert veri similitudinem. Nascitur illa a sale volatili acido caustico per arteriarum poros transudante, & ad superficiem delato cuticulamque erodente rorem nutricium identidem corrumpente sicque foedissima crusta horrentibusque squamis totum persaepe corpus obducente. Hoc vero ab acidulis dum ligatur, absorbetur, & dulcificatur alimenta tanquam surripiuntur deformi malo, quo ablata ulrerius serpendi potestate, ultro decidat. Nec minus contra vermes decantari solent acidulae, quia ab harum usu numerosa eorum ejectio crebro fuit observata. Nec reclamat ratio. Nemine enim clam esse potest, suffragante rerum optima magistra experientia, omnia acida turpem lumbricorum prosapiam feliciter eliminare. Idque fieri existimo quod acida constent particulis rigidis, oblongis, gladiolos aut aciculas referentibus, quae dum vehementius adiguntur in vermiculorum corpuscula non potest non ipsorum textura inverti fibrae discerpi, & ipsi vermes in minusculas atomos dissolvi, vel saltem ita impelli ut molesto, & ingrato acore perculsi, qua data porta erumpere cogantur. Acidulae, cum blandiusculo acore superbiant, quid in recessu contra hoc malum gerant, conjectu non est difficile, nec puris propterea denegandae in primis, cum tinctura Martis, quae natura proxime accedit ad acidulas, contra lumbricos a quibusdam in secretis habeatur.

XII. In lue Venerea compertum acidularum usum hi salutarem illi perniciosum venditant, experientiae experientiam opponendo. Omnino pendeo animi nescius cui astipuler rationum tamen ponderibus accuratius trutinatis, mallem assur-

assurgere parti approbanti. Fallax est experientia, infida, & lubrica, & nisi ratione adjuvetur, coeca errorumque fertilis. Ecquid vero raris accenseri meretur, si unum idemque medicamentum in diversis subjectis eodem morbo laborantibus diversos sortiatur effectus? Potuine ille conformiter, & congruenter praescripto Medici, alter post habitis diaetae legibus, quae ad salutem spectabant maxime suo ingenio, hoc est; dissolute & intemperanter vixisse? Idem itaque inter hydropotas quandoque contingere ne mireris cuicunque scire datum est extremum discrimen saluti nostrae haud raro imminere ex tantillo in diaeta commissi erroris. Id propter quo scorbuticis, quo Scabiosis, eodem etiam modo lue Venerea infectis commodo fore acidulas, quum & hi morbi gradu saltem differant, arbitror. Scrupulum forsitan pariet appropriatus acidi corrosivi in hoc morbo, ab eo, quod in caeteris peccat sapor. Sed largiar tum non plane evelli, mitigari tamen posse id mihi nunquam poteris praefracte inficiari.

XII. Teterrimos tandem foedosque visu funesti Icteri colores abstergere putantur acidulae. Nec id a vero abhorret. Palam est Ictero, ut plurimum nascendi occasionem praebere folliculi fellei obstructionem vel ab humore quodam viscoso, vel calculo introductam. Illa vero obstructio plane foret impossibilis nisi bilis crasi sua exuta, a succo pancreatis acido, & austero fixata, & coagulata accessu corpusculorum terrestrium, quorum generatio in sanguine terrestri est satis proclivis, in dulech vel calculum abiisset. Alioquin in statu naturali non fert acrimonia salina volatilis bilis ullam concretionem, ullam obstructionem. Ex quibus jam conficitur, & illam obstructionem petendam pariter esse ex primis viis. Sin chylus in ventriculo fuerit elaboratus viscidior, facile, dum illi attenuando, & volatilisando inanes insumunt vires succus pancreaticus, & bilis, deficere, & inertiores reddi continget. Oriri quoque Icterus potest ex liquamine nidoroso in ventriculo fluctuante, ubi succus chylosus in americantem facessit nidorem aut ex vitiosa alteratione succi pancreatici, & bilis, si nempe hi duo liquores, quoad minima sibi invicem non misceantur, indeque inhabiles evadant praecipitationi faecum a particulis laudabilioribus nutritioni destinatis. Hincque est, quod non modo flavo, sed viridi, sed tetro, sed horrido, imo dictu ineffabili colore defoedentur hujuscemodi aegrotantes. Succus namque ille pancreaticus austerus fixus & iners redditus cum bile identidem vitiata superficialiter tantum mistum intactum relinquit chylum, qui recrementis suis involutus, cum vehiculo seroso ad superficiem corporis delatus nefandum cuti adspergit colorem. Coloris turpitudinem modo dicto nasci, si cui experiri animus est spiritum vitrioli bili affundat, mirosque colores in liquore, dictum, factum, exsurgere stupescet. Quemadmodum vero commistio bilis, & succi pancreatici vitiosa peregrini coloris origo est, sic porro prout vel acidum vel bilis praedominatur nunc plumbeus nunc niger, nunc viridis, imo mille modis variegatus color se prodet. Illi vero in oculos incurrunt dum radii luminares in cutem incidentes aliter atque aliter prout sub ea delitescentes humores figura, magnitudine, situ praediti sunt versus spectatorum oculos reverberantur. Verum enim quum nec instituti mei ratio sit peculiarem tractatum de Ictero conflare luxurianti calamo fraenum injicio, & quae in hanc rem fusius a me dici possent aliis, quibus abs re sua tantum ocii superest exornanda atque amplificanda, integra remitto. Paucula haec attulisse sufficiat, quo constet quantum acidulae valeant in curando Ictero inprimis sic dicto nigro. Illae enim quando acidum ratione Martis aliorumque salium figent, & absorbent viscososque humores attenuant, bilis inertiam exacuunt tragicique Icteri scenis felicem imponunt catastrophen.

CAPUT IV.

Tradit circa usum fortium acidorum observanda.

HUc tandem facili aura faustoque provecti sydere ad ultimam disputationis nostrae partem nos accingimus de acidorum usu paucis cognituri. Idque ut ex animi sententia consequamur decreta quaedam proponam, quae, sicubi iis sollicite mos geratur, e re & salute aegrotantium fore duxero.

I. *Acida, si conditio aegrotantis illud ferat, in loco natali bibuntor.*

Merito hic perstringere debeo eorum errorem, qui nihil referre putant, si deportentur acidulae, quum tamen spirituosis particulis, aestuante praesertim syrio, exhalantibus, viribus orbae suis vappescant.

II. *Acidas bibiturus primas vias sordibus liberato.*

Profecto si, quod res est, fateri liceat, omnino persuasus sum, quod plurimis sinistre cesserit acidularum usus exinde ortum fuisse, quod purgatione susque deque habita, profane in haec sacra involaverint. Nec enim secus accidere potest, quin febres, hydropes, aliaque mala citra opinionem invadant insanos hosce, & temerarios potatores. Quam facile turbatur sanguis in sua mistione, dum acidulae liberalius ingurgitatae, quas in primis viis offendunt sordes, ad sanguinis massam secum abripiunt, quae quum alius sint figurae, alius magnitudinis, aliosque poros habeant, quos materia aetherea massam sanguinis permeare solita, libere ingredi nescit, luctam & effervescentiam inducunt febrilem. In hydropem quoque proni feruntur. Hospitantibus namque hinc inde sordibus libero meatu frustratae acidulae in vasis lacteis, & lymphaticis stagnant, quibus tandem erosis aqua in cavitatem abdominis erumpit. Cauto itaque hic opus est, nec flocci faciendus receptus ille mos alvum laxandi, quo acidularum operatio felicius succedat. Nec est, quod operose, & curiosius quam utilius delectum inter purgantia velimus instituere, & cum veteribus nunc phlegmagoga, nunc hydragoga, nunc cholagoga, nunc melanagoga praescribere. Etenim amabo te, quisquis veteribus adhuc dum succinis, eorumque partes defendere satagis, cognoscendi facultate pollere putas purgantia, ut cholagoga bilem, hydragoga solam aquam, Melanagoga solam Melancholiam evacuare tantummodo debeant? Taceo humores hos formaliter non praeexistere in massam sanguinis quam jejunum, quam rancidum, & ab omni ratione alienum est rhabarbaro solam bilem educendi vim adscribere, studio quasi relictis aliis humoribus? Nisi illud forte tali textura, & hujusmodi poris constare dixeris, ut quum hoc potius, quam illo humore effervescat, aut certam transmittere materiam aethereram, quae minus libere humorem biliosum, quam alios permeat, unde lucta exorta glandularum ope ad excretionem humores stimulari; tum vero haud aegre, & plausum a me palmamque impetraveris. Caeterum reticere non possum, incassum circumferri melanagoga, quum melancholia hoc est acidum vitiosum omnium omnino vim purgantium eludat. Testes sunt purgantia inprimis vegetabilia, quae corrigi vel potius castrari in confesso est ab aceto. Testes sunt diarrhoeae, dysenteriae, hypercatharses, quibus omnia acida opem ferunt. Testes denique melancholici, qui ad unum omnes difficilis sunt purgationis propter acidum illud fixum, & viscidum, quod in ventriculo latet; quum enim omnium purgantium vis consistat in sale volatili acri penetrante, illud ab acido viscido concentratum, & fixatum virium suarum irreparabilem jacturam faciat, oportet. Lepidum & salsum certe est, quod homines e plebe eos sanissimorum numero accenseant, & validiores complexionis esse judicent, quibus difficulter ab hausto purgante alvus solvitur quid? Quod egregium fucum proprio conjunctum dispendio sibi

sibi faciant Melancholici, qui exin mirum in modum sibi placent, & tacite ut morbi agnoscas indolem se aliis anteponunt. Ego vero mallem ipsisque ex animo voverem, ut hoc sensu debilioris essent naturae; sic in meliore statu res ipsorum forent. Sed ne extra oleas: hoc quoque monendum duco, quum omnia fere purgantia excepto rhabarbaro, & aloë aliquid malignitatis possideant, non promiscue quaevis esse praescribenda. Habent enim in se venenum acre colliquefactivum, qui terminus Helmontio debetur, vel sal volatile acre, quod particulas massam sanguinis exagitat, turbat, fundit, & colliquationem inducit: hinc irrepsit mos, ut, non nisi correcta, usui destinentur. Etsi vero sint, qui in correctionem, quae per acida fieri vulgo assuevit, acriter debacchentur, eamque pro castratione habeant, dum sal volatile acre, in quo consistit facultas purgatrix, ab acido figitur quaeque portio ab eo non tangitur, cruda nihilominua manet & noxia, experientia tamen docet, ea satis feliciter circumspecti, & prudentis Medici voto satisfacere. Potiremur utinam modo praeparandi purgantia, quem illi vehementer plenoque ore jactitant, sed quum nobis non licuerit esse tam beatis, sorte nostra contenti ac quiescemus vulgaribus praeparationibus. Praescribamus itaque purgantia mitiora, vel, ut clarius loquar laxantia dicta, quae motum peristalticum leniter premendo, primas vias elutriant, nec ultra tres 4. 5. vel 6. sedes creant. Quod si mitiusculo operata videantur altero die repetas potius, quam ut uno purgante totam machniam crudelius quam salubrius concutias. Placet senex noster aphor. 23. sect. 1. *Quae prodeunt, inquiens, non copia aestimanda sunt, sed, si prodeant qualia oportet, & facile ferat.* Item apoph. 25. *si qualia purgari oportet, purgentur, confert, & facile ferunt, si vero contraria, difficulter.*

Pro exemplo sunto seq.

℞. *Pulv. rad. laxat. veget.* scrup. sem. *resin. jalap. semin. melon. contrit.* ãã. gr. iij. *tartari vitiolati* gr. viij. *ol. foenic* gt. 1. misc. f. pulv.

℞. *Mann. elect.* unc. j. sem. solv. cum *aq. cichor.* add. *crem. tartari* drach. 1. *sir. de cichor. cum rheo* unc. j. mis.

℞. *Extracti diacitri* scrup. ij. solv. cum *aq. fumar.* adde *salis tartari* gr. vj. *pulv. rhei* scrup. sem. *sir. ros. solut.* unc. j. *aq. cinnam.* drach. j. mis.

℞. *MP. de gummi ammonia. Quercetan. tartarear.* ãã. gr. v. *troch. alhand.* gr. iij. *ol. destill. foenic.* gt. ij. misc. f. pilul. num. XV.

III. *Acidas hausturus non purgans, sed alterans medicamentum se assumturum, probe meminerit.*

Miscent quadrata rotundis, qui laxam ab acidulis alvum exigunt. Quid absurdius quam a Marte, a nitro, alumine, aliisque id genus salibus illud sibi polliceri, quod in eorum potestate tum non est. Imo vero quum nec ipsorum morborum genius, quibus curandis plurimum conducunt acidae, ferat purgantia, utpote quae, uti cuivis liquet, mala chronica exasperans, neutiquam tollunt, quid, quaeso, ineptus, quid indignius excogitari potest, quam ab integerrimo pharmaco suspectum, quoque maxime vacat toxicum poscere? Acidum vitiosum parentem omnium malorum chronicorum, fatigor toties eadem dicendo, absorbent, concentrant, & figunt acidulae, fermenta viscerum restaurant, fixa volatilisando, viscida incidendo, robori vitali totam machinam reddendo, quod vero purgandi vi valeat nihil datur in his aquis reperire. Quod vero nonnunquam creberrimis stimulis aegrotos pene fatigent, id primo phlegmati copioso deinde acido vitioso a Marte absorto & exitum vi & impetu sibi quaerenti, & motum stimulanti aut prementi peristalticum in acceptis referendum censeo.

IV. *Sub usu acidularum curato, ut alvi habeas beneficium.*

Scilicet bis, aut ad minimum semel singulis diebus. Absorptum enim acidum vitiosum a particulis martialibus e re fore videtur, ut una egeratur, quum & alias

siccior

ſiccior existere alvus ſoleat. Huic ſcopo nihil adeo ancillari videtur quam pruna laxativa, paſſulae laxativae, quae inter paſtum in uſum vocantur. Verum quum nec plebejos ea fugiant, non erit, quod in iis ulterius velim morari.

V. *Hinc quoque cautum eſto, ut una vel altera hora antequam fontem adeas, laxativum aliquod delibes.*

VI. *Specificorum illi morbo, quo premeris dicatorum, apta interpoſitione deſidem fontium vim ſtimulato.*

Aut alternis diebus laxantia, & ſpecifica uſurpare, ſi ita videtur, poteris, aut ſub aurora laxans, occidente vero ſole hora una ante coenam appropriatum ſumere medicamentum. Sic in malo hypochon. & ſcorb. elix. propr. eſſ. abſinth. eſſ. zedoar. eſſ. calami aromat. eſſ. carmin. ſpir. cochl. naſtut. tinct. tartari, tinct. myrrhae, &c. elix. antiſcorb. elix. febrile Mynſ. tinct. Martis, Zvvelf. eſſ. pro acidulis D. D. Waldſchmidt Praeceptoris mei aeternum venerandi, quae hic locorum ſua ſe praeſtantia jam pridem commendavit. Nec de nihilo fore reor, ſi cuipiam allibuerit ex alterantibus, & laxantibus conjunctis vinum ſibi parare medicatum. Ex. gr.

℞. *Summit. abſinth.* m. i. *herb. centaur. min. menthae. hepat. nobilis* ãã. m. ſem. *rad. zedoar.* drach. j. ſem. *galang.* drach. ſem. *acori veri* drach. ij. *raph. ſylv.* drach. j. ſem. *cort. aurant* ſcrup. ij. *fol. ſenn. ſin. ſtip.* unc. j. ſem. *rhabarb.* drach. ij. ſem. *agar. opt.* unc. ſem. *ſalis tartar.* drach. ſem. *caryophyll.* ſcrup. ſem. *foenic.* ſcrup. j. *paſſul. minor.* unc. j. ſem. Inciſ. & contuſ. groſſe ſum. ſpecies. Includi poſſunt ſacculo, vel dari ad cartham pro lubitu. De hoc vino 1. vitrum omni mane una ante aquarum uſum hora bibito.

VI. *A vitro uno vel altero auſpicare, numerumque pedetentim auge, ultra tamen, quam vintriculus ſine nauſea, & faſtidio capere poteſt aſſumas, cave.*

Lex eſt, ut ab aliquot vitris ad viij. xvj. xx. xxx. xl. vel & ultra quidquid etiam obnitatur, & faſtidiat ventriculus interrupto ordine pertinaciter aſcendant. Haec ab imperitis promulgata viles animas non modo, ventoſumque vulgus, verum etiam e magnatum numero haud paucos adeo invaſit, ut ab ea vel tranſverſum unguem recedere mortis inſtar habeant. Tantum ſcilicet valet inveteratum praejudicium, ut quidquid etiam in eodem evellendo allabores, operam tamen perdas. Uſque adeo ut imitari ſatius videatur Medicos frugi, qui ulcera cancroſa etiam tangere religioni ſibi ducunt. Si quis tamen eſt, qui locum relinquit rationi, rerumque momenta aequo & vacuo praejudiciorum animo ponderare deſideret, haud invitus in ſententiam meam utroque quod ajunt pede concedet. Palmarius, cui inſerviunt acidulae ſcopus eſt acuere & exaltare fermentum in ſtomacho, id quod praeclare praeſtant, ſi unum vel alterum earum vitrum jejunus haurias. Siquidem tum ſalia volatilia in acidulis tenacem illum mucum oblinentem ventriculi latera, fermentumque gaſtricum involventem, reſolvunt, diſcerpunt, abſtergunt, ſopitumque appetitum ſuſcitant. Verum enim vero ſi plenis buccis ingurgitare ſuſtineas Medicos hoſce latices ſupra quidem, quam ferre ventriculus poteſt, parum profecto aberit, quin praecipiti hoc potandi conſilio, fatum ſibi ſis anticipaturus. Nec enim aqua aut phlegma eſt, quod ſalutem tibi afferre vel debeat, vel poſſit, ſalia illa in umbilico terrae aqua ſoluta, haec illa ſunt, quae domare valent flebile morborum genus. Quod ſi itaque largius, quam par eſt, has aquas haurias quid aliud futurum putas, quam ut tonus ventriculi, relaxetur, fermenta viſcerum flacceſcant, aqua hinc inde, ſtagnet, quumque nimia ſui copia non inveniat, quo flectat iter, tu interim ad hydropem, hecticam, dyſenteriam, aliaque lethifera mala tramite ruas irreamabili. Exauctorari itaque & antiquari velim illam legem, quae non ad ſalutem hominum, non ad acidularum decus, quin illorum perniciem harum indebilem ignominiam nata & lata, hucuſque contumacius

macius quidem, quam par erat integra pariter, & sancta ubicumque locorum servatur.

VII. *Tum vero consultum summopere erit discutere curas, studiorumque graviores molestias, dare nonnihil voluptati, in jocos & sales resolvi, imo venando, ambulando, confabulando, ludendo temporis taedia fallere verbo hilaritati gnaviter studere*

Non temere Auctores existere solent Medici potatoribus aquarum ut motui corporis, mentisque serenitati operam dent, nec tamen propterea quae sententia plebitati sedet, ut eo celerius descendant (utut congrua explicatione & hoc concedi queat) quin potius, ut promoveatur acidi exorbitantis motus ad appropriatum magnae activitalis suae objectum, adeoque promtius ab eo absorbeatur. Dum enim progressivum illud rapidiorem non potest non insequi motus particularum intestinus paulo vehementior, acidum istud peregrinum sub ista concussione & agitatione contrahi motum simul concipiet & cum salibus volatilibus acidularum concurrendo in novam texturam facesset, quo ad naturalem eucrasiam humoribus restitutis, nova & indubia salutis spes affulgeat toti microcosmo.

VIII. *Morsulis stomachalibus, & confectionibus anisi, cumini, aliisque saccharatis nuncio remisso magni facias aquam cinnamomi, zedoariae, aut alia spirituosa, quorum officinae nostrates non tam inopia laborant, quam copia.*

Ruit in vetitum nefas ignara aegrotantium cohors, dum non adeo attendunt ad ea, quae expediunt, quam quae sapiunt. Haec illa fundi calamitas hinc illae lachrymae, multorumque super alios labentium ingens cumulus, dum error per manus quasi traditur pecudumque more sequuntur, antecedentium gregem pergentes non qua eundum est, sed qua itur. Saccharum quidem simile videtur iis hominibus, qui aliud lingua promtum, aliud corde conditum tenent, praesentes suavissimo verborum lenocinio demulcent, ast absentes traducere, famam eorum sugillare, criminationibus denique, calumniis, scommatis spurcissimis in eos furere non modo non in vitio ponunt, sed laudi sibi vertunt, ac honori. Non secus ipsum saccharum gratam quidem prima fronte exhibet dulcedinem, ast in recessu acerbissimum & truculentissimum occultat toxicum. Quod ut eo evidentius appareat, longius hic excurram, saccharumque ad vivum resecare, quantum quidem in potestate mea situm erit, moliar. Saccharum modernum ab eo, quod veteribus fuit in usu toto coelo differt. Veterum fuit liquor quidam roscidus, subtilis nocturno tempore elevatus circa arundinem, & subsequente calore solis coagulatus propthereaque vocatur etiam mel arundineum mel in cannis concretum: Galen. 8. meth. & 7. simplic. Dioscor. lib. 2. cap. 75. Hinc Paulus Aegineta lib. 7. cap. 3. salem Indicum vocare videtur, quod interdiu superveniente solis calore induretur, & concretum salis effigiem referat, &c. Nostrum vero est succus ex planta arundinacea, & bene contrita expressus, calore ignis aliquantisper inspissatus, tandemque defaecatus non inepte vocatur sal, vel sulphur ex succo arundinum per coagulationem ignis elicitus. Differunt inde nostras, & veterum saccharum 1. materia, quam nostrati suppeditat succus ex arundinacea planta expressus, & inspissatus, materia veteris fuit ros sensim sensimque coagulatus & inspissatus circa arundinem in forma mannae, nam ros dum se junxit cum exhalationibus arundinum, saporem ab illis accepit subdulcem, hinc mannae nomine olim claruit. 2. Forma antiquorum saccarum salis granulati prae se fert formam, nostras succi inspissati. Differunt 3. caussa efficiente. Quum nostratis est torcular exprimens succum, & aquam idem inspissans: antiquorum vero saccari est solis calor blande stringens, & indurans rorem nocturnum circa arundines in formam granulorum salinorum. Denique proprietatibus & efficacia quum nostrum purum potum sit artificiale; veterum naturale: hoc praeterea vi abstersiva & laxativa clarum fuit & ce-

lebre; quum de nostro idem praedicari nequeat. Non ego jam persequar, diversos elaborandi saccharum modos, quos in pharmacopoeja Schroderi, si vacat, lege. Quoad refinationem vero illud praeterire nescio litem moveri a quibusdam utrum sit praeferendum finum an refinatum. Refinatur autem hoc modo. Solvitur saccharum in aq. calcis vivae, coquitur, despumatur, & postmodum inspissatur, inque formulas effunditur inferiori parte perforatas, ut faeculentus & glutinosus succus defluat. Hic quis foret ingenio adeo pingui, quin advertat, saccharum ita innutriri & imbui quasi acredine corrosiva, adeo, ut quo magis refinetur, eo magis corrosivum evadat, pulmonibus, partibusque internis infensissimum: ut ut autem non finum aliquantulum praepolleat, tantae tamen non est innocentiae, quin eodem fere cum priore jure damnari possit. Origine sacchari bene pensata, quum nihil aliud sit, quam succus plantae inspissatus, planum & perspicuum est, turgere saccharum particulis admodum fermentescibilibus tanquam principiis plantae constitutivis. Facem nobis hic allucet Chemia. Saccharum namque destillatum per arenam subministrat spiritum acidum corrosivum instar aceti, qui corallia corrodit, perlas, aliaque subjecta. Porro quum sal culinare carnes immunes a putredine praestet hoc contra inducit. Nec praetermittere debeo saepiuscule observatum fuisse tempore pestis ditiores, quod sirupos, eclegmata, conservas, & alia saccharata plenis faucibus abliguriverint ad plures abiisse illis contra, qui propter curtam suppellectilem, solvendo non fuerant cariora & magna constantia pharmaca ex usu herbarum simplicium convalescentibus. Tandem quod caput rei est, omnes melancholici, hypochondriaci, scorbutici, hystericae, cachectici pessime habent ex saccharo, atque hi illi sunt, qui catervatim ad hos fontes advolant & ab iis suppetias exorant. Quo magis animus nobis augetur audacter reprehendere saccharum ejusdemque adeo perniciosо usu aquarum potatoribus serio interdicere. Stant insuper a me omnes omnino practici, quos multos esse passim reperies in [illegible]agibus, quas edidit frequentior sacchari usus, aperiendis. Etsi sint qui pectori solatio & refrigerio esse pronuncient, refutantur tamen experientia doctissimorum virorum, ipsaque ratione, quae pluris nobis fieri debet mille auctoritatibus. Quum enim omnia acida, acria, corrosiva pectori in primis ulceribus pulmonum sint hostilia, quo colore decocta pectoralia, saccharo liberalius conspersa & edulcorata excusari possint, omnino ignoro. Suffragatur nobis celeberrimus quondam Ettmullerus in praxi sua cap. XII. pag. 94. Pectoris mala inquiens utut iis familiarissime saccharata praescribantur, in nimia tamen copia potius aggravant, viscidiora reddendo excrementa & putrilaginem, & corruptelam pulmonum intendendo. Nonnihil nervorum his accedent; si innuero, dentes eorum, quibus saccharum est in deliciis sensim sensimque turpi obduci nigredine, sordescere, foetoremque spargere intolerabilem, vacillare, carieque exesos demum excidere. Abeant ergo in malam rem omnes Medicastri cum suis sirupis, conservis & confectionibus, quibus tantum abest, ut salutem aegris ferant, ût potius immani ausu, turpiter eos eant perditum. Sed de saccharo satis multa. Nunc redeat eo unde reflexerat dissertatio nostra.

IX. *Alvum quidem apertam habere jubeo, sed id diligenter attende: nequid nimis. Arcum enim si nimis intendes, franges. Omnium autem rerum optimum temperamentum est mediocritas.*

Non ego haec gratis affero. Siquidem haud pauci jussi sunt ire eo, unde negant redire quenquam, dum alvum justo irritatam crebrius, lethalis excepit dysenteriam. Aquae siquidem dum vias has continuo allambunt, laxant fibras, serum exhauriunt, sanguini affricant diathesin acrem fermentescibilem, acre illud volatile in acidulis, dum sese insinuat profundius, arrodit vascusa sanguifera, quibus apertis, sanguis sub forma sanguinis ferociter erumpit. Quin & ipse sanguis effervescen-

vescentiae proximus, aucto ejusdem insigniter motu centrali, cum solenne non sufficit amplius effectat, spatium, hinc ad intestina immani, efferoque ruit impetu, ruptisque repagulis & remotis obicibus, qua data porta effluit. Hic itaque apprime erit utile, ut aliorum damno sapiamus, ne in idem nos trahat dispendium potandi male sana libido.

X. *Prandium esto opiparum, lautum bibis, eupeptis superbiens, valeat cerevisia, de vino tibi prospice non crudo, & austero, sed optimi commatis, idque meracum, non aquis dilutum, nec ultra mensurae quadrantem bibito.*

Caelo hic de industria cibos, qui palmam sibi prae caeteris vendicant, neminem enim luxurioso hoc saeculo, ubi non amplius cibus, quem occupamus, satiat, adeo hospitem & obtusi reor esse palati, quin inter dapes suopte ingenio delectum facere sciat. Omne momentum situm est in bonitate vini, quod hac tempestate non minus rarum est, quam vinipola integer vita, scelerisque purus. Maxime scopo famulabitur vinum heleniatum, vel cui aliquot gtt. essentiae pro acidulis magnif. atque exper. Dn. D. Waldschmidii immisceris. Vinum absinthites data opera transeo. Suspecta namque mihi est vis ejus cum soporifera tum astrictoria, utut in quibusdam laxare credatur, quae utraque symptomata quovis modo averuncari potius quam temere accersere debemus. Nec tamen approbare possumus praeposterum eorum morem, qui vinum aquis mistum mensae apponunt. Ut enim taceam neminem Medicorum nec moderni saeculi existere, qui partibus eorum faveat, certe nulla afferri potest ratio, quae illis patrocinetur. Quandoquidem quum gnaviter lotium stimulent acidae, abinde id duntaxat exspectandum superest, ut derepente fulminis instar invasa sua propulsus ruat chylus, crudusque adhuc, necdum bene subactus evaporet, vel ad vias praeceps datus urinarias feralem pedetentim parturiat diabeten.

XI. *Carnium, pisciumque in pastu mistionem vitato, alterutro contentus, imo si tibi vis consultum piscium sum ex toto proscribito.*

Caro animalium terrestrium & aquatilium diversis salibus & principiis foeta videtur, in his acidum, in illis alkali magis praedominari. Quod si utraque inconsulte misceatur, non possunt non sibi invicem tumultuari, sanguinemque in febriles turbas transversum trahere.

XII. *A prandio cave somnum, fuge languorem, vaca laetitiae, & amicorum confabulationibus, aliisque honestis generosioris animi relaxationibus, quae maxime tibi sunt voluptati.*

Trito usu proverbii formam induit. Non bonus est somnus homini a prandio. Cujus veritatem astruunt illi, qui a prandio somno compressi, iterumque expergefacti, illico de peregrino, & nescio quo sapore, appetitu dejecto, gravedine capitis, quin & vertigine, virium paucitate, & membrorum lassitudine conqueruntur, luculento testimonio chylificationem in ventriculo insigniter esse labefactatam, quod fermentationes tempore somni semper sint torpidiores humores segnius moveantur, chylus conficiatur crassior, hinc & sanguis, & spiritus, & lympha cruditatibus multoque phlegmate inquinata vigore spolientur suo, ex quibus memorata symptomata haud dubie scaturiunt.

XIII. *In Veneris palaestra justitium tibi esto bene gnaro, tum demum vacandum esse Veneri, quum quis semetipso vult fieri imbecillior.*

Rationem hujus reddere & si promtum mihi & expeditum sit, quum tamen verear ne temerati matrimonii dicam mihi quispiam impingat, si coelebs sacra haec excutiam curiosius, consulto quae hic effutire decreveram, praemitto.

XIV. *Bacchanalia autem hydropotis dissuadere superfluum puto. Fungus enim sit oportet, quisquis nesciat, capitale dissidium Bacchum inter cedere, & Hygeam temulentumque illud, & vesanum idolum cum in omni vita nostra, tum praeci-*

pue ubi sanitati operam navamus horrori nobis esse debere & fastidio.

Hic vero partium mearum reor esse carpere stupidissimorum hominum insanam sibi ipsis nocendi libidinem, qui a prandio, vel potius a coena perdere se tempus & sanitatem putant, nisi fumo nicotianae vere perdiderint utrumque. Catarrhos ita exsiccari, pituitam absumi vulgo sed perperam & suo damno praetexunt. Quin fac ita esse: leviusculum profecto & perexiguum, hoc est commodum, sed irreparabile damnum, quod lento, sed certo passu succedit, tarditatemque sui gravitate & multitudine miseriarum compensat. Ipsam, ut alia incommodo taceam, operationem acidularum non parum sufflaminat infensissimum videlicet capiti, spiritibus, generi nervino, sulphur. quod in sinu gerit, narcoticum. Hinc somnolentos, stupidos, & bardos reddit homines, adeo ut albo corvo rarius sit, ingenii gloria excellere, quotquot divinae Palladis arcem atro hoc fumo ad multam noctē usque obnubilant. Adde, quod appetitū prosternat partim, dum stupore orificium occupat ventriculi sinistram, partim dum sal ejus volatile oleosum fermentum salinum stomachale castrat, ejus spicula hebetat, quo cessante stimulo, cesset oportet ipsa fames. Nec indignum est memoratu suffitum nicotianae tingere pulmones atro colore, tetrisque maculis, eosque exsuccos reddete, & aridos, imo fenestram asthmati aperire pervicacissimo, quum tamen, quod mireris, ejusdem sirupus sed bene praeparatus, in asthmate curando, nulli cedat remedio. Ratio forte est, quod oleum ejus narcoticum in suffitu rarefactum stringat & corruget nervos pneumonicos unde compressae & conniventes parumper vesiculae pulmonales liberum aëri praecludunt transitum, libereque pariter respirandi tollunt potestatem. Quin etiam contingere potest, dum appetitum infringit, multum cruditatis in ventriculo cumuletur, sanguis generatus crassior, perque pulmonum trajiciens vascula, haud pauca in bronchiis cellulisque eorum deponat phlegmata, quae dum prompte & alacriter ingredi nescit aër, respirationis oritur difficultas. Hoc vero malum tollit sirupus nicotianae, quod in ejusdem praeparatione per sequentes purificationes, & repetitas infusiones oleum illud sequestretur remanente sale volatili acri penetrante, qui incidendo, & attenuando humorem illum crassum fluxilem, & ad expectorandum habilem reddit. His nunc omnibus, imo pluribus motus imprimis quod soporifer sit ejus fumus, somnus vero perniciem minetur aegris, jure ego illum ab his fontibus relegatum aeterno mulctavi exilio.

XV. *Si bene tibi primitus cedant acidulae preme mordicus coeptam telam cumque aquis optatam hauri salutem, ast vero, si pejus habeas, mature consule Medicum aut temeritatis tuae patiente animo da poenas.*

Duriusculis haud infrequenter tentantur hydropotae symptomatum insultibus, qui terrori nobis esse non debent, sed magno animo certique auxilii medicamentis debellari. Haec inter frequens est vomitus. Quem ut prospere tollas, expiscare prius, utrum alvi beneficium habeat aeger, nec ne. Sin ea sit obstructa, en tibi mali caussam, in qua exstirpanda omnem operam collocato. Actutum ergo clysterem injici jubeto, & interne stomachica praescribito, ut aq. menth, zedoar. veron. spir. mastich. elix. febr. aq. cinnam. f. mist. Sin contra fluat alvus, & nihilominus atrox malum saeviat vomitus, exige ab aegro numerum haustorum vitrorum, quorum si perniciosam animadverteris multitudinem, avara & frugali manu, ut imposterum dispensentur pocula, Auctor esto. Aliud ex alio insequitur malum dolor colicus. Haec ferocissima omniumque pessima furia nasci videtur ex acidularum stagnatione ubi a Marte absorptum acidum moram trahens inque massam facessens vitriolicam aggreditur fibras nerveas, easque rodendo, & lancinando utraque hypochondria crudelissime torquet, & excruciat. Hic itaque juvare naturam oportet, & acidularum motum promovere cathartico quodam blandiori, quale jam supra dedimus.

℞. *Extr. diacarth.* drach. i. solv. cum *aq. carmin.* adde *tartar. vitriolati* scr. sem. *sirupi diasereos Antharnaici* unc. sem. *aqu. cinnam. zedoar. anis.* ãã. drach. sem. mis.

Post sequentis misturae aliquot cochlearia sumat pro arbitrio.

℞. *Aq. florum chamom. zedoar. anis. veron.* ãã. unc. i. sem. *spir. nitr. dulcif. ess. carmin.* ãã. drach. i. *ol. cinnam.* gtt. ii. *sirupi cort. citri* unc. sem. *aq. cinnam.* unc. sem. mis.

Agglomerat sese his Catarrhus cum tussi & raucedine, quod vel aëris inclemetia vel aquarum nimius algor lymphae motum sufflaminet, quae asperam arteriam obducendo raucedinem, acrior vero facta fibras pneumonicas spasmodice convellendo tussim producit. Satius hic erit aquam bibere in Musaeo aëremque corrigere suffimigio, & misturam praescribere sequentem.

℞. *Aq. hyssop. veron.* ãã. unc. ii. *asthmat.* unc. i. *aqua Reg. propr.* drach. i. *elix. pector.* drach. sem. *sir. de farfara* drach. vi. misce.

Tumor abdominis, laboriosa respiratio, aliaque symptomata, quae hydropem simulant, si ingruerent extemplo ab acidulis aegrotum revoca gliscensque malum ubi adhuc integrum est, in prima herba suffocare annitere. Commodi erunt huic proposito praemissis digestivis, & catharcticis spir. sal armoniac. salsus, spir. vin. spir. vitriol. spir. lumbr. terrestrium, aliaque quae lotium fortiter stimulant. De anorexia, sunt quoque, quibus queri mos est. Eaque perfacile oriri potest, dum tantum aquae tonum fibrarum labefactat, ut neque corrugari nec cibum amplius complecti possint, imo aculeos illos, & gladiolos fermenti gastrici, hebetari necesse est, veluti gutta cavat lapidem, a continuo aquarum allapsu, & allisu, quae particulis suis laevibus, lubricis, & flexilibus cuspides illos leviter infringunt, incurvant imo prorsus tractu temporis abradunt. Haec erigatur, & acuatur spirituosis tinct. myrrhae, elix. febr. ess. galangae, elix. propriet. quorum jam aliquoties facta est mentio. Rebellis quandoque alvus officio suo fungi pertinaciter negens mirum quantum negocii exhibeat aegris inprimis iis, qui a teneris unguiculis huic malo assuerunt. Ubi cave, ne consternatus, & nescio quo perculsus metu calidiora arripias purgantia; praeterquam enim quod haec totam machinam vehementer turbent, obstructionem reddunt longe obstinatiorem, & pene incurabilem. In acie stet ol. amygdal. dulcium, ad aliquot uncias hauriendum.

℞. *Pulv. tamarind. passul. minorum, prunorum dulcium, sebesten.* ãã. unc. i. *pulv. rad. laxat.* drach. iii. mis. f. electuarium.

℞. *Elect. de tamarind. cum fol. senn.* drach. x. solve cum f. q. *seri lactis vel cum aq. cichorii* adde *crem. tartar.* scr. ii. *sir. ros. solut.* drach. iii. f. potio. Si necdum respondeat.

℞. *Aq. menth.* unc. i. sem. *cinnam.* unc. sem. *gummi ammoniac. in aceto squillit. soluti, tart. vitriol* ãã. scr. i. *troch. alband. scamm. corr.* ãã. gr. i. *sirupi de pomis* drach. i. misce.

Quod si, ut fit, negocium habueris cum aegroto, quem dolores torquent terebrantque nephritici eum valedicere aliquantisper jube Najadibus, & pharmaciae implorare subsidium. Principio itaque alvum aperire, tum crispaturam, & corrugationem fibrarum spasmodicam demulcere 2. Calculum, si quis praesto est, pellere. 3. Viribus consulere oportet. Primum fit enemate applicato, & ol. amygdal. dulcium vel manna interne ad aliquot uncias assumtis. Alterum, & tertium opiatis cum lithontripticis mistis; qualia bene multa offendes apud practicos. Inter haec non extremum locum occupant pulvis millepedum sal volat. succini, sir. de alth. Fernelii, spirit. salis, sang. hircinus praep. aq. frag. sirup. eorund. malvat. junip. &c. Quartum denique praestat pulvis cord. pretiosus cum cinnab. nativ. Inter symptomata haec referri meretur gutta rosacea, cujus ortus fere hic est. Sanguis plurimis moleculis acidis, & corrupti cibi portiunculis impraegnatus ab acido volatili acidularum inflammatus, & admodum accensus ferociter ebullit, & in minutissi-

ma vasa capillaria irruit, quumque pari alacritate regredi nesciat, moram ibi nectere, & pedem figere coactus roseas maculas, & inaequalia producit tubercula. Nullius sane momenti malum, quodque non tam sanitati, quam venustati insidias struit, & formositati, cui nimium tribuere pusilli, & abjecti animi est. Candidus quippe in nauta turpis color. Quum & fine coli modico forma virilis amet. Sed haec forte ne centesimo cuique erunt ad palatum, quandoquidem id nunc degitur aevi, ut cum Stoico loquar, ubi cantandi saltandique obscoena studia, effoeminatos tenent, & capillum frangere, & ad muliebres delicias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum foeminis, & immundissimis sese excolere munditiis nostrorum adolescentum specimen est. Quis aequalium vestrorum, quid dicam satis ingeniosus, satis studiosus, imo quis satis vir est? Emolliti, enervesque quod nati sunt inviti manent, expugnatores alienae pudiciae negligentes suae. His nunc moribus quisquis est, corporis non animi bonis aestimari desiderans spir. vin. camph. cum aq. appropr. abluat faciem, vel hirudines sibi applicari permittat ubi primo ictu arbor cadere recusat, & tum

℞. *Sacch. Saturni* drach. j. *semper viv.* plantag. ãã. q. v. f. linim. vel succorum loco aquas destillatas recipe. Aut cum Platero. ℞. *lytharg.* drach. ii. *olib.ceruss.* ãã. drach. sem. *aq. rosarum* ãã. drach. ii. *aceti vini* unc. j. coq. sum.

Interne utere spir. salis in quo sal. tartari solutum fuit. His omnibus ita administratis, si atrocius adhuc vultus clima pererret deforme malum, feras oportet, quod mutare non potes operamque des, ut hanc qualemcunque corporis labem animi speciosiore dote compenses, nusquam non tecum volutans illud Ovidianum.

Formae bonum fragile est, quantumque accedit ad annos.
Fit minor, & spacio carpitur ipsa suo.
Non semper violae, non semper lilia florent,
Et riget amissa spina relicta rosa.
Et tibi jam venient cani, formose, capilli,
Jam venient rugae, quae tibi corpus arent.
Jam molire animum, qui duret, & astrue formam
Solus ad extremos permanet ille rogos.

Tandem lugubre symptoma est sputum cruentum cum anhelitu, & tussi, queis, cui corripiuntur duri fati extremam, & ineluctabilem necessitatem raro effugiunt. Nihilque quod huic suadeas superest, quam, ut aegrum & imbelle corpus animo suffulciat, illumque summum Ducem omniumque rerum arbitrem instar boni, & cordati militis absque inani obmurmuratione sequatur: tum vero melioris vitae fiducia plenissimus, nutantem jam jamque labantem spiritum in amicorum sinum effundat.

XVII. *Mulieres, ubi fluxus instat Catameniorum aliquamdiu suspendant aquarum usum.*

Periculum scilicet est, ne fluxus hic in auspicato inhibeatur. Id enim proprium est acidularum, & Martialium, quod & supra insinuavimus obstructiones reserare, fluxusque immodicos sistere, qui vero diversos effectus idem disseminet medicamentum ex antecedentibus liquido constat.

XVII. *Horis pomeridianis, si sitis urgeat, haustulus acidularum concedito. Tum coena parca esto, & succincta. Ciborum satur ambulatiunculis nonnihil indulgeto, redux vino malvatico te recreato. Mature cubitum ito, mature surgito fontem invisurus, quo ex praescripto utere feliciter donec salutiferis Nymphis tergum obvertere te jusserit, & Medicus, quaque nihil sub sole augustius, datum est mortalibus aegris, recupe-*

cuperata sanitas. Plura quidem! Sed videor mihi videre portum jamque anchora de prora jacitur, stat littore puppis.

Tu vero, quisquis es, aut candide aut invide Lector, sive tibi bilem sive salivam haec moverint, sic habeto, me & malevolorum calumnias, & speciosa versipellium amicorum popysmata, auramque popularem, atque inanes applaudentium strepitus eodem habere loco, nec illis frangi, nec his intumescere: quin mihi semper similis, utcunque res ceciderit, aequo animo feram; illud, quoad ejus fieri potest, studiosissime effecturus: ut tenuem illam, & exilem doctrinae suppellectilem pedetentim exaggerem, omnium etiam pertinacissimorum laborum molestias patienter devorando, optime gnarus primum ad solidam eruditionem gradum esse, scire, quod nihil scias, & ita affectum esse, ut nihil magis in votis habeas, quam non modo immorari, sed & immorari posse studio, cui te semel devovisti, atque adeo plane expetere, ut idem sit laborum, qui vitae finis.

DISPUTATIO XXXVIII.
DE FEBRI MALIGNA.
LUDOVICI CONRADI JACOBI.

CASUS.

Juvenis viginti aliquot annorum, plethoricus, haemorrhoidum fluxui assuetus conqueritur de ingenti lassitudine totius, sequitur horripilatio, & inordinatus rigor, tandem calor, continuus, cum siti, capitis dolore & vigiliis subsequitur. Pulsus erat languidus, nonnunquam naturali iterum similis: saepius animi deliquium patiebatur; aderat nausea, & diarrhoea cum ingenti circa ventriculi regionem dolore, lingua erat arida, urina rubicunda & clara. Quaeritur quis morbus, & quibus remediis curari possit?

RESOLUTIO.

CAPUT I.

Exibet Definitionem.

Affectuum cognitio juxta *Hippocratem* est vera earundem medicatio: ante omnia itaque inquirendum erit in morbi hujus ideam, antequam curationem suscipiamus, quum in morborum cognitione maximam fortunae Medicae partem sitam esse putemus: dicimus itaque praesentem aegrum laborare febri maligna, desumtis signis diagnosticis a symptomatibus, morbi idea, & aliis.

Definimus hanc febrim quod sit: *intemperies maligna acris & fervida, cum praeternaturali totius massae sanguineae effervescentia.*

Dicitur febris a ferveo, vel ut aliis placet a februo, de quo *Willisius*, *Schokius*, *Vossius & alii* videri possunt. Nos parum curantes etymologicas disceptationes, illas discutiendas aliis relinquimus. Nobis sufficit notasse, adesse intemperiem calidam, & pulsus mutationem, vel ut alii loquuntur cordis irritationem: quibus positis, necessario ponitur febris. Solebat alias vox febris solis febribus ardentibus tribui: hinc canit Virgilius.

Cum furit, atque artus depascitur arida febris,
Profuit incensos aestus avertere, & inter

Ima

Ima ferire pedis salientem sanguine venam.

Usus vero obtinuit, omnes illas intemperies, quae aliqualem etiam conjunctum habent calorem, modo febrilis adsit cordis irritatio, vocare febres. *Vide Disputationes Medicas magni, beatae memoriae, Sylvii.*

Maligna dicitur, quoniam est mali moris, decipiens non raro aegrum, Medicum & adstantes: symptomata habet graviora, quam febres vulgo habere solent, plures afficit, multos interimit, & eludit vulgaria ante febrilia medicamenta, ut ejus natura longe distet ab aliarum febrium idea, & genio. Dicuntur etiam tales febres malignae, quia similes sunt malis hominibus, qui aliud vultu, & verbis praeseferunt, aliud corde occultant, & factis praestant. Dicuntur etiam venenatae, quia immediate a venenatis particulis, sive intus genitis, sive extrinsecus admissis, oriuntur ut dicetur capite de caussa. Infestae sunt ipsis Medicis, hinc nonnullis vocatur febris antimedica, Medicorum napellus, & flagellum, qua hodierno tempore in Germania multi celeberrimi viri obiere, loquente experientia. *vide tractatum cl. Febr. de Scorzonera.*

CAPUT II.

Subjectum proponit.

Subjectum hujus morbi universale dicimus esse totum corpus; conqueritur enim aeger de ingenti lassitudine totius, adest horror & rigor; & omnes actiones laesas esse deprehendimus. Particulare vero est cor, quod musculum esse dicimus. Notandum vero ad evitandas falsas aliorum imputationes, nos hic non intelligere nudum illud parenchyma, ut vulgares Anatomici illud in mactatis canibus vel aliis cadaveribus demonstrant; sed potius indigitari a nobis integram fabricam cum insito calore, & insidentibus spiritibus animalibus, sine quibus facultas illa pulsifica, quam nobis antiquorum sectantes errores velut super additam quandam ab anima peculiarem virtutem obtrudunt, explicari nequit: nisi Enita praeter manifestam necessitatem multiplicare velint.

Cor esse verum hujus morbi subjectum, patet ab insigni functionis ejusdem laesione, pulsus enim est mutatus, in quo consistit ratio formalis febrium juxta nonnullos, qui demonstrant dari etiam febres frigidas, & calorem esse saltem effectum motus sive febrilis fermentationis: de quo vide Franciscum Piens Medicum Chirurgum expertum, ut & magnum nostrum Sylvium. Nunquam, dicentem, probabunt essentiam febris consistere in isto aestu in corde, hinc & universo corpore praeter naturam aucto, postquam dantur febres algidae, frigore continuo, & nullo calore aut aegris, aut Medicis adstantibusve aliis notabili molestae? quas, ne suis praejudiciis valedicere cogantur homines credere, quam scire magis apti, negant simpliciter & audacter? quoniam in Auctoribus suis classicis, atque sua ex se mutuo exscribentibus, quos solos habent pro bonis, talia non legerunt in Museo suo somniis excogitandis & conscribendis, quam circa aegros symptomatibus eorum observandis magis dediti pro quibus orandum est, ut sit mens sana in corpore sano, ni & hoc ex affectione quin & quandoque melancholia hypochondriaca fit minus sanum, sicut ex vultu talium tetrico, & moroso facile est Medicis practicis hoc deducere. Sed quid dicent suffreni bonorum auctorum helluones, ac nil praeterea fere sapientes, de frigore tam saepe per horas plures tam graviter circa intermittentium initia aegros vexante & lacerante, subsequente non raro calore leni ac nullatenus molesto? Audebunt ne negare, durante frigore laborare suos aegros febre? An potius dicent toto illo tempore tam longo auctum esse, & concentratum in corde calorem suum fictitium ac praeter naturalem, quamvis nec sibi

ſibi nec aliis, nec aegris ullo ſigno obſervabilem, praejudicio tamen ſuo neceſſario concludendum? ſed pro his, *pergit*, quoque orandum, poſtquam mire delirat ipſorum mens. An quaeſo, aſſentiemur homibus aegrorum tum aliorum, tum ſuum ſenſum ſuis praejudiciis poſtponentibus, & quidem cum quotidiano aegrorum ſuorum detrimento? Abſit, ut hoc agat vir bonus ac Deum timens &c. Certum tamen eſt, calorem inſitum ſive ignem naturae ut alii vocant irritari, ſupprimi & tandem in manifeſtam erumpere flammam, accedentibus particulis ad expandendum nunc ſatis diſpoſitis. Qualis vero ſit ignis ille vitalis, multi non capiunt, ſeque illud neſcire apere profitentur, dicendo? coeleſtis eſſe naturae. Putamus tamen non opus eſſe, ut ad extremos mundi angulos confugiamus, quum unus idemque hoc in univerſo ſit calor. Coeleſtia enim, inquiunt, *Carteſius*, *Graydanus*, *Regius*, *Tatinghoff*, *de la Forge*, *Brokhuiſen*, *Raei*, *aliique Viri Clariſſimi*: & elementaria tantopere differunt. Non ſunt duo calores, inquit Piens, neque concipi debent ut duo, ſed unus.

CAPUT III.

Cauſſam explicat.

NUnc ad cauſſam progredimur? Negocium hoc eſt arduum, & difficillimum, quod multorum clariſſimorum Virorum torſit ingenia. *Morbi peſtilentiales*, inquit clariſ. Willis, *adeo in tenebris graſſantur*, *& ignotam ducunt originem*, *ut eorum cauſa*, *& eſſentia ſine recurſu ad occultas qualitates raro explicentur*. Conabimur tamen, quantum poſſibile, aegro noſtro & adſtantibus cauſſam morbificam adeo clare ac perſpicue proponere, ut nulli dubitemus, illam facillime a quovis etiam, cui de meliori luto formavit praecordia Titan, perceptum iri. Cauſſam itaque veram hujus morbi maligni dicimus eſſe particulas acres volatiles, & valde incongruas, quae compagem totius cruoris ſolvunt, deſtruunt, & univerſam oeconomiam labefactant, id quod partim a poſteriori probari poterit. Novimus, nonnullos alto ſupercilio haec lecturos, qui iſtiuſmodi morbos malignos a tota ſubſtantia, & qualitatibus occultis dependere acriter defendunt, imo in illos invehuntur, qui profundius in latentem cauſſam inquirere conantur; quaſi vero non ſit laude dignum veritatem in profundo latentem eruere, & omnia in foro medico ad manifeſtas qualitates referre velle. Omnes unanimiter profitentur, & concedunt, cauſſam febrium malignarum eſſe venenoſam, ergo participabit de natura veneni: quod ſi ab epoto veneno eadem obſervemus produci ſymptomata, quae per manifeſtas poſſit explicari cauſſas, quid opus erit in explicatione ſymptomatum, febres malignas comitantium, confugere ad occultam aliquam, & ſpecificam energiam? dicam adhuc clarius: ſi Mercurius ſublimatus, napellus, arſenicum aliaque venena intus uſſumta excitant nauſeam, vomitum, ardorem, anxietates praecordiorum, tormina, roſiones, fluxus alvi cruentos, lypothimias, tremores, convulſiones, ſopores, deliria, maculas cutis &c. per ſolam partium configurationem, quatenus diſſoluta abeunt in ſubtiliſſimas volatiles ac ſumme acres particulas, per quam configurationem manifeſte omnes illi effectus explicari poſſunt. Ergo etiam in febribus malignis, & peſtilentialibus ubi eadem obſervamus ſymptomata, per tales qualitates manifeſtas idem negocium explicari poterit. Prius nunquam negari poteſt, & hactenus ſufficienter probatum, a nobis etiam in ipſo conflictu ulterius demonſtrabitur. Ergo conſequens etiam erit firmiſſimum.

Recte hoc ex fundamento praemittit *clariſſimus Willis* explicationem naturae venenorum, antequam venenum peſtilentiale in ſpecie deſcribat, quoniam illis probe cognitis, facillime etiam naturam febrium malignarum ſcire poterimus. Si qui-

quidem ipsorum vis consistit in sola continui solutione, sive foris in corpus nostrum agant, sive intus virulentiam suam prodant, ita ut supervacanea sit divisio morborum in morbos intemperiei, compositionis & solutae unitatis, quum omnes in continui solutione conveniant, & differant solum quoad majus, & minus, dum vel facilius vel difficilius in sensus incurrunt. A posteriori etiam sententiae hujus veritas probatur, dum observamus medicamenta illa alexiteria non occulta sed manifesta agere qualitate, imo ne unicum quidem nominari posse alexipharmacum, cujus effectus sive operationis non manifesta possit reddi ratio. Omnia enim alexipharmaca referri possunt ad attenuantia, incidentia, volatilisantia, calefacientia, quae pro diversitate veneni exhibentur, quatenus illud consistit in frigore potentiali: glutine quodam volatili, coagulatorio & contagioso: vel in particulis acutis scindentibus & causticis, quibus necrosin liquori tum vitali quam animali inducit (vel ut alii loquuntur, quibus animam vegetativam, & sensitivam destruit) hinc oriuntur a venenis juxta Regium, magni ardores, mentis perturbationes, deliria, partium & totius corporis refrigerationes, intumescentiae, livores, rosiones, excoriationes similiaque alia symptomata; quae per contraria calefacientia, vel refrigerantia, item oleaginosa, pinguia & lenientia, saepe curantur: vide ulterius medicinam Henrici Regii.

Particulae illae incongruae duplici agunt in corpus nostrum modo; vel fundendo, vel coagulando: *fundendo*, dum ita dissolvunt sanguinis compagem, ut in serosum abeat liquorem, & ad accendendum sit plane ineptus, inde cessat pneumatosis tam in corde quam in cerebro, non aliter ac affuso oleo tartari lac in liquorem tenuem abit, nec unquam ad fibrosam consistentiam reduci potest.

In Ephemeridibus Gallicis collectis a Jo: Baptistae Denys refertur, canē illico mori, si per siphonem sanguini misceatur liquor N. ita enim fundi massam sanguineam, ut mutata ejus textura particulae nunquam in ordinem pristinum cogi queant.

Coagulando: dum sanguis confestim figitur, & ad circulandum ineptus redditur; hinc oriuntur suffocationes, maculae nigrae, lividae, totum corpus non raro vel saltem alterutrum latus post mortem obsidentes: non aliter ac si spiritus. N. injicitur per arteriam, & sanguinem cum inopinato animalis interitu coagulat.

Accusabimur forsan a nonnullis nimiae curiositatis, quum illa parum prosint futuro Medico: semper enim eandem dicunt manere medendi methodum, eadem etiam semper applicari remedia, sive ad occultas confugiat quis qualitates, sive alius factus audacior per particulas (*ad quas tanquam commune asylum dicunt nos confugere, & pro illis tanquam pro aris & focis dimicare, imo pro Diis haberi*) negocium illud explicare tentet. Verum errant quam maxime boni illi viri. Quomodo enim Medicus debellabit morbum, cujus caussam ignorat? ignorantiam vero suam nolens volens prodit, dum dicit: febrem malignam esse morbum occultarum qualitatum. Ipsa etiam alexipharmaca, quammaxime inter se differunt, neque indifferenter applicari debent, & hujus rei ignorantia multos trucidat, ita ut forsan errore Medici plures pereant, quam virulentia ipsius morbi. Siquidem si venenum sit volatile valde & acre, summo cum vitae periculo aegro exhibentur medicamenta alexiteria, salibus volatilibus abundantia; potius contraria eligenda, vel praecipitantia, vel acrimoniam obtundentia. Lap. bezoar. bolus Armena, diascordium & alia. Ex quibus patet, methodum nostram medendi non esse adeo periculosam, & lubricam, ut illorum, qui vera negligunt principia. Retulit mihi *Hospes meus colendus, Dominus Doctor Waldschmidius practicus felicissimus, Archiater & Professor in hac Academia ordinarius*, se aliquando tractasse Juvenem febri maligna graviter decumbentem, in quo nullum toto morbi tempore gravius observare poterat symptoma, quam summam respirandi difficultatem, per intervalla crebrius recurrentem, ut prae metu suffocationis aeger erecto corpore nocte

diuque

diuque sedere coactus fuerit. Ter secta fuit vena, non lege methodi ordinariae, siquidem nec plethora aderat, nec calor febrilis adeo urgebat, hinc secunda & tertia venae-sectio ab aliis Medicis prohibebatur; interim facies observabatur livida a sanguine coagulato, & circa malas restagnante, pulsus erat languidus a sanguine ad cor transeundum minus disposito, quibus omnibus probe consideratis, deserta via communi, venae-sectio bis adhuc felicissimo successu aliis contradicentibus administratur, & aeger e faucibus mortis eripiebatur, non neglectis aliis sanguinis coagulationem impedientibus medicamentis. Et quomodo quaeso occurrere poterimus symptomaticae, & colliquativae urinae in febribus his excretioni? sudoribus illis copiosissimis, sed aegro funestis? fluxui alvi colliquativo? de quibus optime *Riverius de febri maligna*? nisi vim illam fundendi probe cognitam habeamus, tunc enim exulare debent omnia attenuantia, & volatilisantia, & illa adhiberi, quae tonum tum viscerum tum ipsius sanguinis conservent.

Brevibus itaque dicimus, particulas has acres, & malignitatis, & effervescentiae esse caussas, ex sola configuratione, quemadmodum videmus in Chymicis duos liquores confusos se invicem destruere, effervescere & strepitum edere, nullo alio accedente movente, praeter solam illam texturam, quam a primo habent ortu, & qua, quoties alius figurae particulis occurrunt, tales ebullitiones excitant.

Nunc eadem brevitate etiam modum generationis proponemus? Generantur illae particulae vel in corpore ipso, vel alibi generatae corpus intrant. In nostro aegro utrumque potest esse; hodierno enim tempore malum hoc Epidemium est & hinc inde vagatur, ut quam facillime contagium aliunde suscipi possit. Adest praeterea consuetae evacuationis suppressio, ob quam sanguis restagnans acescit, & ebullit, quo in motu particulae fiunt acriores & cordi communicatae irritationem illam vitiosam; nec non una cum sanguine ad alias partes translatae, calorem totius corporis excitant, sicque malignitatem induunt, id quod cernere licet in aquis paludosis, aliisque liquoribus diu reservatis.

Symbolum suum conferunt sex res, non naturales; praeomnibus vero considerandus est aër: quamvis enim & reliqua quid conferre possint, tamen non tam generare febres malignas, quam illas graviores reddere putamus. Sine aëre vitam nostram conservare nequimus, quum in eo sit occultus vitae cibus, de quo vide *phasin Sophicum viri supra laudem positi, amplissimi & experientissimi Domini Johannis Tackii, Archiatri Hassiaci, & Professoris Medicinae Primarii in Alma Ludoviciana.* Aër itaque facillime sanguini suas imprimit qualitates, quod si alienis & peregrinis imbuatur particulis, inficit sanguinem, & labem corpori nostro communicat. Eundem vero alterari & inquinari certo certius est. Sunt autem duo praecipui spiritus, quos in aëre observamus, quorum unus est acidus, alter volatilis salsus, uterque aptus, vel compagem sanguinis solvere, vel cruorem magis figere. Negari sane nequit, continere in se aërem aestivum particulas salinas lixivas, sed volatiles, aliquid oleosi & aromatici habentes: hinc, referente *illustri Dighaeo*, & ex hoc *clarissimo Sylvio*, illi, qui exeunte vere aut vigente aestate aëre sudo ac sereno per Galliam meridionalem faciunt iter, percipiunt aromaticum plantarum etiam longissime dissitarum odorem, & fragrantiam, certissimo argumento, particulas subtiles emanare ex illis plantis, atque cum vento transportari per aërem ad regiones alias. Particulae illae agitatae a colore solis magis acuuntur, & attractae per inspirationem augent particulas biliosas in sanguine, infringunt humorem acidum, & austerum, quorum munus est sanguini justam largiri consistentiam, & temperare bilis volatilitatem, unde sanguinis crasis valde mutatur & ad corruptionem disponitur. Neque aër inspiratus pulmonibus solum communicatur, verum ipso in introitu etiam salivae miscetur, & glandulas intrat, deglutitur etiam in ventriculum, ibidemque auget bi-

lem, hoc est reddit illam acriorem & magis volatilem, humores etiam pituitosos, & viscosos ibidem attenuat, & fluxibiles reddit. Clarissimus Sylvius hac de re ita disserit: *An inspiratus aër aliqua sui parte salivae quoque aliisque humoribus, a cerebro subjectisque ipsis glandulis, glandulosisque tunicis ad os & fauces derivatis, commisceatur, & una cum illis deglutitus in ventriculo & intestinis tenuibus mutationem aliquam humoribus ibi repertis, aut confluentibus adfert? sicut arduum est probare, ita durum videtur negare. Mihi certe, qui veritatem ubique ac unice sector, non censetur illud improbabile, quamvis putem, plures adhuc requiri observationes ad rem illam obscuram illustrandam, confirmandamque, & ita stabiliendam, ut dissentientium cogatur assensus.*

Referendi sunt huc venti, qui agitando, confundendo, & apportando aërem vitiant. Sic australis alis suis salem volatilem ad nos transportat, nec non spiritum volatilem. Borealis plures acidas particulas secum vehit? suntque vel nitrosae, vel de sale muriatico, & armoniaco participant. Denique impurior fit aër, & ad generandas febres aptior a nebulis, nubibus, pluvia, nive grandine, a vaporibus, & tetris exhalationibus, e cavernis, locis paludosis, vel cadaveribus exspiratis: de quibus prolixe agit *Sylvius*, qui videri potest.

Aër itaque infectus interimit plantas, bruta & homines, ut videamus aquas corruptas, & alienis incongruis, & peregrinis corpusculis, & atomis refertas necare pisces: venenatae enim particulae sunt valde agiles, & in momento tanquam radii luminares per medium diaphanum transeunt.

Paulo aliis verbis, eodem tamen sensu, de hoc negocio loquitur *Thomas Willis*: siquidem is admittit innumeras atomos figurae multiplicis, & plurimum diversae, ob quas varie cohaerent, mutuo combinantur, & corpora nostra diversimode afficiunt. Nam quamdiu in utrisque apta contemperatio intercedit, tamdiu vita ac sanitate fruimur. Sin vero corpuscula aëri innatantia sint ejusmodi figurae, & potentiae, ut spiritibus corporis nostri adversentur, tunc crasis ipsorum pervertitur, corpus putredinem concipit, & vita nonnunquam extinguitur. Hinc inter homines ac pecora lues saepenumero grassatur, quae simul totos interficit greges. Plura qui desiderat, adeat ipsum Auctorem *libr. de fermentat. & febrib.*

Quum vero brevitati studeam, ipsam applicationem Lectori relinquo, vel magis specialia mihi ad cathedram reservo, quilibet enim videt ex antedictis veram caussam febrium malignarum facillime ita erui, & in apricum duci posse, ut nihil possit esse clarius. Restat ut de signis agamus, antequam ipsam aggrediamur curationem: sequitur itaque.

CAPUT IV.

Quod in signa diagnostica inquirit.

ILla vel malignitatem indicant, vel dispositionem febrilem: utraque a symptomatibus desumuntur, quorum syndrome, & congeries signum pathognomonicum exhibet. Itaque hic operae precium erit, ordine referre symptomata, & simul caussam eorundem addere, quo signa fiant clariora. Hi morbi cognitu sunt difficiles: solent enim vel sine, vel cum tantillo frigoris invadere; adest statim in principio ingens lassitudo membrorum, capitis gravitas, & ut plurimum solent ab initio illam indispositionem suscitare, qua quis antea laboravit. Sic in hysterica muliere causabunt uterinos affectus; in calculosis dolorem renum excitabunt; qui colicis obnoxii sunt doloribus, in illis colicam metiuntur, in aliis pleuritidem simulant. Saepius cum haemophtysi adoriuntur, sicque deludunt Medicos, ut horum symptomatum, & non febris malignae rationem habeant.

In praesenti casu Aeger noster conqueritur de ingenti lassitudine totius, partim a copia humorum vitiosorum hinc inde in habitum corporis effusorum, partim etiam ob spirituum animalium vitium. Siquidem aurae instar particulae illae venenosae affluant simul liquorem animalem, propterea segnius influit, & motum ac sensum cum molestia quadam edit. Accedit & hoc, quod, laesa sanguinis accensione in corde, illico cesset spirituum animalium genuina generatio, unde paulo post functiones animales non rite peragi possunt.

Sequitur horror, & rigor reciprocus; partim ab halitibus acribus, & mordacibus partes sensiles obsidentibus, partim etiam ab ipsa cordis irritatione, & flammulae cordis agitatione. Siquidem observatu dignum, ligna recentia igni imposita ipsi ruinam minari, & flammam valde minui, ut penitus extingui videatur: tandem lucta transacta, & recuperatis de novo viribus, in apertam erumpit flammam. Eodem modo quoties humor incongruus una cum sanguine cor ingreditur, toties flammula cordis opprimitur: hinc rigor & horror ob illam cordis irritationem in universo corpore percipitur: donec discussis particulis aquosis, & ad accensionem minus dispositis, reliquae particulae fiant fervidiores; hinc videmus in aegro nostro rigorem subsequi calorem, accenso enim sanguine, & aucta nunc flamma particulae illae agitatae alias vicinas agitant, donec tandem calor in toto corpore deprehendatur. Quae omnia accurate explicantur a *Jaque Rohault de febribus.* Cum his conciliari possunt *Sylvii meditationes*, qui rigorem deducit ab halitibus acidis, & austeris succi pancreatici, corrupti ob restagnationem, & bilis dominium superantis: quibus discussis, inquit, bilis sui juris facta calorem sive agitationem particularum minimarum in toto corpore instituit.

Sitis, & capitis dolor ab iisdem dependent caussis. Siquidem bilis tum per se acrior, tum ab effervescentia febrili adhuc acrior, pejorque facta sitim inducit. In capite vero rodendo, vellicando, & distendendo acrimonia sua salsa lixiva dolorem excitat: unde vigiliae contumaces sequuntur, quatenus tam ab acida acrimonia, quam etiam salsa partes sensiles afficiuntur. Siquidem vigiliae tam diu durant, quam diu sensuum externorum organa vehementer vellicantur. Pulsus est languidus, ob sanguinis corruptionem, ex obstructione haemorrhoidum pronatam; interdum naturali adhuc similis, quoties istiusmodi particulae adhuc ingrediuntur, quae momentaneam illam accensionem suscipiunt. Notandum tamen, talem pulsum non diu manere, & si accurate forsitan illum observare velimus, nunquam in omnibus erit narurali similis. *Pulsus minor, inquit clarissimus Sylvius, acceptus ferendus halitibus acidis ad cor delatis & sanguini admistis, eundemque solito magis coagulantibus, adeo ut tunc densior factus segnius ac difficilius rarefieri queat; debilior vero debetur iisdem halitibus acidis sanguinem non tantum, sicut dictum coagulantibus, verum eo ipso ipsum ad partium quarumvis secessum ac secretionem ubivis absolvendum ineptiorem facientibus; unde in cerebro animales spiritus minori copia tunc a sanguinis massa secedentes animalem motum ubique languidiorem efficiunt: quapropter multi eo tempore pedibus suis stare non possunt, aut partes alias commovere.*

Praecipuum signum diagnosticum inter alia a viribus desumitur. Videmus aegrum nostrum pati animi deliquium citra caussam manifestam; inde concludimus, latere anguem in herba, & summam malignitatem occultari, reliquis diebus magis, magisque se prodituram. Sanguinis enim motum valde esse perturbatum, & ob aequalem ejus mistionem a fermento venenato solvi incoeptam cruorem in corde stagnare exinde facillime colligi potest.

Adest nausea a bile volatili in ventriculo, & intestino duodeno fluctuante, & ventriculi substantiam sensilem ad motus peristaltici inversionem irritante.

Alvi fluxus oritur a sanguinis fusione, & colliquatione, nec non a bile acriori

prae-

praedominante, & excrementa diluente. Dolorem circa ventriculi regionem alii a flatibus comprimentibus orificium ejus superius derivant. Nobis magis placent illa, quae *Helmontius* habet, dicendo: *sedem suam has febres habere in convexo stomachi, ad quae loca nonnisi arcana provenire; Endemicam enim inspirationem nihil aliud esse, quam odores imperceptibiles, qui per pulmones in thoracem penetrent, diaphragma perspirent, & stomachi superficiem feriant.* Linguae ariditas vel sola hujus febris signum inseparabile est, qua persistente gliscit febris: vide *Osvvaldum Grems.* Quae signa collective sumta, & febrem, & malignitatem certo indicant, cujus curationi nunc incumbendum esset, nisi ex re foret Medici, sese prognostico aliquo praemunire, ne, si curatio pro voto non succedat, ejus fama incurrat naufragium.

Urina rubicunda debetur bili, vel particulis tartariis una cum salinis mistis, & incoctis; unde febrilem dispositionem & spirituum accensionem cognoscimus.

CAPUT V.

Prognosin instituit.

Signa prognostica hoc in affectu sunt lubrica, facillime decipientia & medicum, & aegrum, id quod jamdudum agnovit *dictator dicens* §. 2. *aph.* 19. *praedictiones in morbis acutis esse incertas*: hinc suadet *magnus Rolfincius* ex Riverio: satius esse eloquia nostra suspendere, donec vel naturae, vel morbi victoriae indicia certa se obtulerint. Siquidem observatum esse, quod quo majora in hac febri apparuerint symptomata, quae aliis in morbis pericula, imo etiam ipsam mortem minentur, eo meliorem salutis exitum respondisse: mitiorum vero symptomatum praesentia plurimos interiisse.

Fallaces ergo sunt his in morbis praedictiones, quia tempora morborum ita accurate distingui nequeunt, quum morbus hic aequaliter sua tempora percurrat, & refert *Grembs*: quendam sexto die sudasse sudorem frigidum copiosum, & septimo se melius habuisse. Hinc exclamat; *o quam fallaces regulae dogmaticorum.* Idem observavit *felicissimus saeculi nostri Medicus D.D. Geilfusius, aliquot imperii statuum Archiater*, in illustri persona, quod ex relatione *Hospitis mei colendi Dn. D. Waldschmidii* habeo.

Est haec febris ex numero acutarum, hinc ratione temporis praedicimus ad undecimum & decimum quartum diem extendi posse. Est morbus periculosus, insidiosus curatu difficilis ac multis lethalis. Metum augent graviora nonnulla symptomata; animi deliquium, fluxus alvi, & summa virium prostratio. Reconvalescentiam repromittunt aetas juvenilis, mentis constantia, & convulsivi motus absentia.

Interim inter spem & metum versamur. Nullum dubium est, sanguinem ob praegressam haemorrhoidum obstructionem valde esse corruptum. Magna spes sita est in earundem apertione, nam in febribus malignis juxta *Fabricium ab Aqua pendente* plus praestant haemorrhoidum per hirundines apertiones, quam venaesectio, quoniam reseratis arteriis sedalibus sanguis a corde revellitur.

Diligenter quotidie erunt inspiciendi oculi, manus tangendae, & lingua examinanda. Oculi, ut istans delirium. Manus, quae convulsionem instantem indicant: & lingua, quo sciamus, utrum morbus Ungaricus coindicat.

Pulsus servans aequalitatem bonus. Malus e contra inordinatus, & inaequalis.

Pulsus sanorum similes periculosi: significant enim naturam prae imbecillitate a coctione abstinere: juxta *Riverium*.

Motus convulsivi admodum periculosi sunt.

Mo-

Motus tremuli manuum & linguae funesti esse solent, & plurimum ab Hippocrate damnantur.

Surditas in principio apparens malum pollicetur.

Narium stillicidum malum.

Singultum & cardialgiae malum.

Maxima ciborum aversio periculosissima est.

Oculorum inflammatio certum appropinquantis mortis praenunci um, nisi haemorrhagia narium sequatur.

Per somnium etiam nunquid ex oculis sub appareat, inspiciendum. Nam si quid non exacte commissis palpebris ex albo sub appareat, modo non ex alvi profluvio, aut medicamenti, contingat, malum est signum, & lethale valde, *lib. 5. aphor. 52.*

Ex urinis in febribus malignis fere nulla prognosis elicitur, aut admodum incerta: siquidam, quae sanorum similis est, saepius pessimum exhibet signum: imo vero multi, coctionis signis manifesta in urina apparentibus, medio sublati sunt. Attamen urinae concoctae, & laudabile enaeorema habentes, idque multis diebus perservans, & de die in diem magis sese uniens, ac in matulae fundum sensim descendens, certam salutem perpetuo pollicetur. Vide *Riverium.*

Certius prognosticum, sed triste sumitur ad hoc, quando aegri floccos carpunt, vel plicas supra lectum explicant, vel quodlibet objectum inordinate arripiunt: quod qui faciunt, nunquam evadunt: quia significat delirium valde intensum, & non solum meningum, sed & oculi tunicarum inflammationem, & spirituum opticorum perturbationem incurabilem: propter quam oculis varia & falsa objiciuntur, quae aeger removere conatur. Vide *Hoefer. p. m.* 346. id aliquando tamen citra noxam, & aegri interitum factum fuisset refert *celeberrimus Horstius tom. 2. p. m. 92. observ. suarum,* quae dignae, ut noctu diuque a quovis practico legantur, ac in succum & sanguinem convertantur.

CAPUT VI.

Curationem docet.

CUratio nititur indicationibus: sunt vero duo potissimum hoc in casu indicantia, intemperies calida, & maligna, illa per alterantia, haec per alexipharmaca expugnanda. Adsunt etiam urgentiora symptomata, quae curationem ad se convertunt: vigiliae, alvi fluxus, animi deliquium, & linguae siccitas.

Remedia desumuntur e triplici fonte: chirurgico, pharmaceutico, & diaetetico. In primo sese offert venaesectio; quaeritur, utrum in aegro nostro celebrari possit? Resp. Nullum indicans venaesectionem reperimus hoc in casu, excepto calore febrili, & haemorrhoidum fluxu suppresso. Malignitas enim per se nunquam venaesectionem indicat. Itaque contraindicantia, perhibentia, & prohibentia quoque consideranda veniunt. Adest autem alvi fluxus, nausea, & summa virium prostratio, quae illam potius prohibent. Itaque ab illa abstinendum, & ejus loco cucurbitulae applicandae sunt, praesertim in partibus corporis inferioribus ad solvendam haemorrhoidum obstructionem, in quo spes salutis fere sita est. Conveniunt etiam hirudines venis sedalibus applicatae: modum applicandi docuit *Zacutus Lusitanus,* & ex hoc *Hoffmannus.*

Sane venaesectio in morbis malignis mihi semper fuit suspecta, & nunquam approbatur, nisi in plethoricis; quia thesaurus iste vitae humanae, fraenans acres & malignos humores per venaesectionem aufertur, & sic malignitas facilius praedominari potest. Hoc in nostro casu plane ob alvi fluxum exulare debet, qui est perpetuum prohibens. Et quum sit res maximi momenti, audiamus sententiam

pro-

pronunciatam a *Moraeo, practico dexterrimo*, ita dicentes: *observandum diarrhaeam magnum esse prohibens sanguinis missionis, ideoque in hac nostra maligna febre sanguinem non fuisse emissum, quia ipsa febrem, in qua tamen Hippocrates ita sanguinis missionem commendat, concomitatur. Fundamentum tamen etiam est in ratione, quia cum alvi dejectione, in qua diarrhaeae essentia consistit, plurimum vires dejiciantur, sanguis si emittatur, adhuc magis consequenter infirmus viribus destituetur, & sic tandem non supersunt, quibus possit morbum in vigore consistentem perdurare, quod tamen semper Medicus mensurare debet, alioquin actum est de vita infirmi. Igitur omni morbi tempore, quo diarrhaea adest, a sanguinis missione abstinemus.*

Solent alias Medici pro, & contra disputare. Et miror Minadoum Medicum Italum scripsisse de febri maligna, quod in hac febri audacter sit mittendus sanguis, si vero contingat, ut aegri moriantur, id factum esse, quod sanguis non sufficienter sit missus. Sed quid si ad animi deliquium usque emittatur sanguis, & aeger moriatur, valebit ne adhuc excusatio illa, mortuum esse aegrum, quod non sufficienter sit missus sanguis? Interim procede caute, nam venaesectio est remedium, quod Medicum ad summum honoris & famae fastigium evehit, & quod ipsum etiam facillime e solio iterum deturbare potest. Si enim sanguis non est missus, contendunt, si missus fuisset sanguis; forsan aeger evasisset: si vero mittitur, tunc inculpant venaesectionem, dicendo: febres malignas alexipharmacis expugnari, non vero vires dejici debent, quibus amissis natura contra malignitatem morbi pugnare nequit; quidquid ergo feceris, vulgi censura impinges, si solus es in cura, tum omnis culpa tibi soli imputabitur, si in mutuum consilium alios Medicos vocaveris, hic venaesectionem, alter sudorifera, alter laxativum proponet, & quum quilibet in sua opinione cedere nolit, fit inanis rixatio, quae omnia prolixius prosequitur *Grembius*.

Vicem venaesectionis supplere poterunt cucurbitulae, de quibus supra. Recte de illis *Celsus*: *ut ex iis minus vehemens est auxilium, sic certe est magis tutum, nec unquam est periculosum, etiamsi adhibentur, ideoque ubi sanguinem mittere opus est, periculumque a venasecta immineat, huc potius semper confugite.*

Ex hoc fonte etiam vesicatoria petuntur, quae auram venenosam tam e liquore vitali, quam animali potenter revellunt, quae aegro nostro in pedibus applicanda ordinamus, ne sanguinis motus ad vasa sedalia impediatur. Et quamvis illorum usus a nonnullis in dubium vocetur, plus tamen confidimus experientiae tot virorum illustrium, vide *celeberr. Horstii & Riverii observationes*. Experientiam hanc, inquit *Hoeferus in tractatu Hercules Medicus inscripto*, *in memetipso confirmare ausim, qui, quum anno 1632. eadem lue epidemica diebus canicularibus laborarem, & morbo in statu existente, per triduum totali usurationis sine cibo, motu, loquela destitueret, non sine parentis mei & adstantium stupore, post cantharides nuchae applicatas, & vesicam ruptam, rationi, loquelae, & tandem pristinae sanitati, DEO optim. maxim. medicamentis benedicente, restitutus fui.*

Cavendum tandam ne instante, vel praesente crisi adhibeantur, vel ne remedia uno eodemque tempore usurpentur, ne eveniat, quod fieri solet in incendio domus, ubi populus adeo occupatur, ut unus alteri sit impedimento.

E fonte pharmaceutico purgantia prodeunt, quae etiam nobis prohibentur, tum a malignitate, tum ab alvi fluxu: quo nomine non solum evacuantia proprie dicta, verum etiam lenitiva, & clysteres castigantur, & citra temeritatem, imo insaniam tali in casu, ubi diarrhoea comitatur febrem malignam, exhiberi nequeunt; illi enim temerarii non intelligunt naturam veneni, & nesciunt, quod particulae illae acres levissimo etiam motu agitari, & a circumferentia ad centrum summo cum vitae periculo, Medici infamia, & perpetuo conscientiae morsu, praecipitari possint. Interim ignorantia nihil doctus, & nihil audacius.

Vidimus nunc quid de venaesectione, purgantibus, lenitivis & clysteribus sit statuendum. Recte itaque primo statim intuitu aggredimur malignitatem, quae bezoardicis expugnanda: & quamvis Hippocrates sudores, sine coctione qui accidunt, insalutares esse statuat, tamen cum materia maligna, qua talis coctionem non admittat, sed si coctionem expectare velimus, omnes humores interim corrumpat, radices altiores agat & vires magis magisque convellat; rectius ad ipsa statim sudorifera confugimus. Et quum superius dixerim, symptomatum urgentiorum semper habendam esse rationem, ut itaque una fidelia duas dealbare possimus parietes, bezoardicis, & intestina corroborantibus etiam sic simul hunc curabimus affectum: detur itaque etiam pulvis sequens.

℞. *Pulv.Anglici* drach. sem.

℞. *Aqu.e typh.cervor.sin.vin. tormentill.* ā̄ā. unc.j.

℞. *Diascord.Fracast.* scrup.iv. *aq.cardui benedict.* unc.ij. sem. *specier.de hyacinth.* scrup.j. *liquor.diaphor.Myns.* scrup.j. mis. f.pot.

Haec & alia quoties opus fuerit exhiberi possunt, & sudores tecto corpore expectari.

Curatio diarrhoeae felicius peragitur sudoriferis, quoniam illa humores ad ambitum corporis a ventre revellendo non solum modo diarrhaeae, ubi cum maligna febre conjungitur, maxime prosunt, verum & ipsa malignitate febrili haec remedia etiam expostulante, ipsi malignae febri sunt remedium. Observandum enim hic iterum ex *Moraeo*, hasce diarrhaeas nunquam esse naturae salutares operationes, quod ex eo patet, quod patientem solummodo in pejorem statum cum virium dejectione deducant, neque sint facili tollerantia, aut etiam sequatur conferentia, qualiter sunt illae, quas in continuis simpliciter putridis febribus cum virium robore, morbique remissione non raro in praxi observamus: neque refert, quod in principio morbi, alvo solummodo primae regionis excrementa evacuante, non multum videntur debilitare, quoniam notabilis sequitur debilitas, dum, diarrhaea continuante, serositates vasorum evacuantur. Interim & caloris & virium etiam habenda erit ratio. Cui intentioni satisfacient sequentia.

℞. *Aq. theriacal.* unc. j. *rosar. regiae Viennens. ex nitr. destill. e succ.rub.idaei* ā̄ā. unc.ij. *spirit.refrigerant.* gt.xv. *sirup. liberant.* unc.j. mis.

℞. *Aq.ser.lact.destill. borrag.* ā̄ā. unc.ij. *julep. gemmat.* unc.sem. mis.

℞. *Specier. de hyacinth.diamarg.frigid.pulv.bezoard.sen.* ā̄ā. drach.j. *lap. bezoard. Orient.* scrup.sem. *nitri perlat.* gr.xv. mis. f.pulv.

℞. *Aqu.per epithem.cord.rosar.* ā̄ā. unc. sem. *carbunc.* drach.ij. *acet. bezoard. destill.* drach.iij. mis.

Vigiliae demulceri possunt sequenti emulsione.

℞. *Sem.melon.excortic. cucum.excort.* ā̄ā. drach.iij. *papav. alb.* drach.j.sem. contus. cum *aqu.ser.lact.rosar.borrag.* ā̄ā. unc.ij. emulg. l. a. add. *margarit.pp.* scrup.j. *man.Christ.perlat.ad grat.* mis.

Linguae ariditatem corrigit mucilago seminis cydoniorum: gelatina c.c. vel quod erit instar omnium, aqua rubra ad fauces. Cujus genuinam descriptionem mihi *Hospes meus venerandus*, communicavit, quam multi inter arcana habent.

Unicum adhuc notandum de *diaphoreticis & cardiacis*, quae liberaliori exhibita manu cordis motum intendunt, quin & saepissime ejus robur frangunt, quare vulgaris observatio est, quod cardiaca, non raro mortem accelerant, eo quod cruorem nimis exagitando vires citius alterant.

Caveant ergo sic sibi juniores Medici, & discant recte ex praecedentibus mederi, ne tam multos aeterno imposterum commendent somno.

Simili prudentia & circumspectione etiam opus circa *opiata*, haec enim, quoniam spiritus vitales extinguendo & figendo opus suum perficiunt, si in pulsu debili, ac

vacillante usurpentur, suffocando somnum perpetuum accersunt, id quod quotidiana experientia satis superque testatur. Quare in pulsu languido, inaequali, ac formicante, cane pejus & angue opiata vitanda erunt.

CAPUT VII.

Diaetam praescribit.

Diaetam quod attinet: consistit illa in legitimo sex rerum non naturalium usu, itaque in illis aegro nostro erit servandus modus: aër vitiosus corrigendus floribus fragrantibus hinc inde sparsis, aut suffitu ex rebus odoratis, miasmati venenoso resistentibus. Praeter quam enim quod ejusmodi thymiamata aërem infectum corrigunt, etiam spiritus vitales, pravitate venenosae aurae infectos, a foedis inquinamentis depurant, quemadmodum quaevis odorata in abdita corporis trajiciunt, spiritusque valde alterant, ac in lipothymiis rerum fragrantium odore evanescentes spiritus revocantur & instaurantur. Sic referunt *Democritum insignem suorum temporum Philosophum*, morti jam proximum, panis calentis odore integrum triduum effluentem spiritum retinuisse. Hinc aliis in plurimis morbis suffitus antiquis fuere familiares; ut videre est apud *Hippocratem*, *Avicennam*, & alios; nec muliebre commentum est, etsi illae sine consilio re hac saepissime utantur, & quamplurimos patientes liberent: vide *Neucrantz de Purpura.*

Victu utantur tenui, cremore ptisanae, avenae, panatella ex cerevisia & pane triticeo, ex jusculis hordei oryzae, pullorum, caponum, aliisque facilis concoctionis, cum succo citri, cydoniorum, rubi idaei, & aliis paratis.

Potus sit decoctum, cor. cer. citri Mynsichti, emulsiones amygdalarum, julepi refrigerantes & confortantes: tinctura rosarum. Et quum assuetus sit cerevisiae, admittimus tenuem defaecatam, & probe coctam, cui radix scorzonerae, rasura cor. cervi, eboris, & alia imponi possunt. Vinum jubemus exulare, quia ob leptomeriam sponte sursum tendit, caput ferit, & vigilias contumaces, & delirium excitat, ac sulphure suo, a maligno calore accenso, sanguinem inflammat. Et *Neucrantz in tract. de Purpura*, ut & *Hoeferus in Hercule medico*, testantur, omnes fuisse mortuos, quicunque vino abstinere noluerint.

Quin & vini, aqua cocta, aliave refrigerante diluti usus merito suspectus est: *clar. Riverius* in nonnullis subjectis vinum concedit, si scil. febris sit exigua, venenata vero qualitas plurimum intensa, & corpus aegrotantis pituitosum. *Zacutus Lusitanus*, ut in omnibus sic & in hoc puncto mirabilis, indifferenter omnibus illud concedit. Sic juxta *Celsum* saepe quos ratio non restituit, temeritas adjuvat. Usus acidularum etiam interdictus, quod interiora nimis refrigerent, & a circumferentia ad centrum moveant. Praesertim quum in nostro aegro habeamus alvi fluxum symptomaticum, qui ab usu acidularum ingravesceret.

Quoad reliqua decumbat aeger quantum possibile; quiete, quo per continuam diaphoresin venenata spicula exspirent. In somno & vigiliis sit moderamen, quorum alterutrum, si extra naturae legem abeat, convenientibus medicamentis reduci potest. Animi affectus declinentur, qua in re & adstantes suum faciant officium. Confidat aeger Deo, qui potenti suo verbo languores nostros non raro sanat, ubi omnis consilii humani vis cespitat, ac cuncta desperationi proxima instantem interitum nunciare videntur. Huic sit laus & gloria in saecula saeculorum.

DISPUTATIO XXXIX.

DE SCORBUTO.

ARNOLDI CURTII.

J. N. D. N. J. C.

§. 1. AFfectus, quem explicandum aggredior, vocatur vulgariter SCORBUTUS, vel a symptomatibus urgentioribus nunc ΣΚΕΛΟΤΥ'ΡΒΗ a cruciatu crurum, nunc ΣΤΟΜΑΚΑ'ΚΗ ab oris vitio, dentibus vacillantibus, & exulceratis gingivis, a nonnullis etiam appellatur OSCEDO. Verum quum cordatus Medicus aegrotantium accedens lectos non soleat esse sollicitus de aethymologia ac synonymia affectus veluti rebus ad curationem parum vel nihil conferentibus, ne tempus vanis teramus speculationibus, & occasionem, quae praeceps esse solet, dilabi patiamur, ea criticis relinquendo, sufficit dicere apud nostrates vocari Scorbutum.

§. 2. Huc etiam spectat quaestio illa magis curiosa, quam utilis: num tempore Hippocratis hic morbus fuerit cognitus? quae hinc inde a Medicis pro & contra magno cum fervore fuit agitata, quasi magni sit momenti haec scire. Quid? si cognitus fuit, an forte auctoritate hujus viri malum istud profligabis? sin vero non fuerit cognitus, quid damni inde, vel lucri expectandum? propterea sepositis his omnibus me ad ipsam hujus affectus explicationem accingam. Sequar autem illam methodum, quae apparentias, & phaenomena morbum concomitantia, eorundemque caussa eruere jubet (secundum illud vulgare, quod scientiam praecedat historia) antequam tradatur ipsius affectus caussa, definitio, prognosis, & curatio.

§. 3. Sunt autem accedentia, & symptomata hujus morbi multiplicia & varia, ut vix aliquis reperiatur affectus, qui non huic morbo nonnunquam associetur, hinc factum est, ut si aliquod novum & antea incognitum symptoma in morbo aliquo occurrat, statim confugiant nonnulli ad affectionem SCORBUTICAM, & accusent SCORBUTICA labe contaminatum. Verum enim vero etiamsi non negandum, quod saepissime symptomata plane contraria occurrant in hoc affectu, ut e seqq. patebit, tamen nemo inficiabitur, multos in eo committi errores, dum non raro id, quod nequaquam adest, accusatur: adeoque principaliora recensebo symptomata, dividendo illa in quatuor classes: occupant enim omnes totius corporis partes, caput, pectus, abdomen, & artus, sive partes externas.

§. 4. In capite principaliora symptomata sunt, motus convulsivi, vigiliae continuae, somnus immoderatus, cephalalgia, vertigo, frequens sputatio, foetor oris, odontalgia, gingivarum putredo, &c. In pectore varii occurrunt dolores lancinantes partium membranosarum, respiratio difficilis, tussis, phthysis, haemophthysis, animi deliquia, cordis palpitatio &c. Infimi ventris sive abdominis mala ex hoc morbo oriunda sunt innumera, propterea etiam veteres crediderunt thronum & principaliorem sedem in abdomine morbum hunc erexisse, de quo postmodum: solent tamen illum fidissime comitari nausea, vomitus, nonnunquam etiam insatiabilis ciborum appetentia, hypochondriorum inflatio, murmura, & rugitus, dolor colicus, tenesmus, dysenteria, diarrhaea, alvi obstructio, affectus hysterici varii.

§. 5. In partibus externis non minus suam exercet tyrannidem, dum mox totum occupat corpus, mox hanc, vel illam partem solam: sunt autem dolores

nunc constantes & perpetui sine remissione, nunc vagi & cum remissione: accedit lassitudo spontanea, macies & contabescentia carnium, artuum debilitates, maculae nunc rubrae, nunc lividae, nunc ad nigredinem vergentes, tubercula & ulcera sordida, excrescentiae carnis spuriae, stupor & formicatio musculorum, contracturae, aliaque innumera symptomata.

§. 6. Haec sunt communiora symptomata, quae fere semper hunc comitari solent morbum, ubi tamen notandum, quod nunquam in uno subjecto omnia haec symptomata simul appareant, sed nunc pauciora, nunc plura, saepius insueta plane & prodigiosa phaenomena, systemati nervino praeprimis infensa, coincidunt, ubi prudens Medicus valde cautus esse debet, ne statim cum vulgo ad incantationem & caussas supernaturales delabatur, alias facile existimationis suae faciet dispendium, & stygma inutet conscientiae: solent enim plebiculi ut plurimum percepta caussa supernaturali sive incantatione ad illicita consurgere remedia, ut diabolum ejiciant per diabolum: hinc satius erit, si suum suspendat Medicus judicium, usque dum successu temporis omnium rerum magistrae morbum cognoscere possit.

§. 7. Enarratis nunc & recensitis apparentiis, seu phaenomenis morbum hunc comitantibus, videndum num omnium horum symptomatum sine contradictione possit dari ratio: antequam autem hoc aggrediar ex re erit ad meliorem rei elucidationem nonnulla generalia oeconomiam animalem spectantia praemittere.

§. 8. Notandum itaque, quod ore assumtus cibus saliva permistus, & ad ventriculum delatus mediante fermentatione mutetur in chylum, qui dehinc egressus in intestinis nova suborta fermentatione, vel saltem diluitione quadam ab affluxu duorum humorum bilis nempe, & succi pancreatici segregatur ab alvinis faecibus, & per vasa lactea propellitur ad receptaculum commune, sive sacculum chyliferum, dehinc infunditur per ductum thoracicum venae subclaviae insertum sanguini, quo cum confusus devehitur ad dextrum cordis ventriculum, ex quo novam passus fermentationem protruditur sub forma sanguinis ad pulmones, ex quibus particulis aëris, quas alii nitro sulphureas appellant, prius impraegnatus ad sinistrum cordis vehitur ventriculum, in quo denuo rarefactus distribuitur ad omnes partes totius corporis pro caloris & nutritionis conservatione. Egreditur autem corde per arteriam magnam, quae statim in duos dividitur ramos ascendentem & descendentem: ascendens constituit arterias carotides & cervicales, quae in minutissimos distribuuntur surculos plexum choroidem, sive rete mirabile in cerebro constituentes, non solum ad cerebri, omniumque totius capitis partium nutritionem, verum etiam ad spirituum animalium generationẽ, qui sola segregatione ex sanguine spirituosiori, & subtiliori juxta leges naturae prae crasso superiora petente, generantur, ad motum & sensum in oeconomia animali perficiendum destinati. Superfluus autem, vel non sufficienter coctus sanguis iterum per venas refluit ad cor, ut modo ante dicto de novo exaltetur. Per ramum arteriae descendentem sanguis devehitur ad partes corporis inferiores nutriendas, variaque variorum viscerum fermenta constituenda, ubi notandum, quod quo magis recedat a centro, eo crassior reddatur: peracto vero suo officio ulterioris exaltationis, & praeparationis gratia ad mare sanguineum in orbem redire solet.

§. 9. Porro notandum sanguinem ex innumeris constare particulis: insunt enim illi juxta Hippocratem partes amarae, acidae, salsae, austerae, & sexcentae aliae, quae tamen quamdiu in unum conspirant motum, & exactissime sibi invicem sunt mistae, itaut nulla prae alia sibi praedomium vendicet, minimam efficiunt perturbationem, & tamdiu machina nostra dicitur sana: quam primum

vero una pars prae altera praedominatur, non potest non magna excitari turbatio; immutatur enim statim tranquillitatis status, unde innumera oriuntur mala.

§. 10. Hisce praemissis videndum nunc quomodo enarrata symptomata possit induci, initium faciendo a symptomatibus capitis, ubi variae occurrunt cephalalgiae: quaeritur unde hae proveniant? ex ante dictis notum, quod sanguis quamdiu aequaliter sit mistus, tamdiu nullum inducere possit malum: verum si solito crassiores & viscidae partes ingrediantur mass. sang. non possunt non subtilioribus permistae una cum illis ascendendo caput petere; celerrimus enim motus non permittit, ut sese a compedibus liberare possint, & secundum leges naturae inferiora petere; hine minutissima in cerebro, aliisque capitis partibus vasa dilatando, partesque circumjacentes comprimendo dolor inducitur gravativus, si autem partes a tergo insequentes sint aptae, ut iterum secum rapiant crassiores illas partes, tunc cessat dolor, verum si fixam sibi parant sedem, dolor erit continuus.

§. 11. Si autem materia illa crassa interiores capitis partes perlustrat, ita ut pertingat ad rete mirabile sive plexum illum vasorum choroides dictum, ostiola solito magis dilatat & ingreditur ventriculos cerebri, eodem modo ut alias spir. an. ingrediuntur, & sic spiritus non solum crassiores, sed & deficienti quantitate generantur, propterea quia vel non sufficiunt, vel non apti sunt ad peragendas actiones animales, cerebrum, & nervorum systema spirituum inflatione destitutum, ceu vela ventis sedatis flaccescunt, unde oritur somnus immoderatus.

§. 12. Si incidat forte fortuna in introitum nervi optici, tunc si spir. an. celerrimo motu nervum illum ingredi conantes in motu suo progressivo per lineam rectam impediantur, non possunt non secundum leges naturæ circulariter moveri, non aliter ac in flumine aliquo celerrime praeterlabente, ubi aqua posita obice in gyrum movetur, tunc anima judicans secundum consuetudinem putat corpora externa oculos efficientia in circulum moveri, quem affectum vocamus vertiginem: si autem materia illa crassa ventriculos cerebri, magna ingreditur in copia eorumque latera oblinit & sic plurimos obstruit nervos oriuntur morbi comatosi.

§. 13. Verum res plane aliter sese habet, quando particulae acriores & salinae praedominantur in mass. sang. hae enim cum subtiliori sanguine sursum raptae minutissimos & suae figurae inconvenientes offendunt poros, ibiq; haerent, hinc pungendo & corrodendo dolorem inferunt pungitivum, qui vel continuus est, vel intermittens, quatenus nempe particulae vel fixae aliquādiu manent in uno loco, vel a partibus tergo inseqq. iterum secum rapiuntur, & tunc vel immediate iterum cum humoribus circulantibus reducuntur versus cor, vel in loco figuntur, unde dolor vagus nunc hunc, nunc alium occupans locum, hinc si incidant in tunicam radices dentium circumcingentem, oritur odontalgia, si vero vascula sanguinem huc deferentia corrodit, ut exstillet sanguis, gingivae putrescunt, & foetorem satis molestum emittunt, inde etiam provenit haemorragia a minimo gingivarum contactu.

§. 14. Si materia talis acris vellicat nervos, tunc spir. anim. fulminis instar illos pervadunt, itaut tumultuarie & sine ordine influant, nec auscultent directioni mentis, inde motus convulsivi, & spasmodici nunc in hac, nunc in alia parte, quibus non raro ipsa supervenire solet epilepsia.

§. 15. Medii ventris communissimum symptoma est respiratio difficilis: ad respirationem requiritur legitima musculorum abdominis dispositio, nec minus pulmonum & diaphragmatis: quando vero sanguis scatet multis particulis salinis acribus & corrosivis tunc musculi abdominis, ut & diaphragma istiusmodi salibus referti cum difficultate attolluntur, unde respirandi difficultas, vel si ventriculus est repletus muco acido facile inflatus abiente, unde ventriculus distenditur, qui diaphragma sibi immediate incumbens ita comprimit, ut libere moveri

non

non possit. Deinde oritur etiam si cellulea pulmonum sunt obstructae materia quadam crassa & viscida, tunc enim aër ingrediens non potest sufficienter poros & cellulas omnes inflare & permeare, propterea si cum impetu quasi repellitur aër, vellecat laryngem, sive asperam arteriam, unde spir. anim. cum impetu influunt in diaphragma & musculos circumjacentes expectorationem, juvantes inde oritur tussis, a qua nimis commotione, vel etiam a materia crassa in pulmonum cellulis latente jam jam situm, & acrimoniam contractam facile potest corrodi, vel disrumpi vas aliquod sanguiferum in pulmonibus, unde sputum cruentum sive haemophthysis, si vero ipsum pulmonum parenchyma corrodit, ita ut ulcerosa inde fiat dispositio, tandem abit in perfectam phthysin.

§. 16. Eadem haec obstructio est caussa angustiae, & palpitationis cordis, quatenus sanguis circa pulmones restagnat, acriorque factus fibras, & nervulos cordis vellicat: hinc motus cordi inducitur tremulus, spiritusque an tali vellicatione invitati tumultuarie influendo contrahunt cor, unde angustia ejus, & lypothymia: deinde sanguis crassus, & simul viscidus ac glutinosus permeans cordis ventriculos propter crassitiem ad accensionem non ita dispositus est ad effervescendum (hinc pulsus rarus) postmodum semel rarefactus in spumam quasi abit, unde majus requirit spatium, sicque parietes cordis plus justo dilatantur, in illa dilatatione pori in cerebro plus solito aperiuntur, ita ut spiritus copiosius, & inordinate influant, unde talis spasmodica fibrarum cordis contractio, sive vellicatio oritur.

§. 17. Supra dictum quod sanguis per ramum arteriae magnae descendentem inferiores corporis partes pervadens varia in variis visceribus constituat fermenta: hinc si sanguis labe quadam afficiatur non possunt non simul fermenta viscerum corrumpi, si itaque sanguis est crassus, & viscidus, fermentum ventriculi, cujus natura consistit in acido volatili, corrumpitur, ut crassum & mucosum evadat, unde appetitus prosternitur, nec cibi assumti bene digeruntur, sed diutius in ventriculo haerentes, illumque solito magis distendentes fibras nerveas vellicant, hinc spiritus an. solito copiosiores influentes peristalticum ventriculi pervertunt motum, unde nausea, & vomitus. Si vero vitiose digestus cibus egrediatur ex ventriculo sub forma chyli ad sanguificationem conservandam innumera inde possunt oriri mala; vitium enim primae coctionis nunquam corrigitur neque in secunda neque in tertia, sic in intestino duodeno affluente bile, & succo pancreatico non potest non propter male digestum chylum vitiosa fieri secretio, unde maximam partem in acidam abit massam, hinc si postmodum de novo affluat succus pancreaticus, mucum illud resolvens flatus, murmura & rugitus, qui distendunt intestina, generantur, hinc hypochondria inflantur, & non raro etiam mordacissimus exinde oritur dolor colicus.

§. 18. Idem flatus non raro etiam caussa sunt obstinacissimae alvi obstructionis, & passionis hystericae, quamvis non diffitear, quod haec saepius a materia quadam acri vellicante, & corrodente fibras nerveas maximam partem uteri constituentes proveniat, quapropter sp. an. inordinate influentes motus producunt convulsivos. Eadem haec materia acris musculum sphincterem ani dictum incidens eumque vellicans tenesmum sive perpetuum desiderium exonerandi alvum inducit, si vero sp. an. motum augent peristalticum intestinorum, tunc oritur diarrhaea, quae si diu durat, ita ut mucum intestinalem abradat, & simul tunicam interiorem corrodat, aperiuntur oscula vasorum sanguiferorum, ut sanguis simul effluat cum alvinis faecibus, quem affectum vocamus dysenteriam sive alvi fluxum cruentum.

§. 19. Ex jam dictis rationes symptomatum partium externarum colligi possunt, sic quando materia crassa, vel irregularis offendit poros inconvenientes in

par-

partibus solidis, oritur obstructio, & tunc partes vel comprimuntur vel distenduntur vel corroduntur. Si exuviae acres vasa capillaria corrodant, guttulae sub cute apparentes exstillant, & pro varietate corrupti sanguinis varii coloris maculas producunt, ut plurimum tamen in principio rubrae apparent, post ubi particulae volatiliores relictis crassioribus abeunt in auras, lividi fiunt coloris, & tandem si concipiant putredinem ad nigredinem vergunt, si partes vicinas fibrosas aggrediuntur, & corrodant, oriuntur ulcera satis molesta. Saepius momentaneae sunt hae maculae cito apparentes, & statim iterum evanescentes, quatenus a tergo sequentes particulae sanguinis magis concitatae priores iterum secum rapiunt.

§. 20. Antea dictum, quod ex sanguine crasso crassi, & pauci generentur spiritus, qui si intrant vias magis tritas relictis aliis, non potest non inde oriri lassitudo spontanea artuumque debilitas; si enim sufficienti in copia non influant, musculos etiam inflare nequeunt, inde eorum naturalis laeditur motus, & sic velorum instar ventis sedatis flaccescunt, quibus hoc etiam accedit, quod tum sanguis tum succus nutricius seguius circulentur, & spontaneam illam lassitudinem non parum augeant.

§. 21. Requiritur ad nutritionem ut humor nutricius, i. e. particulae chylosae, aliquo modo viscidae, & dulces rite separentur a sanguine in tubulis sive interstitiis partium solidarum, deinde ut humor nutricius neque celerius neque tardius justo partes nutriendas trajiciat, quo possit fibris & staminibus partium solidarum agglutinari, & in earum substantiam mutari. Quando vero massa sanguinea est nimis crassa, & viscida, ita ut hae particulae non possint sese a compedibus liberare, & singulis pulsibus per poros arteriolarum in partium tubulos ingredi, ad supplendas vices partium perpetua diaphoresi e corpore decedentium, vel si sanguis sit nimis acris, ut loco particularum flexibilium, & dulcium partes segregentur acres, pungentes, & corrodentes, tunc plane contrarium edunt effectum, semperque aliquid abradendo per insensibilem transpirationem secum educunt, unde macies & contabescentia.

§. 22. Ex anatomaticis notum, quod semper venam, & arteriam comitetur nervus, quando itaque sanguis crassus, & viscidus restagnat in minutissimis ramulis venarum, & arteriarum musculos perreptantium, tunc vascula illa dilatantur, nervuli autem comprimuntur, ita spirituum an. fluxus impeditur, & refluxus, hinc illi qui adhuc continentur in illis angustiis tumultuarie moventur, quia nullum inveniunt exitum, inde oritur formicatio, & stupor musculorum, videmus hoc quando brachium arctius inponamus mensae, ita ut nervus comprimatur, tunc paulo post oritur talis stupor, & formicatio in manu.

§. 23. Ex hisce jam prolatis omnium aliorum symptomatum caussae, & rationes facile colligi possunt, ita ut non opus esse existimem, plus temporis hoc in negocio perdere, ne ipsa disputatio in immensam excrescat molem. Propterea enarratis, & recensitis apparentiis seu phaenomenis eorumque caussis ex re erit, ut videamus num vera hujus affectus caussa nunc melius possit cognosci. Verum quum vera, & immediata alicujus affectus caussa saepe saepius perspectis caussis antecedentibus, quae desumuntur ex rebus non naturalibus, & praeter naturalibus, ut loqui amant institutionistae (etiamsi, quod incidenter moneo, omnis caussa sit naturalis) clarior, & evidentior fieri soleat, nunc etiam ductum hujus fili sequar, ne aliquid, quod ad majorem caussae evidentiam quid conferre possit omittatur.

§. 24. Primum itaque quod sese considerandum offert est aër, qui dubito procul multum confert ad inducendum hoc malum; videmus enim, quod in locis maritimis, & paludosis morbus hic sit endemius, ubi meo quidem judicio nihil aliud accusari potest, quam aër multis particulis salinis inquinatus; qui inspiratione

tione attractus,] vel propter immediatum contactum per poros corpus [humanum ingressus mass. sanguin. variis modis corrumpere potest, peregrina enim illa salia peregrinam etiam & noxiam in machina humana producunt effervescentiam: si autem quis dubitet, num aër in illis locis tali modo sit inquinatus, attendat ad hoc unicum, quod diu vagantes circa littora maris degustando capillos saporem percipiant salsum, unde haec salsedo nisi ab aëre ambiente? accedit & hoc quod istis in locis delectentur cibis muria conditis, & fumo induratis, unde sanguis fit crassus, multisque salibus terrestribus impraegnatur: qualis enim cibus, talis chylus, qualis chylus, talis sanguis.

§. 25. Vitam sedentariam agentes ut plurimum huic malo sunt obnoxii: inquirendum itaque quosnam vita sedentaria producat affectus: notandum humores cujuscunque sint generis, si diu stent immoti, putrescere, aquae enim stagnantes semper sunt crassiores multisque faeculentiis impraegnatae, ac facilius corrumpuntur quam aquae fluviales: eodem modo humores machinae nostrae a vita sedentaria restagnant propter impeditam insensibilem transpirationem; hinc massa sanguinis solito crassior redditur, ex qua postmodum spir. an. sufficienti in copia non generantur, unde variae obstructiones viscerumque imbecillitates oriuntur, ut plurimum etiam solitudinem amantes, multis dediti sunt lucubrationibus, unde spiritus an. alias ad actiones vitales] peragendas destinati consumuntur, hinc cessante illorum rigore, cessat quoque ipsius sanguinis in motu alacritas.

§. 26. Febres quartanas, & diuturnas aliosque morbos chronicos male curatos non raro sequitur Scorbutus: notum autem quod febres quartanae saepe protrahantur ad duos vel tres annos (ea propter etiam opprobrium Medicorum audiunt) antequam restituantur aegri: hinc in perpetua illa vitiosa sanguinis effervescentia facile fieri potest, ut massa sanguin. solito acrior reddatur, quia particulae sanguinis a perpetua illa collisione talem possunt nancisci figuram ut gladiolorum instar, & acuum scindendo, & pungendo corrodant. Vel massa sanguinea potest reddi viscida, & crassa, eodem modo uti alias duo liquores inter se invicem misti effervescentiam instituentes sedata illa effervescentia abeant in coagulum uti in affusione spirit. vitrioli, & ol. tartari per deliq. videre est. In aliis morbis chronicis notandum, quod aegrotantes per longum temporis spatium vitam agant sedentariam, omnique corporis careant exercitio, unde massa sanguinea in illis facile corrumpitur, uti in §. praecedente dictum.

§. 27. Nonnunquam praecedunt hunc affectum solitarum, & consuetarum evacuationum suppressiones, quas non potest non sequi magna sanguinis discrasia, quatenus restagnantibus humoribus partes volatiles vanas abeunt in auras solis relictis crassioribus, quae in motu progressivo praepeditae celerius circa proprium moventur axem, ut tandem a perpetua illa collisione partes alias rotundae, triangulares, quadrangulares, vel cujuscunque sint figurae evadant acutae pungentes, & scindentes.

§. 28. Denique observamus, quod parentes labe scorbutica infecti producant scorbuticos: quale enim semen, tale germen, & qui diu versantur cum scorbuticis tandem eadem corripiuntur labe, quod facile inter conjuges fieri solet, ut uxor marito labe hac infecto etiam inficiatur; ex quo patet alteri ab altero miasma scorbuticum per contagium communicari, osculando enim certantes alter alterius inspirat halitum, vel recubantes sub uno tegmine sive stragulo miasma ex uno corpore per insensibilem transpirationem egrediens in alterius sese insinuat.

§. 29. Hisce praemissis me ad veram hujus affectus caussam accingo, susque deque habitis variis aliorum opinionibus, quarum farraginem apud *Sennertum* aliosque videre licet: verum quum diversi generis phaenomena, & sibi invicem

saepius

saepius contraria diversis in subjectis apparere soleant duplicem hujus morbi caussam esse dicimus, unam sanguinem crassum, viscidum, & glutinosum, in quo acidum vitiosum praedominari videtur; alteram sanguinem acriorem multis particulis salinis impraegnatum. Hac in opinione non solum ex ante dictis phaenomenis, & symptomatibus morbum hunc concomitantibus confirmamur, verum ipsa quoque curatio hos reddit certiores, dum in hoc scorbuto optimo cum successu propinentur medicamenta volatilia, i.e. salia volatilia in se continentia, vulgo antiscorbutica calida audiunt, quae tamen in alio scorbuto malum magis exasperant, hinc exulare jubentur, inque eorum locum medicamenta spicula salina infringentia, & obtundentia, qualia sunt Martialia, & oleoso, vel sal illud diluentia, qualia sunt temperata aquosa, ut beccabunga, acetosa &c. substituuntur.

§. 30. Ex hoc duplici caussarum fonte duplicem etiam statuimus scorbutum, alium salsum & acrem, alium acidum crassum, & viscidum, vel uti alii loqui amant, calidum, & frigidum. Alias differẽtias, quas in scenam producunt Auctores partim a modo generationis, quatenus est vel conatus, vel haereditarius, vel proprio vitio ac diaeta acquisitus; partim a tempore invasionis, quatenus est vel recens, vel inveteratus; partim a symptomatibus morbum concomitantibus, desumtas, non tanti quidem facio, ut illis diutius immorer, quum nullam essentialem instituant differentiam, interim tamen in prognosi attendi debeant, eas paucis his innuisse sufficiet.

§. 31. Describimus itaque SCORBUTUM, quod sit: *intemperies totius massae sanguinis jam acris, & salina, jam acida, crassa & viscida, varia variarum partium symptomata introducens*. Hac ex descriptione patet totam massam sanguineam esse primarium hujus morbi subjectum, non autem hoc vel illud viscus peculiari quadam intemperie laborans: omnis enim viscerum intemperies oritur, & dependet ab intemperie sanguinis; hinc ubi sanguis crassus, viscidus & faeculentus lento incedens gradu ibi viscera, & tota nostra machina reperitur frigidior: si vero sanguis sit acris vel aliis scatet partibus mobilioribus, ita ut celerrime suum absolvat cursum a centro ad peripheriam, & a peripheria iterum ad centrum, tunc viscera sunt calidiora, quia calor, & frigus dependent a majori, vel minori motu intestino particularum minimarum.

§. 32. Veteres eorumque asseclae sententiam hanc de subjecto scorbuti invertere conantes, dicunt ipsam contradicere experiẽtiam, quum in apertione cadaverum scorbuto interfectorum lien semper male dispositus, & ut plurimum scirrhosus reperiatur, hinc necessario lienem esse subjectum hujus morbi. Verum respondemus falsam esse consequentiam; non enim distinguunt, sed confundunt caussam cum effectu, quando lien reperitur scirrhosus in cadavere scorbutico, tunc est productum morbosum, & sic effectus ipsius sanguinis scorbutici, nequaquam vero caussa morbi, interim tamen non negamus, quod lien jamjam scorbutica labe infectus multum ad hujus mali augmentationem contribuere possit.

§. 33. Quum occasionaliter hic deveniam ad lienis usum, non inconveniens erit si paucis hac de re me expediam: non enim dubito, quin multos mihi creem adversarios, quoniam hoc viscus est pomum Eridis in schola Medica; tot enim fere sunt sententiae de ejus usu quot scriptores in Anatomicis, & doctrina de usu partium, ita ut etiam totos de hujus visceris usu conscripserint libros: ego tamen, si ingenue loqui liceat, hoc viscus non magni faciendum esse existimo, variatio enim figurationis alicujus rei inconstantiae indicium est, vix autem tria quatuorve aperiuntur cadavera, quin semper aliqua reperiatur mutatio in liene quoad figurationem externam, cui accedit, quod animalia satis vegeta sine liene vivere possint & vivant, quicquid alii etiam regerant, quasi dempto illo ultra anni spatium vitam non protrahere neque gignere possint, utrumque falsum esse experientia

persuasus affirmo: habeo enim in patria mea canem, qui satis vegetus, & ad generationem, nonsolum pronus, sed & aptus jam annum superavit quartum cum dimidio: ex hoc colligi potest quanta utilitas delata sit in scholam Medicam ex eorum laboribus, qui tantum temporis consumserunt in conscribendis libris de hujus visceris usu.

§. 24. Signa diagnostica ex antedictis patent, quibus potest addi urina quae, etiamsi alias infidissimum signum, nisi conjungatur cum aliis, tamen hoc in affectu saepissime infallibile praebet signum; reperitur enim fere semper rubicunda, & lixivialis, apponens parietibus matulae cremorem quendam sabulosum, & rubicundum, & ut plurimum excernitur cum ardore, & dolore circa glandem penis. Verum quia nunquam omnia phaenomena simul occurrant in uno subjecto, hinc opus habemus signis pathognomicis, quae sunt exulceratio, & putredo gingivarum ac maculae in cruribus, & brachiis, quibus potest addi urina jamjam descripta, & si quis saepe horrorem quendam quasi febrilem sentiatur sine accessione febris, tunc debemus etiam cogitare de scorbuto invadente.

§. 35. Signa prognostica futurum indicant statum: hinc dicimus omnem Scorbutum esse periculosum, & curatu difficillimum, in principio enim raro vel nunquam cognoscitur, alias facilius curaretur: interim tamen ad symptomata attendendum, quo enim plura, & graviora symptomata illum comitantur, eo periculosior, & curatu difficilior est: insuper admodum generandi, locum & tempus quoque respiciendum, §. 30. dictum de modo generandi, & tempore: hinc notandum quando a proprio vitio ac diaeta inducitur, & Medicus in principio advenit, tunc adhuc spes reconvalescentiae adest, quando vero est morbus haereditarius vel connatus, ita ut a nutrice in infantia miasma illud scorbuticum sit communicatum aegrotanti, vel quando est inveteratus, & jam jam altas egit radices in massam sanguineam fermentis viscerum, humoribus circulantibus & nervino, tunc res conclamata, & morbus nunquam curatur, etiamsi symptomata aliquomodo mitigentur, ita etiam locus bene est considerandum, ubi nimirum degit aegrotans, num sit salubris, ita ut aër sit purus nullisque crassamentis impraegnatus tunc etiam curatu est facilior; si vero aër impraegnatus est multis impuritatibus, & salibus tunc nequidem cogitandum de integra restitutione, quicquid enim per medicamenta corrigitur, id ab aëre corpus nostrum ambiente, & inspiratione deglutito iterum corrumpitur.

§. 36. Curatio nititur suis indicationibus, & remediorum materiis: indicat autem caussa morbifica sive materia peccans sui praeparationem, & evacuationem, quae debent fieri remediis, & praesidiis ex triplici fonte Chirurgico, Pharmaceutico, & Diaeterico desumtis: primas ergo sibi vindicat chirurgia venae-sectionē suppeditans, quam nonnisi in mali hujus principio cōcedi posse existimo, in inveterato vero tutius erit eam plane omittere, quia ut plurimum Scorbutici sunt emaciati ut vix ossibus haereant; insuper in sanguine consistit vita corporis, hinc non debet absque summa urgente necessitate emitti, ne simul cum sanguine profundatur vita.

§. 37. Est alius adhuc modus evacuandi sanguinem, qui saepe summo cum successu in hoc morbo observatur, quando hirudines applicantur vasis sedalibus, hoc fit primo si consueta per istius modi vasa est suppressa evacuatio, vel si haemorrhoides tumeant, quatenus sanguis crassus, viscidus & multis impuritatibus scatens inferiora petit, & propter defectum spirituum amplius in circulum ire nequit, sed in vasis capillaribus restagnans tumorem excitat.

§. 38. Ante aliquot annos novam per chirurgiam innotui curandi methodum, quae ab infundendo vocatur *Chirurgia infusoria*: infunduntur enim venae sectae, & sic immediate miscentur massae sanguineae medicamenta tam purgantia

quam

quam alterantia: multa a multis hac in re sunt tentata in canibus aliisque brutis nunc optimo cum successu, nunc vero summa cum infelicitate martyrum tandem etiam sudaciores conati sunt in usum vocare apud aegrotantes, ut videre apud cl. *Ettmullerum* in peculiari disp. *de Chirurgia infusoria cap.* 1. §. 5. Verba ejus haec sunt. *Milites tres gregarii primi experimentum in seipsis, ab Elsgotio persuasi, fieri passi sunt. Ulcere antiquo laborabat primus in crure sinistro, unde aperto venae cruralis ramo interno, & ulceri vicino, beneficio syphonis parvi aqua plantag. injecta fuit. Alteri febri afflicto post sanguinem per apertam medianam emissum aq. card. bened. stillat. cochlear unum immissum. Scorbutica cacochymia torquebat tertium, cui similiter post sufficientem sanguinis ex vena mediana extractionem, aq. cocl. portio infundebatur. Dantisci in Nosocomio publico militi lue venerea inveterata cum ulceribus in tibiis, tumore brachii dextri, doloribus capitis horrendis, cum gummatis seu nodis in ossibus laborante, resin. scamm. gr. vij. dissolutae in esf. guajac. ad drach iii. infusa fuere, unde insequente vomitu subitanea omnium symptomatum 24. horarum spatio remissio, & post triduum ulcerum coalitio secuta fuit. Ancillae vero abineunte aetate epilepsia gravi correptae, resin. jalap. gr. vi. in spir. lil. convall. dissol. infus. fuerunt, unde post vomitum talis secutus successus, ut aliquot menses ab infusione, libera prorsus fuerit.*

§. 39. Ex his exemplis videmus, quod hac curandi methodo aegrotantes cito, tuto, & jucunde a morbis sint liberati. Verum quum eadem haec chirurgia tam cito evanuerit, ut vix aliquis reperiatur tam audax qui illam adhuc exerceat, verosimile est plures hoc remedio ad plures abiisse. Accedit hoc etiam quod multis periculis sit conjuncta haec curatio, quis enim non novit medicamentis istis multa adhuc haeterrogenea inesse, quae majora possint inducere mala, dum ita cruda immiscentur sanguini. Quod si quis ob novitatis studium ad hanc chirurgiam infusoriam ceu anchoram salutis in morbis desperatis adhuc confugere velit per me liceat, modo cautus sit, ne cum existimationis dispendio cura peragatur.

§. 40. Caeterum totius rei cardo consistit in legitimo usu purgantium, & alterantium, quae saepius, ut una fidelia duos de albemus parieres, inter se invicem miscentur, vel ipsa alterantia, & digestiva evacuantibus praemittuntur ad avertenda varia incommoda, quae alias purgantia in scorbuto acido excitare solent, de quo *Sylvius* videri potest.

Formulae alterantium sunto

℞. *Aqua aperit, fumar. nasturt. aquat. antiscorb.* ā̄ā̄. unc. iij *spir. carminat.* drach. i. *cochlear.* drach. iii *sir. de* 5 *radicib.* unc. i. mis.

Vel ℞. *Decoct. antisc. Zuvelf.*

℞. *Spir. tartari sassafrat.* D. D. Waldschm. drachm. iii. sum. in sero lactis.

℞. *Pulv. absorbent.* scrup. i. *crem. tartar.* gr. xii. mis.

§. 41. Sequuntur nunc purgantia quae leniora esse debent ver. gr.

℞. *MP. de fumar.* scrup. i. *extract. helleb. nigr.* gr. vi. *resin jalap.* gr. ii. cum *elix. prop. antisc.* f. l. a. pilull. xix.

℞. *Fol. senn. sin. stip.* drach. ii. *rad. helleb. nigr.* drach. i. *sal. tart.* scrup. ii. infund. in s. q. aq. antisc. Dorncr. stent in infusione per noct. loco calido, col. ℞. adde *Sir. Scelotyrb. Forest.* vel *fumar.* drach. iii. mis.

Multi delectantur vino medicato, quia in his purgantia, & praeparantia simul miscentur, hinc:

℞. *Herb. recent. cochl. fumar. roris mar.* ā̄ā̄. m. j. *rad. armorac. recent. polypod.* ā̄ā̄. unc. sem. *fol. senn. sin. stip.* unc. i. sem. *rhabarb. elect.* drach. ii. sem. *rad. helleb. nigr.* drach. ii. *cinnam. galang.* ā̄ā̄. drach. i. *sal. tart.* drach. i. sem. incisa. det. ad nodulum, sum. species.

§. 42. Agitatur controversia de vomitoriis num conveniant in hoc morbo? scien-

Sciendum autem ventriculum fere semper esse male affectum propterea in principio ea summe proficua esset stauto. Itaque.

℞. *Tartar. emet.* gr. iii. det. pulvis sumatur cum cerevisia calida, superbibatur haustus ejusdem.

Vel ℞. *Oxysach. vomitiv. Ludovician.* drach. iii.

§. 43. Maximam nobis promittunt spem reconvalescentiae diuretica, & diaphoretica, quatenus salia scorbutica facile diluunt, & diluta tum per vias urinarias tum per ambitum corporis foras eliminant.

℞. *Tinct. tartari* drach. ii. tinctur. sumatur in aqua aliqua scorbutica.

Vel sumatur spirit. sal. armoniac. urinosus, qui urinam pellit, & simul obstructiones viscerum reserat.

Diaphoretica non sunt vulgaria, qualia in aliis morbis adhibentur, sed activa quae ex regno minerali desumuntur, qualia sunt bezoardicum minerale, & antimonium diaph. habent enim vim penetrandi totam massam sanguineam eamque attenuandi, poros aperiendi oleosa hinc inde haerentia resolvendi, & sub forma sudoris educendi. Praeter haec non satis laudari possunt decocta lignorum hinc inde a Practicis descripta, ut & elix. specif. Timaei quod multum praestat si a drach. sem. ad scrup. ii. in aq. aliqua appropriata sumatur.

§. 44. Non raro Medicus in hoc morbo cogitur respicere urgentiora symptomata, mentitur enim saepe alium morbum, & aliena incedit sub larva: hinc fit ut raro vocetur Medicus ad scorbutum curandum, sed alius alicujus morbi caussa consulitur, qui tamen potius symptoma est scorbutum concomitans, inde est quod in diagnosi fallantur Medici, & in curatione laterem lavent, quale exemplum nuper mihi retulit *nobilissimus, excellentissimus, & experientissimus D. D. Majus Fautor, & Praeceptor meus semper venerandus*, quod nonnulli alias celeberrimi Medici quendam magni nominis aegrotum aut phthysicum tractarint, quem ipse tandem ut Scorbuticum curaverit, & pristinae sanitati restituerit: hinc paucis saltem circa curationem symptomatum morbum hunc concomitantium me expediam.

§. 45. Putredo quae observatur in ore, gingivis & dentibus valde infensa est, hinc ad putredinem gingivarum, & flacciditatem dentium adhibentur medicamenta adstringentia; quae destruunt acidum, & corrosionem impediunt, praescribuntur autem vel in forma gargarismi vel linimenti vel pulveris, sit exempli loco sint seqq.

℞. *Herb. plantag. sedi min.* āā. m. i. *fol. querc.* m. sem. *rad. gentian. pilosell.* āā. unc. sem. *fl. ingustr. balaust.* āā. p. i. *flor. aquileg.* p. ii. Incisa coquantur in s. q. *aq. chalybeat.* col. ℞. unc. viii. adde *tinct. lacc.* unc. i. *spir. cochl. diascord.* āā. unc. sem. *mellis rosat.* unc. i. mis.

Alii paucis contenti pro conservandis gingivis saltem utuntur vino rubro, cui scordium incoctum est; alii coquunt geranium in urina pueri, quod valde laudatur. Cui placet sequenti utatur linimento.

℞. *Mellis rosat. diascord.* āā. drach. i. sem *antim. diaphor.* scrup. sem. *alumin. usti* scrup. i. *spiritus vini* q. s. mis. f. l. a. linimentum.

Vel alio ex NM. alumins, & melle confecto.

Vel ℞. *pulv. dentifric.* drach. iii.

§. 46. Respiratio difficilis, & cordis palpitatio sunt symptomata Scorbuticis valde familiaria, quibus mitigandis nequaquam vulgaria becchica, dulcia, lambitiva aliaque thoracica conveniunt, a quibus potius magis exacerbantur, quapropter quum a convulsione, & motu spasmodico oriantur haec symptomata, etiam medicamentis antispasmodicis sunt debellenda: hinc

℞. *Spir. sal. armon. urinos.* drach. sem. *tinct. castor.* scrup. ii. mis. det. mistur.

Vel ℞. *Specific.cephal.*scrup.ii.*pulv.marchion.*drach.sem.mis.div.in 4.part.aeq.

℞. *Aq.cerasor.nig.*unc.ii.*cinnam.buglossat.*unc.i.sem.*cordial. H.Saxon.calid.*unc. i.*conf.alkerm.*drach.sem.*spir.lil.convall.cochl.* āā.drach.iii.mis.det.mistur.

Haec etiam conveniunt in aliis convulsionum speciebus, si vero nolint expectationi satisfacere, ad opiata confugiendum, & potest in eadem aq. tinct.laud.opiat. cum sal.tartari propinari ad gut.xv. ad gut. xxv. in qua gr. j. theriac. coelest. dissolvatur. Si vero respiratio difficilis oriatur a flatibus conveniunt carminativa, ver.gr. aq.carminat. usual.spir.sal. dulcis. spirit.carminat. &c. quae in colica scorbutica quoque laudantur, si etiam clysmata frequentius injiciantur.

§. 47. Scorbutum non raro comitari solet arthritis vaga, cui interne elix. antiscorbut. Timaei cum tinct. antimonii, externe vero spirituosa, ut spir. lumbric. aq.terrestr.sal.armoniac.arthrit.Zwelf.ad extra medentur; certum hujus symptomatis indicium constat, si lumbricum vivum loco dolenti imponas, ille enim statim exilire, circumgyrari, incurvari, labascere & mori solet, vid. Will. de scorb. *cap.9.p.m.* 197. qui etiam ex Petraeo duo contra hoc symptoma remedia in Westphalia usitata recenset.

Ulcera scorbutica in tibiis, ut plurimum haerentia nulla admittunt unguenta, & pinguia, quae poros obstruunt, ne salia corrosiva acida possint eliminari: praemissis itaque internis vulnerariis vulgo dictis ver.gr.tinct.antimon. essent. fumar. mistur.simpl.reformat. sequens inspergatur pulvis.

℞. *Sacc. Saturni,myrrh.croci Mart.* āā. scrup.ij. mis.

D. Michaël in Collegio suo practico optime prodesse dicit decoct. calc. vivae cum aq. appropriata paratum.

§. 48. Haec de curatione hujus morbi sufficiant, quibus unicum saltem instar regulae universalis, addam, quod semper ventriculi debeat haberi ratio: sicut enim sanguis est fons vitae, ita ventriculus est fons sanae vitae, hinc prodest elix. Roman. vel elix. propr. antisc. initio prandii, & coenae sumendum: de caetero plura qui desiderat, consulat Practicos ubi medicamenta, & formulas ad nauseam usque reperiet.

§. 49. Pauca saltem adhuc addam de diaeta, quae respicit sex rerum non naturalium usum: aër itaque sit purus, nec multis crassamentis inquinatus, ut in locis paludosis neque salinis exhalationibus, ut in locis maritimis, sin talis habitari non possit, debet corrigi suffumigiis, vel in musaeo possunt dispergi herbae antiscorbuticae salibus volatilibus praeditae, vel parietes inspergantur, & madefiant aquis antiscorbuticis.

Cibi uno nomine sint εὐπεπτοι, vitentur muria conditi, & fumo indurati, potus bene defaecatus, purus, & lupulo conditus.

Exercitia corporis non sint nimis violenta. Quies nimia & vita sedentaria nocent. Somnus & vigiliae consistant in mediocritate.

Alvus servetur aperta; lunare tributum singulis persolvatur mensibus, reliquaeque consuetae evacuationes intra mediocritatis terminos serventur. Mens semper sit in tranquillitatis statu & libera: tristia enim metus, terror, & istiusmodi passiones animae aeconomiae animali infensissimae sunt. Haec pro instituto sufficiant: **DEUS T. O. M. porro coepta secundet; cui sit LAUS, HONOR, & GLORIA.**

DIS

DISPUTATIO XL.
EXHIBENS CASUM ADOLESC. LABORANTIS SCORBUTO.
GASPARI AB ECKERN.

Gallica nonne lues, Scorbutus nonne recens est?
Caetera praetereo: cur nova damna nocent?
Pejores patribus sumus, at majoribus illi
Hinc vexant nulli nos mala visa patri.
Si fuerint nobis pejores forte nepotes,
Ah! quid erit tandem? nil nisi morbus erit.

CASUS.

Adolescens 19. annorum, patre hypochondriaco natus, pallidus, libris diu & noctu incumbens, pravo interim victu utens de obtuso sinistri hypochondrii dolore queritur, succedente totius gravitate & lassitudine quasi spontanea, abhinc in odontalgiam, & cephalaeam saepius recurrentem incidit, color ad fuscum vergit. Dentes non multo post vacillare, & gingivae levi attritu sanguinem fundere. De caeteris bene. Consultus barbitonsor raphano rusticano in aqua macerato os jubet elui, factum. Dentium dolor, & haemorrhagia ad tempus cessat, remanentibus, imo increscentibus aliis. At dolor de novo dentes, & putredo gingivas corripit, ventris post pastum inflatio, ructus inanes ptyalismus continuo, sinistri hypochondrii, lumborum etiam & crurum, isque sub noctem potissimum ingravescens dolor, anxietas & palpitatio cordis per vices molesta, maculae plumbeae in humeris, pectore, brachiis, & pedibus saepius visae, pulsus parvus, debilis, inaequalis, urina varia, saepius tamen rubra, cum arenulis rubris, matulae adhaerentibus, respiratio difficilis, compressio pectoris, tussis cum rejectione viscidae & subnigricantis materiae. Consulitur non infimae notae Medicus. Huic asthma: varia praescripta expectorantia. Omnia, praesertim de quarto in quartum pejora, appetitus prostratus, atrophia totius, lypothymia frequens, desperatio tota.

Quaeritur jam QUIS MORBUS? Quod SUBJECTUM? Quae CAUSSAE? Quae SIGNA? Quae DIFFERENTIA? Quae CURATIONIS SPES? Quae CURANDI METHODUS.

MORBUS.

Hic est Scorbutus. Quum vero nominis disquisitio juxta Platonem sit ἀρχὴ παιδεύσεως, principium doctrinae ipsius examinationem ante, quam ad alia, bono cum Deo praemittere necessitas, simul ac utilitas postulare videtur. Scorbuti itaque nomen derivatur vel a Belgico *Scorbuych*: id est ventris lancinatio, sive ventris tormina: ea siquidem in hoc morbo valde sunt frequentia, saepe etiam tanta, ut nonnunquam peritonaeum hisce fuerit disruptum. Vel a Danorum *Scorbek*, quod oris depravationem incidat. Quaeque derivatio, utpote a parte ut plurimum ni dicam semper, affecta, desumta priore mihi videtur convenientior: varie praeterea a variis audit. Gingipedium a quibusdam dicitur, eo quod gingivae pariter ac pedes in hoc morbo afficiantur; dicitur etiam stomacace, scelotyrbeoscedo, volvulus sanguineus, icterus niger, &c. An vero haec nomina nostra

nostra nostro scorbuto conveniant, Auctores certant, & adhuc sub judice lis est. Hinc missam fac hisce.

Rem ipsam videamus, quae omnium optime definitione explicatur: omnis enim quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut sciatur quid sit, de quo disputetur. lib. 1. offic. Talem autem jam pono. *Scorbutus est affectus praeter naturam ab humore melancholico peculiari modo corrupto ortus, cum crurum debilitate, maculis, gingivarum sanguinolentia, dentium vacillatione, & aliis, de quibus infra symptomatibus affligens.*

Generis loco morbum pono; est enim dispositio corporis praeter naturam, ob quam variae ejus actiones laeduntur. Quum vero triplex morbi genus occurrat, prout enim vel similiarium, vel organicarum partium constitutio laeditur, vel denique his cõmunis unio solvitur, prius videntur ad quoddam genus παθήματα hoc miserandum spectet. At quia ad morbos organicos neque in conformatione ratione quantitatis in numero & magnitudine, qualitatis in figura, &c. neque in compositione ratione situs & connexionis, neque ad morbos solutae unitatis commode referri potest, tertium solummodo morborum genus relinquitur, quod similarium partium intemperiei debetur, ubi quidem non tam in qualitatibus manifestis, puta in caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate, quam potius occultis radicem mali latitare, adeoque morbis occultarum qualitatum hunc affectum annumerandum censeo:

Dato genere transeo ad differentiam specificam, per quam hic morbus ab aliis affectibus distinguitur. Delineatur autem haec in reliquis verbis, ubi talis indigitatur morbus, qui ab humore melancholico peculiari modo corrupto ortus, cum crurum debilitate, maculis, gingivarum sanguinolentia, dentium vacillatione, &c. affligit. De quibus pro virium modulo fusius agemus in sequentibus.

SUBJECTUM.

De hoc ut breviter, distincte tamen agamus, distinguimus inter subjectum primarium & secundarium. Primarium lienem, secundarium vero totum corpus statuimus.

Humorem melancholicum in liene potissimum, dum ob crassitiem diutius ibi subsistit, propriam & huic morbo peculiarem corruptionis formam subire credo: qui postmodum diffusus naturalem viscerum aliorum temperiem corrumpit, donec tandem in contagii communionem conspirent, & ad receptam semel infectionis labem alimenta superingesta commutent, & depravent similem corruptionis formam iis imprimendo; sed ad caussas.

CAUSSA.

His praemissis transimus ad caussas: harum autem alia est immediata & proxima, alia mediata & remota.

Immediatam & proximam caussam definitio nostra tradidit, nempe humorem, non quidem quemcumque, melancholicum, sed peculiari insuper modo corruptum.

Hinc multi splenis obstructionibus & humoribus melancholicis laborant, scorbuto tamen non afficiuntur, & in iis regionibus, quibus humoris atri ex aëris fervore collectio familiaris, ignotus est. Peculiarem hanc corruptionem insuper probat singularis curandi ratio, qua non peccantibus hisce humoribus, & malo inde resultante medicamenta a manifestis, aut primis qualitatibus saltem agentia, sed talia praeprimis, quae peculiari & a prioribus diverso operandi modo omne curationis punctum absolvunt, adhibentur. Symptomata si penitus inspiciantur, τὸ θεῖον. Hippocrati dictum haud obscure arguunt.

CAUSSAE MEDIATAE NATURALES sunt temperamentum melancholicum,

cum, quod prae caeteris ad hoc malum proclive: DISPOSITIO haereditaria; hinc nonnulli ab ortu parentum semen vitiosum, & sanguinem cachochymum, hunc malum contrahunt, quam etiam ob caussam multi in ipso adhuc utero moriuntur. SEXUS muliebris propter ocium, malaciam, ingluviem, cruditatum matrem, huic morbo prae viris abstinentiae & labori deditis est obnoxius. AETAS. Quae omnis indifferenter hoc malo affligitur.

ANNI TEMPUS! quodlibet hujus morbi est ferax, vere tamen & autumno ob commotionem eo tempore fieri solitam aegrotos vel maxime infestat. REGIO. Scorbutus antehac notus solummodo fuit maris Balthici, Bothnici, Finnicique sinus, ut & totius Scandinaviae incolis. Postmodum vero eundo quasi crescens in alia & haecce loca Septentrionalia longe lateque venenum suum dispersit. Regiones interim & loca palustria, uliginosa, ad aquas stagnantes sita, & ventis solique non satis exposita prae caeteris huic morbo sunt subjecta. Ex non naturalium rerum Medicis dictarum censurationem induere possunt omnia illa, quae infra dicemus fugienda esse, ubi de diaeta acturi.

PRAETERNATURALES sunt lienis, non exclusis aliis visceribus, maxime hepate, discrasia, obstructio, nativa vel adventitia debilitas, &c. Obstructio alvi, mensium, haemorrhoidum non raro hujus mali existunt caussae.

Huc halitus scorbuticorum ab osculo, poculo, alioque modo recepti contagii in morem inficientes referri possunt. Unde totas familias non tam ob communem victum, quam communicatum hocce contagium scorbuto videmus corripi.

DIFFERENTIA.

Wierus, qui omnium optime de scorbuto scripsisse creditur, tres illius commemorat differentias, quae scilicet magis & minus se habent. At vero quia cum differentia & divisione signorum infra positorum coincidunt, hic eas describere supervacaneum putamus. Pergimus itaque ad

SIGNA.

Haec sunt vel diagnostica, vel prognostica, & diagnosticorum alia incipientem, alia auctum, alia confirmatum scorbutum produnt. Incipientis signa ex casu nostro desumta sunt sequentia. *Sinistri hypochondrii gravativus dolor*: ab exuberantia sanguinis melancholici lienem obstruentis, ejusque timorem & continui solutionem inferentis exortus. *Totius gravitas*: humoris vires animales prementis index. *Lassitudo quasi spontanea*; sanguinis crudi non tam invasis, quam in ipso habitu musculoso abundantis nota. *Cephalaea per vices apprehendens*: quam vapores ad caput delati, & vi membranarum cerebri coagulati inferunt, usque dum vi caloris nativi dissoluti ad subjectas partes, saepius dentes, descendant: unde *odontalgia*. *Vacillatio dentium*: resolutis quasi vi tartari sanguinis eorum sedibus. *Pruritus facilisque haemorrhagia gingivarum*: itidemque a tartareo sanguine eas afficiente, atque erodente exorta. *Facies ex pallore ad fuscedinem vergens*: totius massae sanguinae corruptae, & scorbutica qualitate imbutae signum.

AUCTI signa casus noster haec nobis suppeditat. *Foetor & putrdo gingivarum*, quarum caro quandoque ad dentium radices consumitur, adeout dentes utrobique vacillent & excidant. *Ventris post pastum inflatio*: eousque scilicet labefactis concoctionis organis, ut imbecillitate caloris nativi copia flatuum mox etiam in prima concoctione oboriatur. Unde *ructus inanes*, & *ptyalismus continuus*: a vaporibus, humoribusque corruptis ex ventriculo, locisque vicinis ad os elevatis exortus. *Lumborum & crurum*: isque sub noctem potissimum ingravescens. *Dolor*, ob humoris melancholici circa id tempus motum. *Anxietas*: hanc flatus hypochondria distendendo, pectusque comprimendo inferunt. *Cordis palpitatio*: per vices molesta a vaporibus malignis, maxime tempore ebullitionis, cor infestantibus enata. *Compressio pectoris*: hanc cruditates una cum flatibus diaphragma

phragma comprimentes, tum evaporationes in capite resolutae, & in pectus caussantur. Unde *respiratio difficilis*, & *tussis* cum rejectione viscida, & subnigricantis materiae, melancholiae colorem referentis: nil vero variis praescriptis pectoralibus hactenus obtineri potuit, eo quod hic non tam in pectore, quam sub eodem in infimo ventre radix morbosa sit inquirenda. *Maculae* pro ratione humoris peccantis variae, in humeris, pectore, brachiis, & pedibus saepius conspicuae. *Pulsus parvus, debilis, inaequalis*, cum aliis signis pro infallibili hujus morbi habetur signo. *Urina varia* hujus morbi infallibilis censetur nota. Saepius tamen rubra cum arenulis rubris matulae circumcirca adhaerentibus, scilicet ebuliente pro scorbutico respectu massae sanguineae, qua de caussa febrilis quasi videtur.

CONFIRMATUM produnt signatum jam allata, & indices ingravescentia, tum maxime sequentia ex casu nostro desumta. *Exacerbatio* veluti per circuitus & periodos, ut in subjecto nostro de quarto in quartum, id quod a puro melancholico humore fieri consuevit: quemadmodum pituita admista singulis diebus, bilis vero tertio quoque die sine tamen manifesta febre, in quam vero facilis persaepe fit mutatio. *Appetitus* ab humore vitioso, vaporibusque corruptis fermentum ventriculi corrumpentibus prostratus. *Atrophia totius*: quemadmodum omnis atrophia est aestuantis caloris cordi infixi, vel aliunde, ad cor accedentis soboles: sic quoque nostram hanc tabem a fumis, vaporibusque scorbuticis oriri verisimile nobis videtur: dum enim cordis calor iis adauctus praeter naturae modum accenditur, iisque beneficio arteriarum toti communicetur, quid mirum si nutritionis defectus in partibus subsequatur. Nota tamen, adeo lentum hunc & gliscentem propter caussam morbi frigidam esse calorem, ut vix nisi longiore temporis mora ab effectu possit percipi. *Lypothimia frequens*: a venenatis hujus mali vaporibus cor vitalis facultatis fontem pro ratione motus infestantibus inducta. *Desperatio tota*: quae ut fere omnibus ab humore melancholico oriundis, sic quoque praesenti affectui valde est familiaris.

PROGNOSIS.

Prognosin ut diagnosi subnectamus, ordo tractandi exigit; neque illa sane omittenda, quum tanta hujus medicinae partis sit necessitas, ut sine ea temere ad sanandum cura suscipiatur, id quod nos generalia nonnulla praemittendo, huicque speciale & subjectum nostrum respiciens prognosticum subnectendo bono cum Deo praestabimus.

1. Recens facilius crescens difficilius, confirmatus difficillime curatur.
2. Contagio receptus malignior, & ob id totas saepe inficit familias.
3. Scorbuto saepe superveniunt, & complicantur febres, quartana & aliae.
4. Multoties in cachexiam melancholicam, hydropem, dysenteriam, saepissime tamen in atrophiam & tabem desinit.
5. Ulcera saepe partibus corruptis sensum abolent, & naturam mali mortui induunt.
6. Cum maculis lividis tutior, cum croceis minus, cum lividis minime securus.
7. Adultis & senibus, ut & quibuslibet in diaeta victus negligentioribus semper est gravior.
8. Haereditarius difficilis est curatu.
9. Livor faucium in scorbuto signum est lethale, caloris enim nativi extinctionem significat.
10. In moribundis maculae prius visae evanescunt; multis vero antea delitescens a morte erumpunt.

Quibus positis statuimus in hoc nostro subjecto, eo quod haereditarius cum maculis lividis, confirmatus imo consummatus cum omnium virium languore sit morbus, restitutionem integram vix, aut saltem longiore tempore, & maxima

cum difficultate exspectandam. Nihilominus tamen aegrum bene sperare & spirare jubemus, eo quod huic morbo convenientia remedia nunquam sint adhibita, adhaec patiens sit juvenis, adeoque si non ex toto juvari, saltem ad longius tempus remediis & diaeta convenienti sustentare posse putamus. Ne vero quartana, quae est praetoribus huic morbo brevi ungatur, ad curam protinus devolvemus.

CURATIO.

Curationis omne momentum in eo consistit, ut 1. humor melancholicus circa lienem mesanterium, &c. delitescens praeparatur & evacuetur: 2. peculiaris, quae huic morbo subest, corruptio pro appropriata antiscorbutica corrigatur. 3. Partes roborentur. 4. Symptomata mitigentur, atque auferantur.

Remedia istis indicationibus subordinate desumuntur ex triplici fonte, diaetetico, chirurgico, & pharmaceutico.

Ad fontem diaeteticum pertinent sex res non naturales Medicis dictae, aër, cibus & potus: somnus & vigiliae: motus & quies: excreta & retenta: animi pathemata.

Aër quum homini magis, quam cibus & potus sit necessarius, siquidem absque his aliquot dies superstes esse, at sine isto ne momentum quidem supervivere potest; quumque etiam dupliciter laedat, vel quatenus inspiratione attrahitur, vel quatenus nos ambit, hinc qualis hic conveniat, ante omnia perpendendum. Sit a ratione substantiae purus, tenuis, nullis inquinamentis, aut corporibus putridis infectus ratione qualitatum sit temperatus, vel etiam ad caliditatem & siccitatem vergens, & si natura haberi non potest, arte procuretur.

Cibi & potus optima etiam habenda est ratio: Medicus enim in cassum sanitatem restaurare conatur in aegro, nisi & ipse, docente Galeno, rectam velit & possit servare victus rationem.

Vitentur igitur crudi, crassi, viscidi, humorem melancholicum generantes, concoctu difficiles, multum saliti, atque aromatizati, ut & omnes sale volatili destituti cibi. Contra autem victus sit boni succi, concoctu facilis, moderate calefaciens, incidens, attenuans, detergens, deobstruens, ut ex volucrum genere gallinae, capones juvenes, pulli columbini, gallinacei, perdices, pluresque de montanis; rejectis palustribus: ubi nota, esum columbarum sylvestrium, vel maxime hic laudari. Ex piscium, si vehementer expetantur, saxatiles, auratae, lupi, funduli, &c. qui tamen nonnisi rite praeparati, & pauci concedendi, sale vero conditi, aut fumo exsiccati in totum negandi. Ex quadrupedum censu vituli bene nutriti, & aetatem habentis, juvencorum, vervecum carnes recenter mactatae, bene coctae, cumque raphano rusticano, &c. rite praeparatae conceduntur, rejectis nimium salitis, fumove induratis, aut vetustate rancidis. Lac caprinum, praesertim si herbis antiscorbuticis alatur, aut si ipsi lacti beccabungam, nasturtium, cochleariam incoxeris, vehementer laudatur. Cujus solius longiore usu multos esse restitutos, testatur Heinricus Bruccaeus in Academia Rostachiensi quondam professor in suis de scorbuto propositionibus. Ex ordine vegetabilium conveniunt nasturtium utrumque, acetos. borrag. bugloss. cichor. chelid. min. in tartariis, jusculis, conservis, placentis, aliisque modis sumta. Condimentorum loco sint cappares, amygdalae dulces, passulae, pistaceae, acetum, sinapi, quod quia acredine & subtilitate partium incidendo prohibet, ne fiant & colligantur obstructiones melancholicae, a multis multum laudatur. Nocent multa & varia in una mensa fercula, sit itaque aeger contentus aliquot ad morbum facientibus, neque plus assumat, quam ventriculus bene possit digerere. Potus sit vinum Rhenanum, maturum, si aeger sit assuetus, aut cerevisia clara, bene defaecata, itidemque absinthio condita. Exulent aquae crudae, stagnantes, putridae, quibus jusculа parare ne dicam sitim levare, nefas.

Vigi-

Vigiliae immodicae, ac intempestivae corpore repleto nocent. Somnus statim a pastu invitans, diurnus itidem, ac diuturnus, curisque implicitus, vel maxime fugiatur.

Otium ignavum calorem nativum languidiorem reddit, unde concoctiones, & excrementorum secretiones fiunt deteriores; hinc foeminae prae viris huic morbo censentur obnoxiae: motus interim vehementior, maxime a pastu, non minus hic proderit, eo quod hoc ipso concoctio multum turbetur.

Alvus sit libera, menses & haemorrhoides rite fluant, & si non sponte, arte proritentur.

Veneris exercitio hic morbus quibusdam in locis curari dicitur forte propter caloris naturalis ἐκλάμψιν, teste Jonstono.

Animi pathemata, cura, timor, tristitia, terror, anxietas cane pejus & angue fugiantur. Usu enim & observatione constat, tristitiae caussis libenter hunc morbum immisceri. Eugalenus p. 284.

CHIRURGIAE ratione in hoc morbo, praemisso lenitivo facta ex diacatholicone aut electuar. lenitiv. vel etiam clystere venaesectio locum habet, maxime si nulla spes haemorrhoidum affulgeat, nihilque obstet. Quaenam vero vena secanda sit, an basilica, mediana, salvatella, vel malleoli perinde nos cum Neotericis judicamus eo quod quaelibet ex enumeratis venis incisa, sanguinem saltem a manu recurrentem aequaliter fundat, adeoque nullus venarum in brachio tundendarum sit electus. Docente clariss. Conring. lib. de gener. & mot. sang. observato interim Hippocrat. κατ' ἴξιν prout vel lien, vel hepar, vel utrumque affectum fuerit: quantum vero sanguinis mittendum, an una, vel repetitis vicibus elici debeat, id prudens Medicus ex patientis robore, & virium tolerantia facile judicabit. Phlebotomia in subjecto nostro parca & potius, si bene ferat, repetita manu fiat, quum debiles & morbi diuturnitate exhaustae vires largam, praesertim una vice factam, non ferant.

PHARMACIA.

Haec magnam nobis remediorum suppeditat copiam, quae tam interne, quam externe adhibentur. Nos, qui brevitati studemus, pauca tantum selectiora secundum praemissas indicationes subjungemus.

PRAEPARATIONI humoris melancholici inserviunt. 1. simplicia rad. cibor. petrosel. filic. polypod. epythim. herb. ceterah. scolopend. cuscut. cort. tamarisc. cappar. Composita sirup. de fumar. epith. polypod. lupul. Ex quibus, additis quibusdam appropriatis, quae vide inferius, variae possunt concinnari formulae. Ex. gr. nos hanc ponimus.

℞. *Sir. de cochlear. nasturt. polypod. epid.* ā̄ā̄. unc. i. sem. *aquar. fumar. nasturt. beccabung.* ā̄ā̄. unc. iij. *julep. cinnam. & viol.* ā̄ā̄. q. s. mis. f. julepus pro necessitate reiterandus. Capiat mane 2. horis ante pastum.

Ad evacuationem hoc alioque modo praeparatorum humorum varia laudantur a variis. Jonstonus pil. tartareas Quercet. Wierus pil. de fumar. ac diasen. Ad mare Balthicum usitatissimus est pulvis, qui ℞. *Agaric. albiss. croc. epith. cret. fol. senn.* ā̄ā̄. drach. ij. mis. f. pulv. a drach. j. ad ij. Pilulae quoque seqq. quae sunt Sylvii, apprime hic convenient. Quae

℞. *Gumm. galban. aceto squill. sol. & iterum inspiss.* drach. sem. *vitriol. Martis ad albedinem calcinat.* scrup. i. *trochisc. Alband.* drach. sem. *diagryd.* gr. xv. *ol. carv.* gtt. vj. f. pil. num. xxv. inaur. sumantur 5. ad 7. matutino tempore, ac ventriculo vacuo, superbibendo post sesqui horam jusculum, vel cerevisiam cum pauco pane coctam, & macere aromatisatam.

Vina laxativa spleneticis & huic morbo appropriatis, castigata inque plures

dies usurpata, utramque paginam absolvere videntur. Hanc formulam in hujusmodi casibus saepius cum fructu praescripsi.

℞. *Herb. meliss.* m. sem *scolopendr. ceterach.* āā. p. i. *nasturt. aquatic. beccab.* āā. p. ii. *rad. cardopat polypod.* āā. drach. ii. *cort. tamarisc. cappar. aurant.* āā. unc. sem *fol. senn. sin. stip.* unc. i. *rhab. el.* drach. iii. vel unc. sem. *sem. agn. cast.* drach. i. *cinnam. acut.* drach. sem. gross. mod. incis. & tus. irror. cum ol. tartari per deliq. drach. j. det. ad sacc.

Respectu subjecti nostri bene adduntur rad. helen. foenic. liquirit. passul. sem. foenic. anis. Si aeger sit delicatior, sequens electuarium praescribo, quod

℞. *Elect. de tamarind. cum fol. senn.* drach. iij. *rad. jalap. resinos.* scrup. sem. *crem. tartari* drach. sem. *conserv. de cichor. & rhab. & sachar.* q. s. mis. f. bolus.

APPROPRIATA & specifica hujus morbi sunt simplicia. Radic. armorac. herb. coclear. nasturt. aquatic. & hortens. sed. min. sin. vermicul. chelidon. min. beccabung. quae aliorum caliditatem & siccitatem corrigit. Si calidioris naturae sit aeger, aut febris adjuncta, acetos. fumar. Si pulmo a materia obsessus, & ob id respiratio difficilis cum tussi helen. rad. cum hysop. Si ventriculus debilis, coma absinth. recte adjiciuntur, sicque deinceps pro ratione calidorum vel frigidorum humorum & symptomatum concurrentium procedatur. Multis autem modis haec usurpantur. Nos hic damus & laudamus duplicem. Primus est, quum herbae praedictae virides cum sero lactis contunduntur, expressusque ex hisce succus in debita quantitate propinatur. ver. gr.

℞. *Herb. nasturt. anagall. aquat. cochlear.* āā. m. ij. *comar. absinth.* sed. min. āā. p. i. sem. cum sero lact. caprin. contund. expressus succus depuretur, dosis est unc. iv. *cum aq. cinnamom.* drach. i. sem.

Vel quando succus seorsim expressus cum sero lactis tempore usus permiscetur in hunc mobum.

℞. *Succ. rec. expres. cich. fumar. beccab. nast. aquatic. cochlear.* āā. drach. iij. *seri lact. capr.* unc. iv. f. haustus, ad perfectam sanitatem repetendus. sum.

Ex appropriatis compositis laudamus sir. Scelotyrbic. Foresti, vinum antiscorbuticum Mynsicht. a iij. ad iv. M. & V. 2. horis ante pastum. Tinctura Martis ejusdem a gt. vi. ad scrup. sem. in liquor. conven. Sir. antiscorb. ab unc. sem. ad ij. & iij. per se vel in aq. antiscorb. ejusdem vid. armamentar. Medico-chymicum. Elect. antiscorbut. Schroderi ad magnitudinem juglandis parvae M. & V. Pharm. Medico chym. pag. 186. Spiritum antiscorbut. Joh. Petr. Lothii, cujus descriptio, utendi modus, & dosis videantur apud Auct. in consiliis, & observat. medd. pag, 356. &c.

Nota in horum usu ad 14. dies, imo, si opus, ulterius esse persistendum, & quinto quoque, aut sexto die semper aliquod purgans, ver. gr. elect. supra descript. stante curatione opus esse.

An & qua ratione conveniant acidulae. Vid. Greg. Horst. m. lib. iv. observ. med. pag. 273. Rhamlov. in spec. acid. pag. 176. & alii: brevitas non patitur de hisce hic latius disserere.

ROBORANTIA, dum haec fiunt, ex conserv. cochlear. & aliis cum fructu praescribi possunt in hunc modum.

℞. *Conserv. coclhear.* unc. j. sem. *chamaedr. scord.* āā. drach. i. *rad. bugloss. borrag. condit.* āā. drach. vi. *helen. condit.* unc. sem. *cum sir. de borrag.* f. cond.

His addi possunt & alia, ver. gr. affecto ventriculo conserv. flor. absinth. hepate flor. & rad. cichor. liene conserv. fl. fumar. item spec. diarrhod. Abbat. diatroin. sant. arom. ros. dianis. &c. ex quibus componi possunt formulae pro ratione circumstantiarum, & arbitrio Medici. Et tantum de internis. Nunc ad

Externa. Hic a praeprimis locum habent ea, quae lienem, ut in subjecto hoc

nostro,

nostro, ita in omnibus ferme scorbuticis obstructum, aliasque male dispositum deoppilare & roborare valeant. Suntque

Olea: ut anethin. rutac. chamom. amygdal. amar. & quod optim. de cappar. Augustan. vel Zvvelffer. vid. Pharmac. Aug. p. 317. Pharmac. Reg. p. 563.

Linimenta: horum formulas egregias praescribit Lotichius p. 347. & seqq.

Unguenta: ut ung. splenet. Schrod. ung. splen. Myns. His sequens adjiciam, cujus vires ipsemet oculariter expertus. Est autem amati Lusitani, qui se hoc a Medicis Ferrariensibus accepisse refert, & cujus usu se lienem non modo obstructum, sed vere scirrhosum curasse gloriatur.

℞. *Ol. commun.* lib. i. sem. *medull. crur. bov.* lib. sem. *butyr. rec.* unc. iii. *succi bryon. cyclam.* ā̄ā. lib. sem. bulliant, lento igne, fere ad consumtionem succor. colat. adde *cerae citr.* unc. iv. *pulv. ceterach. cort. cappar. tamar. sem. agn. cast.* ā̄ā. unc. j. sem. f. ung.

Emplastra: ver. gr. splenet. Myns. de cicuta, vel de ammoniaco Foresti, Zvvelfferi pharmac. Reg. p. 300. vel simile. Cataplasmata, quae vid. ad praxin Riverii, ubi de obstructione & scirrho lienis.

Externa interim, & aliis partibus cum fructu adhiberi possunt, utpote epati ol. absinth. mastic. Ventriculo ol. macer. nuc. moschat. Nervis & tendinibus ungu. alth. resumtiv. lumbric. &c. pro ratione circumstantiarum.

SYMPTOMATA.

Quae scorbutum concomitantur symptomata sunt varia, utpote difficilis respiratio, palpitatio cordis, lypothimia, arthritis saepius vaga, convulsiones, paralysis, hydrops, atrophia, ulcera plerumque sicca, nec pus fundentia febres, erysipelas singulis nonnunquam septimanis, interdum mensibus infestans, sputatio frequens maxime ab assumtis acribus & calidis, languor totius, sudores copiosi, vomitus, dolores capitis, dentium, hypochondriorum, lumborum, crurum, aliaque innumera, quae partim vide ad caput de signis, partim ad Auctores, qui hocce de morbo scripserunt fusius. At vero quum ea sublato morbo, vel sponte evanescant, vel auxiliis ex praxi generali repetitis, admistis tamen antiscorbuticis, tollantur, singulorum curationem hic quoque subnectere haud opus esse censemus. At vero quia oris depravatio in hoc morbo maximi persaepe est momenti, adeo ut pro ipso morbo habeatur vulgo, pauca quaedam illius remedia superaddere non abs re esse duxi. Ea vero vel fiens est, vel facta, fiens est gingivarum laxitas, & sanguinolentia, ad quam

℞. *Rad. bistort.* unc. sem. *salis* scrup. j. misc. cum diamor. ad consistentiam debitam. inung. gingiv. vel

℞. *Flor. balaust.* unc. sem. *salis ust.* drach. j. misc. f. pulvis ad gingivas.

Factam appello putredinem. Ad quam apprime facit gargarismus de tormentilla Mynsichti, daturque tepide alternis, vel singulis horis ad sanitatem perfectam. vid. Armamentar. p. 403. Si putredo vehemens Wierus talem dat aquam.

℞. *Arsenic. sublim.* scrup. ij. *alum. ust.* drach. ij. sem. f. pulv. bulliant in aq. plantag. lib. j. ad horam in duplici vase, admoveatur gingivis spongiola madefacta, sed propter arsenicum caute procedendum.

Plura superaddere brevitas non patitur, hinc filum rumpo, sperans me aequum ubique ac benevolum lectorem, atque judicem reperturum, qui in magnis & voluisse sat esse judicet.

Tibi vero, o coelestis Archiater JEHOVA, cujus donum medicina est, pro concessis hucusque quantulis cunque tandem animi, & corporis viribus immortales sint gratiae; fac quaeso, ut vergant hac omnia in sanctissimi nominis tui gloriam, & aegrotantium salutem. Amen.

DISPUTATIO XLI.

DE PARALYSI.

CAROLI PHILIPPI LOMBARDI.

B. C. D.

I. SAnguis, liquor microcosmi balsamicus circulationis lege per universum corporis tractum vibratus, & partibus nutriendis suum cuique distribuens tandem per venas ad cordis redit ventriculos, quo (cum chylo noviter advecto) novum vigorem acquirat, ac priorem circulationis cursum denuo emetiatur. Atque adeo sanguis dum e sinistro cordis ventriculo egreditur rarefactus, cursus sui forma recta superiores versus tendit partes! Verum quum non omnis sanguis ob viarum angustiam idem hoc iter ingredi possit, fit ut vividiores ac subtiliores saltem, utpote quae sese prae aliis facilius extricare possunt: transeant, atque hoc modo ad cerebrum delatae, per minutissimos arteriarum poros plexus choroidei filtratae in cerebri destillent ventriculum, luciditate ac subtilitate sua *spiritus animales* constituentes, ad sensum & motum in corpore exigendum destinatos, hisce bene sese habentibus omnes quoque operationes rite perficiuntur, atque omnes motus convenient, cientur & sensus integri exercentur. Quod si autem spiritus hi a naturali deflectant statu, vel liber ipsis denegetur motus, ac nervorum irradiatio a quacunque id proveniat causa, deficiat vel languescat, motus & sensus etiam inde laeduntur, idque duobus potissimum modis: vel enim pervertuntur, vel inhibentur: quando *motus* pervertitur, spasmi & convulsiones; quando vero sensus tactus depravatur, oritur dolor: quod si functio alterutra aut simul utraque impediatur vel aboleatur, affectus inde concitatus dicitur *paralysis*: in cujus accuratiorem perveniendi cognitionem praesentis quum sit instituti, hinc ejus sequentem praemitttimus descriptionem.

II. *Paralysis est resolutio sive relaxatio partium nervosarum, cum sensus & motus abolitione a tubulorum in systemate nervino obstructione, indeque denegato spiritum animalium influxu, orta.*

Antequam autem ad caussarum inquisitionem nos accingamus, duo in antecessum majoris intelligentiae caussa, consideranda praemittimus; quorum primum sunt spiritus, de quorum genesi jam quaedam diximus, utpote peccant hi, quatenus suppressi a narcoticis, fumis mineralibus, aliisque venenosis, quae eos ita ligant quo minus systema nervosum irradiare, ac motum & sensum in corpore humano exigere possunt. Unde ratio quoque desumitur quare opium vi polleat sudores movendi: vid. beati Ettmulleri disput. de virtute opii sudorifeta cap. 2. §. 8. Alterum membrum cōstituunt ipsi *nervi* (quorum delineationem hic praemittere e re esset, verum quum accuratiori penicillo vix id fieri possit, quam quod factū est in peculiari tract. Willis de nervorum descript. lectorem avidum brevitatis ergo, eo remitto) hi, dum obstructiones patiuntur, spiritibus omnis praecluditur via, unde actio motus & sensus deficit: fit autem haec obstructio 1. dum loco particularum sanguinis subtiliorum, crassiores minusque vegetae poros arteriarum plexus choroidei dilatant, ac in cerebri ventriculum exstillant, unde postmodum materia haec magis magisque coacervata ac profundius impacta, tādem plenariam tubulorum nervorum obstructionem parit: 2. *a nervorum compressione*: dum enim vasa turgescunt ac partes solidae intumescunt, vel vitiose dispositae sint, ut in gibbo, nervi comprimuntur, ac spiritibus animalibus denegatur influxus: 3. *a nervo-*

nervorum discissione: quum enim spirituum continuus influxus a vasorum continuitate dependeat, satis hinc patet, continuitate hac sublata cessare quoque spirituum influxum.

III. Ne autem in ingressu dispositionis praesentis affectus lect. benevol. nauseam excitem, quin potius salivam moveam, nolo in indaganda vocis etymologia ac derivatione diu cõmorari, praesertim quum lexicographi hisce superbiant, hinc magis medice morbum pertractaturus, caussarum inquisitioni animum applicabo, quibus rite perspectis, curationis punctum pro voto quoque succedet, generaliter autem notasse sufficit, paralysim, in foro Medico partium nervosarum resolutionem indigitare vel Castell. renov. cura & studio *Viri nobil. ac experientiss. D. Brunonis Phil. ac Med. Doct. ac P. P.* Et quum paralysin nonnunquam insequi soleat apoplexia, hinc ab *Helmont.* tract. de lith. cap. 9. *pedissequa* apoplexiae vocatur.

IV. Caussarum numerum sub examen Medicum vocaturus, proximum ac immediatum quaero in tubulorum nervorum obstructione, & inde inhibito spirituum animalium influxu: obstruuntur autem nervi varias ob caussas; antecedentes sive occasionales quas in *res naturales*, *& praeternaturales* dividimus. Inter priores *naturales sc.* primo collocamus loco *temperamentum* frigidum, & humidum, commodissimum ad cumulandos pituitosos tales humores, qui postmodum ad cerebrum delati, ibidemque depositi nervorum obstructionem ac consequenter spirituum denegatum influxum producunt, & quum senes ad hoc ut plurimum inclinent temperamentum, aetatem quoque senilem huc refero, utpote in qua fermenta viscerum languida ac torpida evadunt, nec amplius adeo exaltata prout in aetate juvenili, ubi spiritus ac humores vegeto adhuc incedunt fervore, unde paralysis magis infensa est ad aetatem senilem provectis, quam juvenibus. Spectat huc *anni tempus*, in primis vernale, & autumnale, morbis frigidis inducendis occasionem suppeditans.

V. A parte rerum *non naturalium*, quarum sex recensentur, sanguinem, & humores a statu naturali deflectentes, primo loco se offert *Aër* frigidius ac pluviosus, qui sanguinem, & spiritus reddit crassiores, torpidiores ac minus vegetos, unde nec fermenta viscerum ad debitum exaltationis statum evehuntur, nec insensibilis transpiratio peragitur; hinc recrementitiae partes sanguini magis immistae manent ac faciliorem dein redduntur flaccidiores, quia & frigida & humida nervis inimica sunt. Proximum sibi ab aëre locum vendicant *cibus*, & *potus*, a quibus sanitas corporis nostri tam in integra conservanda, quam labefactata restauranda maxima ex parte dependet: vitium autem horum committitur, vel in ingestorum nimia *quantitate* vel vitiosa *qualitate*. Alimenta in nimia copia ingesta fermentum ventriculi obruunt, quo minus sufficiens sit pro ciborum dissolutione, ac ventriculus tono suo naturali privatur, quo minus facta digestione fibrae ejus iterum coëant ac naturalem conservent calorem. In *qualitate* peccant assumta, quae difficilioris sunt concoctionis, qualia sunt viscida, glutinosa ac omnia flatulenta, quae activitatem fermenti ventriculi obtundunt ac hebetant, quo minus cibus in chylum laudabilem, quinpotius in materiam viscidam ac tenacem mutetur, & hinc varie in corpore humano subsequuntur obstructiones: *qualis enim cibus talis chylus, & sanguis, & qualis sanguis talis est constitutio totius corporis*. *Potus* faeculentus ac partibus terrestribus inquinatus parietibus ventriculi adhaerens papillas ejus obstruit, quo minus fermentum in ventriculi cavitatem exstillare ac ciborum dissolutioni inservire possit, unde cruditates tandem oriuntur. In *quantitate* peccat potus, dum fermentum ventriculi nimis diluit ejusque activitatem adimit, quo spectat spir. vini nec non generosioris vini frequens ingurgitatio, utpote vinum praeter tartarum, acidum quoddam in sinu gerit, quod solum nervis exitiale existit, unde tremores manuum pedumque in potatoribus

non

non raro deprehenduntur. Maxime etiam ad cacochymicam dispositionem facit *inordinata ciborum ingestio*: dum enim cibo priori nondum bene concocto nova ingeritur moles, atque in noctem quoque protrahuntur pocula, chylificatio turbatur, & quia vitium primae concoctionis non corrigitur in secunda, multo minus in tertia, chylo crudo atque indigesto advecto sanguis redditur cacochymus, & ad obstructionem pronus. *Somnus*, & *Vigiliae* alternandi modos rite observent, sicuti enim plurium morborum magnum existunt levamen, sic contra quoque unum si defecerit, vel alterum modum excesserit, non parvi est aestimandum: somnus enim immodicus spiritus tam animales, quam vitales obtorpescere facit, fermentationes reddit languidiores, cerebrum nimium humectat ac nervos reddit flaccidiores, inde humida quoque cerebro male audiuntur, a somno praeterea nimio, ac hinc necessario intermisso motu, debita ingestorum separatio impeditur, unde quisquiliae in primis viis stabulantes cacochymiae occasionem praebent. *Vigiliae* contra immoderatae spiritus dissipant, ac sic nervorum irradiationi omnem abscindunt caussam.

VI. Quemadmodum autem moderato corporis exercitio circulationem sanguinis ob spirituum tam vitalium, quam animalium elaborationem ac motum debitum servamus, sic motus nimius ac limites excedens, partes sanguinis balsamicas ac spirituosas absumit, unde reliquus magis incrassatur, ac variis proinde in corpore nostro obstructionibus fores panduntur. Sin *quieti* nimium indulgeamus, vitamque amemus sedentariam, tardior succedit spirituum animalum motus, ac particularum insensibilis denegatur transpiratio, nec motus peristalticus sufficienter juvatur; hinc chyli a faecibus alvinis separatio ac distributio impeditur, excrementitiae partes in primis viis commorantes alvi obstructionem ac alia inde consequentia mala producunt.

VII. *Excreta & retenta* quantum sanitati nostrae commodi, aut detrimenti inducere possint, videndum. Excreta limites si excedant, totius corporis partes labefactant, spiritus consumunt, & liquoris tandem vitalis depauperationem inducunt. Sin retineantur ea, quae excerni debebant, pessimum id quoque est, quum & chylus, & sanguis inde inquinentur, variique humores recrementitii scoriaeque ad cerebrum transmittantur, in tubulis nervorum spiritibus animalibus influxum prohibentes: idem esto judicium de consuetae evacuationis compressione.

VIII. *Animi pathemata* symbolum quoque suum conferunt multorum morborum parentes. *Moeror & tristitia* sanguinem, & spiritus reddunt crassiores, & ad motum exigendum minus aptos; unde tubuli nervorum collabuntur, & vel nulli vel pauci admittuntur spiritus. *Ira* sanguinem aestuare facit, humorum turgescentiam ac vasorum distensionem caussatur, unde pori arteriarum magis dilatari, una cum particulis subtilioribus, crassioribus quoque transitum concedunt, qui temporis diuturnitate collecti stuporem ac denique motus abolitionem introducunt. *Venus* immodica spiritus exhaurit ac totum corpus ad maciem disponit, unde absumtis particulis balsamicis, crassioribus ad obstructiones proclives in sanguine praedominantur, qua toties utendum, quoties quis se ipso levior esse cupit.

XI Ex numero *rerum praeternaturalium*, primo respicimus ipsius partis affectae statum, nimirum cerebri vitiosam dispositionem accusamus, quatenus hoc nimis humidum est ex illuvie tum serosa tum pituitosa, quo referimus morbos praegressos, vertiginem, carum, lethargum &c. utpote in quibus affectibus materia morbifica copiosius generatur, & ad majorem spirituum influxum cohibendum ac paralyticam tandem obstructionem producendam via sternitur. Melancholici facile fieri possunt paralytici, sanguinem enim habent crassum ac multis particulis terrestribus inquinatum, unde ex sanguine tali crasso,

non possunt non generari spiritus crassi, minusque lucidi & ad motum vegeti. Hucquoque spectant morbi chronici, scorbutus, cachexia, hydrops, quartana.

X. Sequitur *differentia*. Quum enim in apoplexia eadem motus, & sensus deprehendatur abolitio, hinc non nisi partium affectarum multitudine apoplexia a paralysi differt: unde porro frequens paralysis insurgit divisio in *paraplegiam*, ubi omnes sub capite, *hemiplegiam*, ubi omnes in uno vel altero latere partes resolvuntur, vel in *particularem*, ubi particulares fiunt obstructiones nervorum in hac vel illa parte, linguae, brachii, pedum, palpebrarum, cujus memorabilem historiam refert Timaeus in epist. medicin. p. 451. Alia adhuc datur paralysis species, quae *paresis* vocatur, quam tamen proprie ad paralysin spectare negat, & *Sylvius p.* 438. §. 38. Alia insuper est *hysterica*, alia scorbutica, in qua serosa colluvies, salinae ac tartareae horiae accusantur.

XI. *Signa diagnostica* paralysin praecedentia sunt dolor capitis gravativus sive cephalaea pituitosa, vertigo, ciborum inappetentia, partes ad contactum frigidae; praesentis vero paralysis indicia sunt, motus, interdum etiam sensus abolitio, partis affectae flacciditas, contabescentia, ac caloris imminutio, ob materiam scilicet nervorum tubulos obstruentem, quo minus spiritus tam vitales, quam animales in eos se libere diffundere possint, sicque parti paralyticae omnis intercipitur, & calor, & nutritio, pulsus est debilis (spirituum enim arguit absentiam) vigor sanguinis est dejectus, alvi excrementa interdum involuntarie excernuntur, inprimis si sphincter ani sit resolutus. Reliquae particulares paralysis species ex actione laesa desumuntur.

XII. Tandem & *Prognosis* exhibenda. Medicus ad paralyticum vocatus affectum hunc pronunciat curatu difficilem, 1. Si sit inveteratus ac profundiores jam egerit radices; 2. homines aetatis provectioris invadens, sui vix ullam admittit curam, imo a quibusdam incurabilis habetur, tum quod haec aetas morbis frigidis dictis prae caeteris sit subjecta, ob deficientem scilicet calorem nativum, tum etiam quod ut plurimum medicamentorum usum ad plenariam restitutionem protrahere nolint, sed omnem curationis spem abjiciant, magnus enim hoc in morbo requiritur medicamentorum apparatus; unde 3. redditur curatu difficilis, quia medicamenta ad ipsam partem affectam non tam facile, & non nisi longiori eorum usu, penetrare possunt. 4. Ubi jam pars paralytica contabescit, si una cum motu etiam pereat sensus ac respiratio sit difficilis, male cum aegro agitur. 5. Universalis paralysis, & ubi plures partes simul afficiuntur, curatu est difficilior quam particularis, utpote quae mitior esse videtur. 6. Difficilem quoque reddit curam, si apoplexiam insequatur paralysis. Ne autem omnem adimamus spem, aegrum bene sperare jubemus, 1. si respiratio adhuc sit libera aut saltem parum imminuta: 2. attendendum, an totalis sit sensus, & motus abolitio; si nimium non omnis perierit sensus & motus, aegrum bene sperare jubemus, indicium enim est materiam morbificam non tantam egisse radicem, nec adeo profunde nervis esse impactam. 3. Quamdiu pars paralytica non contabescit, nec omnis deficit calor, bonum praebet signum pristinae recuperandae sanitatis. 4. Si morbus adhuc recens fuerit, faciliorem sui admittit curam, quam si jam longius duraverit.

XIII. Perspecta sic morbi indole, ad ejus curationem me accingo: quum autem partium nervosarum obstructio, indeque denegatus spirituum influxus accusetur, hinc videndum, an ad eam tollendam generosiora quoque remedia hic locum habeant: quaeritur itaque de venae-sectione, quae an conveniat, merito dubitatur, quum enim praesentis affectus obstructio sit utplurimum a vitiosa sanguinis qualitate, non vero quantitate ejus profecta, videtur, venae-sectionem non indicari, quae cacochymiam tollere nescit: nihilonimus si paralysis fuerit a consuetae ali-

cujus evacuationis suppressione, aut a casu ab alto, vel a plaga quadam externa introducta, omnino locum habebit, inprimis si habitus corporis sit plethoricus, nec vires adeo attritae fuerint.

XIV. Purgantia vero majori aegrotantis emolumento in usum praesentem vocantur, quo humores in primis viis stabulantes (qui movendi cum Hippocr.) moveamus, sic enim ulterioris obstructionis praescinditur occasio: quum autem humores ita crudi vix aut nonnisi summa cum difficultate eliminari possint, hinc incidendi, attenuandi ac praeparandi sunt, quo eo facilius purgantium fermentationi auscultent, cui scopo obtinendo conveniunt volat. sal viperar. succini, c. c. cran. hum. nec non fixa, absinth. aq. Reg. tartar. liq. c. c. succin. omniaque mucum acidum corrigẽtia, tart. vitriolat. & alia. Humores ita praeparati per alvum educendi sunt, in quem egregie conducit infusum Timaei: liberatis sic primis viis ab omni infarctu ad humoris obstruentis ulteriorem praeparationem ejusque evacuationem omnis dirigendus erit scopus, unde sequens in antecessum praemittendum apozema:

℞. *Rad. poeon. enul. camp.* ãã. unc. i. sem. *cal. arom. sarsae par.* ãã. unc. j. *herb. rorismar. salv. major. serpill.* ãã. m. ii. *flor. staechad. Arab. anth. lil. convall.* ãã. p. ii. *sem. carv. anis.* ãã. drach. ij. *baccar. laur., junip.* ãã. drach. iij. *cinnam.* drach. v. *castor.* scrup. j. Incisa coque in s. q. aq. font. ad reman. lib. ii. sem. colat. *add. sir. de beton.* unc. ij. *aq. epil. Lang. salv. compos.* ãã. unc. j. *spir. lil. convall.* unc. sem. mis. f. apozema.

Hoc per aliquot temporis spatium continuato ad diaphoretica deveniendum, quo humor bene praeparatus per insensibilem transpirationem foras eliminetur, in quem finem decoctum liquorum commendatur, utpote quod ex rigidioribus constat partibus, quae non tam facile ab aliis obvenientibus corporibus flectuntur: et. gr.

℞. *Lign. guajac.* unc. iij. *sassafr.* unc. sem. *tamar.* drach. vj. *rad. sarsaepar.* unc. iij. *rad. liquirit.* drach. vj. *sem. anis. foenic.* ãã. drach. iij. Incisa infunde per 24. horas, in aq. puriss. lib. vj. coque ad tertiae partis consumtionem, colat. sum.

Assumto sudorifero aeger in laconicum deducatur paratum ex decocto herbarum specificat. in quo ferrum vel lateres igniti extinguuntur, quo sudores eo largius profluant.

XV. Sudorifera iterum excipiant purgantia, quibus non inconvenienter additur Mercurius dulcificatus, ob vim qua pollet humores attenuandi ac resolvendi: observandum tamen, eum non ita promiscue omnibus esse exhibendum, ubi enim salia caput extollũt in corpore, ibi Merc. abire potest in praecipitatũ vel sublimatum vid. *monita Medica* D. D. waldschmiedt MEDICIN. DOCT. EJUSDEMQUE PROFESS. PRIMAR. PHYSICES ORDINAR. ac INCLYTAE ACADEMIAE p. t. RECTORIS MAGNIFICI. Quod si tamen bene perspectam habeamus corporis naturam, formula talis praescribi potest:

℞. *Extr. cephal.* gr. xv. *Merc. dulcif.* gr. xij. *extr. trochisc. alb.* gr. iij. *ol. destillat. anis.* gtt. ij. *f. cum ess. lign. sassafr.* pil. no. xv. sum.

XVI. *Vomitoria* in peralysi egregiam navant operam, subtrahunt enim fomitem materiae morbificae ac ventriculum saburra repletum a suo infarctu liberant, ipsamque materiam nervis impactam resolvunt ac concutiunt, quo postmodum eo facilius educi possit, meliora edocti exulare jubent ejusmodi emetica, quae ventriculo post suam operationem labem quandam inferunt, quale est sal volat. vomit. substituentes tart. emet. vel sirup. emet. Ang. Sal.

℞. *Sir. emet.* unc. sem. det. ad vitrum.

XVII. *Clysteres* revellentes in affectibus paralyticis in usum quoque vocandi sunt. ver. gr.

℞. *Herb. rorism. beton. salv. rut.* ãã. m. j. *flor. lavend. lil. conv. staechad. Arab.* ãã. p. j.

rad.

rad. ang. unc. sem. *fol. senn. sin. stip.* drach. vj. *sem. anis. carv. coriandr.* āā. drach. j. sem. *sal. tartari.* drach. j. Incisa coque cum aq simpl. colat. ℞. unc. xij. add. aq. bened. Rul. turbidae unc. i. sem. mis. f. enema.

XVIII. Interim utramque facient paginam apud aegrotantem specifica nervos deobstruentia, & humores volatilisantia, quae spiritibus pristinum reddunt vigorem ac influxum, qualia sunt omnia spirituosa aq. salv. comp. epil. Lang. Anhalt. spir. lil. convall. ceras. nigr. ess. ambr. rorismar. castor. succin. sal c. c. viperar. volat. *quo celeberrimum Medicum Francofurtensem, Dor. Witzelium Principem curasse refert* EXCELLENTISS. D. D. DOLAEUS, PATRONUS ac FAUTOR MEUS OMNI VENERATIONIS CULTU PROSEQUENDUS, sal succini volat. quod in curanda Paralysi magnae esse efficaciae expertus est VIR NOBIL. ac EXCELL. D. D. LORSTENIUS MED. D. ac PROF. ORD. CELEBERR. Huc spectant omnia cinnabarina, & quae in aliis capitis affectibus commendantur. Externe commendamus spirituosa remedia parti affectae seu potius spinae dorsi applicanda. Nam emplastra, cerata, linimenta oleositate sua poros magis infarciunt, obstruunt ac insensibilem inhibent transpirationem: praemitti autem debent frictiones, quo spirituosa eo facilius ac integris viribus penetrare possint, qualia sunt spiritus convulsivus D. D. Waldschmidt, aq. nervina *ejusdem* epilept. Lang. spirit. lumbr. terrestr. formicar. lavend. lil. convall. ex. gr.

℞. *Spir. formicar. lumbric. terrestr.* āā. drach. ij *sal. vol. viper.* gr. xv. mis. inungat. spiritus.

Spiritus tartar. compos. sal. armoniacum, urtic. balsamus nervinus *Schaefferi*, ab EXCELLENTISSIMO D. D. DOLAEO, CONSILIARIO, & ARCHIATRO CASSELLANO CELLEBERRIMO descriptus, essent. *ejusdem.* Fomenta, & suffimigia magnum parti paralyticae afferunt levamen, utpote quae insigni vi pollent deobstruendi ac deoppilandi, in catarrhalibus defluxionibus quoque magnopere laudantur ex thure, mastiche, gumm. anim. succin. parata: sub hunc censum referuntur quoque balnea tam naturalia quam artificialia ex herbis cephalicis composita, vid. *Hoffmanni method. medendi p.* 287. Verum quantum haec emolumenti tantum etiam nonnunquam detrimenti tulisse, ipsa experientia compertum habemus, id quod etiam de sudoriferis fortioribus statuendum est: quum enim sanguinem, & humores valde exagitent, sicque praesentem obstructionem vel augeant, vel ad alium morbum viam sternant. Recte *Willisius cap. de Paralysi scribit, p.* 245. *quod balneatio sanguinem, & humores omnes exagitans, particulas quasdam morbificas ac heterogeneas magis exaltet, easque efferatiores factas e visceribus in mass. sang. adigat, unde cerebrum & nervosum genus subeuntes, affectionem paralyticam producunt, obstructiones veteres saepe adaugent, & non raro novas producunt.* Unde & balnea exulare tunc jubemus, ubi sanguis inclinat ad inflammatoriam quandam dispositionem, quae clarius explicata in *lectionibus publicis* VIRI MAGNIFICI D. D. Waldschmidt. cap. de mensib. suppress.

XX. Curationis tandem agmen claudit legitima diaeta, quae in sex rerum non-naturalium vera administratione consistit: vitetur itaque, quantum possibile, aër nebulosus ac pluviosus spiritibus animalibus valde infestus; eligatur serenus ac purus, qui spiritus alacriores ac nitidiores reddit, eum in finem privatus aër corrigi potest suffimigiis ex thure, mastiche, gumm. anim. &c. Victus sit moderatus, cibi sint boni succi ac facilioris concoctionis, salvia, roremarino aliisque simillib. conditi; vitentur omnia flatulenta ac nimis humida, fumo indurata ut pisces, olera, legumina, haleces &c. omnes fructus horrei qui faciliorem putredinem ac fermentationem praeter naturam concipiunt, qualia sunt, poma, pyra, pruna, mala persica &c. Potus sit cerevisia bene cocta, lupulata ac herbis cephalicis medicata; conducit quoque vinum salviaticum, anthosatum, viperinum, cervinum: Hunga-

garicum aut recens propter acidum faeculentum male merito suo audit, quia nervis est inimicum. In Vigiliis & somno sit modus. Vectio in rheda concutiendo partes obstructas effectum spondet non contemnendum, ipsis spiritibus priorem cursus formam reddditura. In excretis natura suo quoque fungatur munere. Animi pathemata, moeror in primis ac tristitia cane pejus fugienda sunt, si earum moderator, & magister esse possis: qui enim se ipsum vincere potest, magnos quoque debellabit morbos.

Haec sunt Lector benevole, quae pro instituti ratione, publice proponere ausus fui, quod si non in omnibus satisfecero, humanitas tua me excusatum habebit, prodesse volui, ac meliora edoceri non erubesco! qualiacunque haec itaque sint, serena fronte accipe, mihique favere perge. S.D.G.

DIATRIBA INAUGURALIS
De
PURGANTIUM DE FORO MEDICO PROSCRIPTIONE.

AUCTOR
CHRISTIANUS KURSNERUS, MARBURG. HASS.

I. VArios natura provida in machina humana sibi invenit exitus, quibus superflua, & molesta foras eliminari possent. Unicam autem ostendit viam, per quam, quodcunque in corpore negociari molitur, tanquam per communem portam, ingredi necesse habet. Quandoquidem autem haec via ipsis, & purgantibus calcanda, & prius] premenda, ante quam suam explicare possint energiam, operam me non lusurum spero, si priusquam Augiae hoc stabulum expurgare coeperim, brevem praemittam descriptionem, earum potissimum partium, a quibus suscipiuntur; & ubi veluti in campo Martio dimicare incipiunt. Enim vero hoc neglecto, per motus naturales automatum explanantibus, ipsius autem artis mechanicae insciis, similis videri possem. Attamen purgantium proscenia plenissime describere magni operis esset negocium, proinde quae scopum nostrum ferire videntur, breviter saltem attingam.

II. Et quidem quum prima machinae nostrae propylaea impune subeant purgantia, recto tramite descendimus ad ventriculum, promicondum corporis nostri reliquis partibus omnem erogantem commeatum. Quo sano salvoque, plena omnibusque numeris absoluta sanitas in totum redundat corpus: eo contra deficiente, infinitarum ex ipso calamitatum per totum corpus disperguntur semina. Huic ergo animum applicet, cui vita longa curae est, huic nobili litet visceri, magno salutis suae promotori certissimoque perniciei auctori. Verum juxta communem calculum contexitur is triplici tunicarum genere, quarum interior tota nervea fibris tenuissimis varie & diversimode intextis, ac vasis sanguiferis innumeris praedita est. Huic tunicae glandulae cum suis vasculis excretoriis superstructae sunt, quae peculiarem constituunt tunicam, quam villosam sive glandulosam vocant. Glandulae hae innumerae pro ciborum dissolutione menstruum aliquod salinum suggerunt. Neque rationi dissentaneum videtur per glandularum interstitia, poros foras intus spectantes humores quosdam immediate cruori infundi, ante-

antequam per viam regiam sive publicam eo appellunt. Caeterum fibrae tunicae istius nerveae sunt prima offendicula, quae prout ab assumtis vel contentis afficiuntur, tales inde oriuntur sensationes, & affectiones.

III. Tunica altera est carnosa, sive fibris carneis conflatur: harum duo genera notamus: quaedam enim fibrae juxta longitudinis seriem protractae sunt, ab uno orificio ad aliud excurrunt, & ita alterum fibrarum genus immediate substratum in rectos angulos secant; hae enim fibrae transversim ad latera excurrunt, atque tot circulos constituunt stomachum cingentes. Hae fibrae dum contrahuntur, angustant & constringunt ventriculum, proinde contenta superius lata per hoc aut illud orificium eliminari possunt: quod si jam fibrae longitudinales in contractionem adiguntur, ventriculus juxta omnes dimensiones contrahitur; atque ita contenta vi extruduntur, vel per vomitum, vel in intestina effunduntur, prout vellicatio fuerit fortis, ac fibrae in pyloro vel orificio sinistro colligantur. Tunicam tertiam, quum non nisi commune tegumentum constituat, studio silentio premimus.

IV. Progredimur nunc ad intestina ventriculo continua, quae iisdem componuntur tunicis, quibus ventriculus. Intima innumeris quoque scatet glandulis: e glandulis istis pro chyli & faecum dilutione egreditur lympha, imprimis autem in purgationis actu humorum sentina per illas praecipitatur. Per tunicam carnosam perficitur motus intestinorum, scilicet dum fibrae transversales, sive anulares contrahuntur, intestinorum concameratio coarctatur, sicque fibris longitudinalibus abbreviatis, intestinorum cavitas in minus cogitur spatium. Verum quia contractiones tantae non sunt, ut fibrae ab una extremitate in alteram colligi possint, fit talis modus successivus, peristalticus dictus, quo mediante contenta sensim propelluntur, usque dum faeces e territorio corporis proscribantur. Chylus vero a bile & succo pancreatico probe dilutus & fluidus factus, singulisque fibrarum contractionibus ad intestinorum latera propius adactus, rictui vasorum lacteorum absorbendus sistitur. Quod si vero ab irritamentis tunica intestinorum nervea percellitur, protinus in auxilium vocatis carneis mediae tunicae fibris in spasmos frequentiores consurgit, motum peristalticum accelerans, ipsasque contractiones excretorias intendens.

V. Restat, ut commeatus vias ulterius prosequamur. Chylus cum purgantibus vasa lactea ingressus in cysternam chyliferam effunditur, ubi adjuvante diaphragmatis motum per ductum thoracicum propulsus ad mare sanguinis rubrum in venam subclaviam derivatur, inde in magnum cordis oceanum infunditur, ibique cruori se conjungens, per ramum ascendentem & descendentem per totum corpus ad omnes partes indifferenter distribuitur, praeterquamquod partes crassiores magis deorsum, subtiles vero magis sursum ferantur. Ex quo sole meridiano clarius constat, nulla medicamenta sive purgantia ad certum aliquod viscus, ver. gr. caput, hepar, lienem, uterum deferri, sed aequaliter sanguini commisceri, & cum eo promiscue ad quasvis partes vehi.

VI. Adumbrata in hunc modum purgantium palaestra, nunc penetralia eorum ingrediemur, partes quibus conflantur, perlustrantes. Omnis autem purgantium vis & virtus pendet a sale quodam volatili, acri oleoso, sive particulis acribus, vellicantibus, & massam sanguineam colliquantibus. Id confirmatur eo, quod vel naribus sternutamenta, vel oculis inflata lachrymas excutiant; ac quod venis injecta vehementius operentur. Praeprimis vero hoc sal acre in vegetabilibus latet sub tegmine resinae, unde quod drachma una jalapae efficit, id pauca resinae grana praestant. Resina ergo haec proximum purgationis subjectum est, paratur menstruo sulphureo, & mediante praecipitatione ipsis oculis usurpanda sistitur. Resina haec sale volat. acri, oleoso singulariter concreta est; nam quod sub

forma

forma solida resinam repraesentat, hoc igne fusum oleum exhibet. Hujus rei fidem facit spiritus vitrioli oleo anisi affusus, illud in perfectam resinam commutans: & praeterea essentiae ex lignis medicamentosis spiritu vini extractae: quae facili negocio in resinam vel praecipitationem, vel per spiritus vini evaporationem mutari possunt, ligna vero nullum postmodum more solito destillata sugerunt oleum. Olea vero destillata aliud nihil sunt, quam salia volatilia in proprio phlegmate soluta, seu ab occulto acido concentrata, unde haec olea brevi facta digestione cum alkalibus fixis in sal volatile abeunt, quia absorbto acido sal volatile vinculis solvitur, & sui juris fit. Deinde videmus, vegetabilia aromatico sapore praedita simplici per vesicam destillatione oleum suppeditare, ast fermentata spiritum exhalare, putrefacta autem sal volatile urinosum efflare, simillimum illi ex animalibus destillari solito. Quia acidum in ista fermentatione & putrefactione, dum valde meteorisatur, effoeminatur, & magna parte in auras fatiscit: interim salia volatilia vegetabile praecipue constituentia suo arbitrio relinquuntur. Haec satis indicant, resinas & olea destillata non nisi ratione formae externae discrepare, sed utraque esse salia volatilia oleosa ab occulto acido concentrata. Constat ergo resina acri acido, & acri urinoso internexo oleoso amplexu, ita tamen, ut oleosum & acidum salis volatilis mancipia sint.

VII. In purgantibus mucilaginosis latet hic nucleus sub cortice, & menstruo aquoso, sale fixo armato extrahi debet: hoc enim non tantum texturam resinae, sive substantiam oleosam intrat, sed & resolvit, & intima sulphuris claustra reserat: hac quoque ratione purgantia haec parum cicurantur. In metallis sal illud acre delitescit in sulphure, non quidem qua tali, sed quatenus salis volatilis beneficio elatum, & cum eo conjunctum est. Et licet eorum acrimonia linguae sensum subterfugiat, ventriculum tamen sufficienter vellicare, & sanguinem colliquare potest.

VIII. Omnium itaque purgantium vis in sale acri consistere statuimus. Nam videmus, nihil magis eorum texturam infestare, quam acida, a quibus, brevi inita fermentatione, castrantur, vis ipsorum perit, & capita mortua evadunt. Hujus rei testes sunt quartanarii, melancholici, hypochondriaci, &c. qui ad unum omnes difficilioris sunt purgationis ob acidum in eorum ventriculo stabulans, omnes purgantis conatus enervans. Non igitur moror difficultates illas, quibus acidis interdum genium purgantium acrius reddi posse volunt, quippe momentaneus est talis vigor, tamdiu durans, quamdiu acidum, & alkali inter se litigant; quale simile quid videmus in praeparatione seminis sinapi cum aceto, ubi quidem acerrimus insurgit sapor, verum brevi peracta nimirum reciproca actione acidi & acris exspirans. Neque ipsa aciditas in quibusdam purgantibus reperibilis debellabit nostrum assertum, quippe sciendum, eam in sinu semper acrimoniam fovere, nam ea evanescente, ipsa illa purgantia enervantur, & corpora fatua fiunt, etsi aciditas ipsis superstes maneat.

IX. Quandoquidem igitur de purgantium enucleatione sat actum esse videatur, ordo nunc postulat, ut in eorum operandi modum inquiramus, ac explicemus, quomodo pensa sua in corpore exequantur. Id autem praestant duplici modo, irritando fibras nerveas intestinorum, & colliquando massam sanguineam. Hisce lumen foenerabunt sequentia. Purgantia ventriculo concredita, si non liquida fuerint ab humoribus in ventriculo contentis dissolvuntur, quae dissoluta, & a calore animata, insinuant se in glandularum poros; quarum succum non tantum venenant, sed & ipsas tam diu torquent, donec omnem eructet collectum humorem, idque eo magis, quo magis fibrae carneae in contractiones adiguntur, in quibus mox impetum faciunt, iique tam tenaciter adhaerent irritando, vellicando, ut fibrae carneae juxta omnes dimensiones contrahantur, & contenta evome-

re

se ventriculus cogatur. Quae ad intestina deventa eodem modo genium suum exercent, glandulas emulgendo, ac fibras stimulando, ut inde excitetur tale diluvium per intestina depluens.

X. Interea autem dum purgantia in primis viis ita occupata sunt, partes quaedam excurrunt, & non tantum per vasorum poros foras intus spectantes cruori insunduntur, sed & per regiam viam iter facientes in sanguinem inducuntur; cui commista, aperto Marte statim dimicare incipiunt, texturam ejus dilaniando, eum fermentando, liquando, fundendo, segregando, praecipitando, inspissando, evucuando. Neque difficile erit haec omnia per manifestas caussas, ac mechanicam partium structuram explicare, quippe purgantium partes acres & scindentes dividunt sanguinis partes, & in minores vertunt, adeoque majori motu iis particulis inducto, quae antea plus quietis obtinebant, non potest non in sanguine talis destructio, ejusque crasis perversio subsequi.

XI Verum quum nihil seipsum movere possit, quo ergo instinctu purgantium partes ita impingunt? Sciendum singula corpora diversis componi partibus, adeoque diversa inter se relinquere interstitia certo aetheris genere replenda & permeanda. Ast quum pori sanguinis admodum abludant a poris purgantium, hinc sine magna lucta, pari ratione, ut oleum tartari, & spiritus vitrioli, confundi nequeunt. Effectum itaque adscribimus materiae subtili, quae confusis poris pristino more perfluere nequit, ast moliendo liberum accessum hanc turbationem concitat.

XII. Quidquid autem per purgantia vacuatur, potissimum per secessum egeritur. Enimvero omnia corpora eo feruntur, ubi nullam reperiunt resistentiam. Sanguis itaque colliquatus, & per vasa raptus, vasa intestinalia alluens, per hiantia glandularum ora potius proruit. Deinde sanguinis, & spirituum impetus quoque ad intestina potissimum defertur, idque ob vellicationem a purgante tanquam admoto vesicatorio excitatam. Enimvero quod vesicatorium externe in cute, hoc purgantia interne in intestina efficiunt. Haec insuper irritatio, ab humoribus a glandulis ploratis, quia particulis elasticis, & irritativis probe saturati sunt, non parum promovetur.

XIII. Hoc autem rebellium a purgante in corpore concitatum tamdiu perdurat, donec omnis tinctura purgans e fibris excussa sit, & sanguis tales acquisiverit poros, quos prior aether constanter & impedite perfluere possit, unde fit, ut cataractae hae sistantur, & cuncta tranquilla fruantur aura.

XIV. Ex data hac purgantium operatione satis patere reor, purgantia neque electione, neque attractione, neque similitudine substantiae, aut nescio qua facultate specifica operari. Sed solum modo irritando & colliquando, idque promiscue tum in sanis, tum aegris, utile cum inutili evacuando: ex quo sponte cadit illa divisio purgantium in cholagoga, phlegmagoga, melanagoga, & hydragoga. Porro, quomodo purgantia humorem quendam e corpore extrahent, quum nullo modo sanguis ex humoribus componatur, tantum abest, ut formaliter praeexistant? Unde & illi contra torrentem niti videntur, qui nescio, per quem certum aetherem, quem purgantia sanguini infundere debetur, & cum hoc potius humore fermentare, quam alio, humores excerni contendunt. Esto, humores hos in sanguine praeexistere, non tamen interstincti, sive sine arbitris liberi sunt, sed firmo nexu conjuncti, & cum sanguine uniti, adeo ut si seorsim afficiantur impossibile sit, quin insimul communi clade tota prematur massa. Accedit & hoc, quod liquores compositi facilius, quam simplices turbari possint.

XV. Verum e longinquo audio strepitum, qui antequam alia in digitos mittamus, prius discutiendus est. Oggerunt enim: nonne rhabarbarum bilem, jalapa serum &c. expurgat? id enim in quovis purgantis actu quotidie tam palam est,

ut,

ut, qui illud negari velit, manifestissime inscitiam suam prodat. Verum refundimus illis, nos quidem ambabus largiri manibus, purgantia inter se differre ratione vehementiae & venenositatis, adeoque & sanguinem plus minus colliquare & putrefacere, sordes autem a purgante excretas sub tali facie in corpore praeextitisse, constanter negamus. In quo enim diversorio corporis divertissent? Neque enim venae, neque arteriae, etsi sanguine depletae: non thorax, quamvis visceribus privus: non abdomen, licet exenteratum, capacia & satis ad hanc improbam corruptelarum sentinam comprehendendam sufficientia sunt. Dicimus autem, purgans sanguinem, chylum aliosque corporis succos resolvendo & putrefaciendo has execrabiles sordes, quandoquidem horribiliter & deterrime foetent, effecisse. Sed de his fusius forte agendi in seq. dabitur occasio. Quando ergo dicitur rhabarbarum bilem, jalappa serum, helleborus niger melancholiam &c. expurgasse, id minime pharmaco, quatenus specifica vi illud extraxerit, sed acrimoniae & suae actioni colliquefactivae in acceptis ferendum est. Equidem haud quisquam inficiabitur, sanguinem a purgantibus fortioribus aliter fermentari & immutari, quam a mitioribus, unde fit, ut partibus aliter segregatis, aliter combinatis & locatis, talis textura exurgat, a qua radii reflexi talem menti nostrae ideam coloris inferant. Etenim color iste non in corpore, sive humore illo, sed tantummodo in cerebro tuo existit. Dein ipsa purgantia subinde tingunt excrementa, enim vero si urinam spoliant suo colore, aliumque ipsi induunt, quidni magis excrementa tingent, quum in illorum territorio limitentur, ac substantia eorum terrestris cum faecidus misceatur; nonne enim videmus, martialia quibus vis purgantibus associata, omnia atro colore infecta repraesentare?

XVI. His absolutis, restat nunc, ut ulterius progrediamur, & purgantium usum sub examen vocemus. Siquidem haud me fugit, apud Medicorum plurimos sanctum eorum esse usum, ut sine iis aggredi morbum nefas ducant: imo iis neglectis reliqua omnia superingesta profanari sibi persuasum habeant. Quid itaque in morbis curandis valeant, quidve ferre recusent, hic sub incudem vocemus. Quod autem ut eo felicius a nobis peragatur, pauca quaedam de ipsis morbis prius verba faciemus, eosque in certas classes dispescemus, ut ita eorum affectus eo melius in lucem protrahantur.

XVII. Quicunque universum morborum gregem, quibuscum miseris mortalibus quotidie colluctandũ ad aequum judicii tribunal vocarit, nullos dissentientes habebit, si ad duas stationes, quarum una in se contineat mistionem particularum sang. laesam, altera vero in se complectatur visciditatem & crassitiem sanguinis, referri statuerit. Haec divisio adeo foecunda erit, ut nullus morbus inveniri queat, qui non uni harum adscribi possit. Ne tamen obscuris terminis ludamus, prius expediemus, quid per mistionem laesam, quidque per crassitiem sanguinis intellectum volumus.

XVIII. Nontandum itaque est sanguinem innumeris componi particulis & magnitudine & figura differentibus: & has omnes ad naturalem ejus crasin & constitutionem servandam necessario requiri. Enim vero si tantum subtilioribus constaret partibus, hae facile sanguinem destituerent, tenuesque abirent in auras: sic si crassioribus tantum & tardis componeretur, hae in suo progressu passim gradum sisterent, variasque gignerent obstructiones. Temperatur ergo sanguis diversis particulis, ut aliae aliis compedes injiciant, alias autem in motum concitent. Et sic de reliquis omnibus particulis, quibus congeritur sanguis, sentiendum est.

XIX. Hae autem exiguae innumerae sanguinis partes figura & magnitudine differentes, quum nunquam tam accurate necti & continuari queant, varia inter se relinquunt interstitia, non quidem vacua, quod contradictionem involveret,

sed

sed materia subtilissima referta, cujus motum sequuntur. Atque ita materia haec infinitae magnitudinis, & motus, diversis istis interstitiis se accommodans, & rectilineum motum per illa affectans, efficit ut singulae particulae separentur, & agitentur; hoc est, ut sanguis in fluiditatis statu conservetur; eo ipso quoque aether hic efficit, ut singulae partes convenientissime inter se invicem commisceantur, certumque in ordinem redigantur. Quod si sanguinis particulae talem inter se servent ordinem, taliaque construant intervalla, quae non nisi aether a primis principiis perfluere consuetus occupet, sanguis rite mistus & temperatus erit: sin vero ordo hic particularum invertatur, intervalla alia a peregrino & exotico aethere formentur, sanguis in sua mistione laesus erit. In hac laesa sanguinis mistione omnium febrium ratio formalis & essentia consistit.

XX. Haec sanguinis mistio turbata ab obstructione quadam semper fovetur, ita ut illa obstructio vel praecedat, vel sicut fidelis pedissequa presso pede insequatur. Enim vero impossibile est, ut sanguis in sua mistione turbetur, quin in suo circulo impediatur & obstruatur. Plerumque autem haec obstructio est inflammatoria, vel gradu tantum ab ea differens. Oritur autem inde haec obstructio inflammatoria, dum nempe pori ita obstruuntur, ut interstitia quaedam tantummodo relinquantur soli materiae subtilissimae pervia, quae fulminis instar ea percurrens, non tantum partes quasdam secum abripit, & inflammat, sed & sanguinis motui in totum contrariatur, ejusq; decentem particularum ordinem interturbat. In febribus autem hanc obstructionem inflammatoriam semper subesse, fidem nobis cōciliat erysipelas. Nonne enim erysipelas invadit instar pestis, & eadem in scenam producit symptomata, quae passim in febribus malignis observantur? Percipitur enim caloris & frigoris, seu potius horroris alternatio, adest lassitudo, corpus calore acri exuritur, viget sitis, tandem accedit absessus, gangraena, & sphacelus: haec omnia in quibusvis febribus plus minus malignis obvia sunt. Hinc neq; quoad curam nisi ratione malignitatis differunt, sed eadem medicamenta, quae in erysipelate, etiam in febribus, opem ferunt. Adeoque erysipelas a febribus malignis in eo tantum differt, quod in illa inflammatio sit externa, in his autem profundius lateat, & a parte quadam interna abscondatur. Stante hac nostra hypothesi, non difficile nobis erit rationem reddere, quare febres exacerbationes patiantur. Quia pus in aestuante illa minera collectum, sive particulae illae inflammatae, quum admodum a poris sanguinis abludant, non possunt non eo tempore, quo abripiuntur, & cum sanguine in corde commiscentur, ejus mistionem magis turbare, febremque exasperare. Ex dictis quoque fluit, quare haec febris lenta magis sit, vel acuta.

XXI. Adeste nunc vos Clinici, qui nil nisi purgantia apud aegros vestros crepatis. Conferte haec, quae de sanguinis laesa mistione diximus, cum vestris purgantibus; deprehendetis, quam iniquissime, ac injustissime vestros patientes torqueatis, saepius juguletis. Ostendite mihi, quaeso, hanc laese mistionis sanguinis restituendi dotem in purgantibus? Enim vero quid in hisce morbis aliud tentandum, quam ut obstructio illa inflammatoria reseretur, & peregrinus aether e sanguine expellatur, ut ita mistio ejus laesa restituatur? Ast vestrum pharmacum inflammationes accersit, peregrinum aetherem sanguini infert, ejus mistionem magis turbat: imo omne purgans, dum operatur, actum febrilem excitat. Nihil hic in his morbis a circumpheria ad centrum movendum est, purgantia autem toto die contrarium moliuntur. Vos itaque sulphur, & picem affunditis camino, & oleo ignem extinguere satagitis. Vos febres duplicatis, earumque paroxysmos asperatis. Haec adeo sua radiant luce, ut ulteriori demonstratione indigere non videantur. Hinc potius vereor, ne, si plura addere vellem, rem obscurarem, quum sciam, neminem mihi hic tam facile adver-

sari, nisi qui solo contradicendi studio delectetur.

XXII. Conferimus nunc ad alterum morborum fontem, cum pari jure examinaturi. De illis autem omnibus morbis notamus, quod oriantur ex viscididitate & crassitie sanguinis, & inde nata obstructione, & quod primos natales suos hauriant ex primis viis. Enim vero quum ex vitiosa chylificatione, cibi non in laudabilem chylum, sed in pastam crudam, viscidam, acidam, austerum fatiscant, etiam ipse sanguis cui commiscetur hic chylus crudus, simili labe inquinatur, qui quum amplius circulum suum absolvere nesciat, varias in tubulos partium solidarum, ipsaque vasa capillaria quisquilias eructat, innumerasque parit obstructiones, totidemque proinde morbos saltem ratione partis obstructae diversa nomina obtinentes.

XXIII. Neque existimo, illam in obstructionem vix aliunde, nisi ex primis viis proficisci posse. Certum quidem est, aërem frigidum partes externas, puta oculos, nares, fauces, &c. subito infestare, quomodo autem internas obstruere debeat, in aprico non est. Et quis inficiabitur, nidum horum morborum in primis viis conditum esse? nonne hoc luce meridiana clarius patet ex absorbentibus, & martialibus, quae in his morbis omne ferunt punctum, neque tamen primarum viarum limites transcendunt, sed quicquid virium possident, in iis omne deponunt? Quis enim credet, haec absorbentia, terrestri sua substantia ad hepar obstructum deferri, ejusque obstructiones reserare? Ego potius magis obstruere, dicere ausim. Nonne enim videmus, si ea prodiga manu dispensemus, non tantum obstructiones augeri, sed & nova mala in scenam produci: imo nulli fere absorbenti, ni gravioris intempestatis ansam praebere velis, in corpore inducias concedendas esse, sed ut brevi manu educatur, necesse esse. Efficacia itaque horum medicamentorum tantummodo primis viis terminatur, & nihilominus illa flagrantissime vi sua irradiativa toti machinae ex voto opitulantur. Quia absorbent insensissimum acidum, hinc chylum dulcem, fluidumque reddunt, qui sanguini advectus ipsum meliorem procreat, ac pristino restituit vigori, qui quum majori vi elastica incedat, claustra dissolvit, infaustaque repagula perrumpit. Ex dictis quoque haud obscure colligi poterit, qualis curandi methodus in his morbis instituenda, & de quibus remediis nobis prospicere maximopere debemus. Videlicet postulat ratio, ut talia adhibeamus remedia, quae caussam respiciant. Ita enim non destituet spem felix exitus, sed sicuti diffissa radice, tota arbor, quae se longe lateque extenderat, marcescet. Quid autem in hisce morbis praecipue agendum, brevi penicillo jam adumbrabimus.

XXIV. Quum omnes istos morbos ab obstructione deduxerimus, haec igitur ipsa quoque caussam immediatam constituet: proinde primaria indicatio in eo posita esset, ut illa reseretur, quo facto, curatus esset morbus. Verum quia aliae statim mali moris particulae a tergo ex laesa chylificatione sequerentur, laterem lavaremus, nisi & illi prospiceremus, & frontem hunc coagula suppeditantem obstrueremus; ita enim colluso fundamento totum aedificium, quod illi superstructum erat, sponte corruet. Itaque duas indicationes primarias ponimus, nimirum ut obstructio illa tanquam causa immediata reseretur, & acidum austerum chylificationem inquinans emendetur. Neque vero edicere erubesco totum fundamentum hoc in passu positum esse in primarum culinarum prospectione, ita ut qui eas susque deque habet, pessime curet. Fluit enim inde quasi pleno alveo: qualis chylus, talis sanguis, & qualis sanguis, talis viscerum dispositio & sanitas. Sed revocemus jam purgantia, plurimorum asyla, qui caussam morbificam ignorantes: purgans quoddam praescribunt, quo inscitiam suam tegunt, absconduntque, usque dum caussam morbi melius addidicerint, & quaeramus, an thesaurus hic aperiendi, & chylificationem promovendi in iis sit repertibilis? Ast quocumque te vertas, & purgantia

gantia examines, semper contrarium deprehendes. Primo enim in tota purgantium familia nullum est, quod acidum expurgare valeat, sed ab acidis inermia fiunt, & virium suarum irreparabilem jacturam faciunt, de quo superius diximus. Suffragantur enim nobis unanimiter melancholici, & in quorum ventriculo apertum acidum, vel austerum stabulatur, etiam improbos purgantis impetus eludentes. Imo in ipsa hypercatharsi recurrimus ad acida, eamque acidis compescimus. Neque itaque rationi tantummodo consentaneum est, purgantia potius fermentum ventriculi destruere, quam erigere, quatenus acidum purgans decollans ipsum stupidum fit, quod postmodum chylificationi peragendae minime idoneum existit, hinc quoque neque ipsa alvus muneri suo, uti par est, obeundo obediens est. Sed & ipsa loquitur experientia, purgantis clientem, omnem penitus perdere appetitum, imo omnia assumta putrescere & corrumpi. Purgantia ergo nihil promovent, sed saltem commovent, unde fit, ut acido ad intestinorum latera & parietes magis impulso, dira tormina, cruciatus immanes, anxietates, cholera, hypercatharsis, imo convulsiones ipsae excitentur, vel si aegrum ipsum non interimunt, ventriculo tamen & intestinis indebilem saepius & funestam inurant maculam. Secundo belluae haec ferociam suam non tam in primis viis exerit, sed potissimum tyrannidem suam exercet in ipso sanguine, & si forte in penu ejus partes quaedam activae adhuc superfuerunt, quae appetitum suscitare potuissent, has penitus deturbant & dejiciunt: imo quum humidum absumant, quo salia, diluebantur, ac nonnihil demulcebantur, ipsa haec potius salia, quum ita vehiculo suo defraudentur, acriora, magisque corrosiva reddit. Verum quid inconcinnius est, & inconsideratius, quid insultum magis & rancidum est, quam exhibere pharmacum, quod sanguinem expurgat, ejusque compagem destruit, quum tamen radix non ibi, sed in primis viis tumulata jaceat? Hinc itaque purgantia caussam morbi minime attingunt, sed crabrones tantummodo irritant. Et haec quoque est ratio, quare licet mille quartanariis, hypochondriacis, hydropicis, scabiosis, &c. propines purgantia, morbus non tantum sub antiqua contumacia perseveret, sed & deterior inde evadat. Quae ut clarius appareant, exemplo nobis esto ictericus quidam. Enim vero is juxta mentem tuam, quia bilis exorbitat, totus quantus est, purgandus est. Quid hic futurum judicas? obedietne bilis admonenti pharmaco; & ea extracta, exstirpatusne erit morbus? levabiturne ex legitima tua purgatione, qui insigniter levari inde deberet? minime! sed perseverante symptomatum saevitia, atrocius jam quassabitur aeger. Qui enim obambulabat, & sat alacer erat jam plane lecto affigitur. Appetitus qui antea vigebat, jam penitus est prostratus, vires enervatae, sitis clamosa urget, tremores, & anxitates totum occupant corpus. Verum si analepticis i. e. acidum corrigentibus, & massae sanguineae visciditatem incidentibus curandi tuam methodum auspicatus fuisses, profecto aegrum non in deterius conjecisses, sed argumentum de felici obtenta victoria triumphandi dedisses. Nam fallissimum est, bilem icteri caussam esse, si enim bilis, qua bilis sanguini icterici inesset, certe sanguis & urina prae se ferrent saporem amarum, quod tamen non est: imo si bile inundaret icterici sanguis, tunc salia quoque volatilia, utpote ex quibus maximam partem bilis constat; in sanguine abundarent, quum tamen contrarium, eorum nempe defectus reperiatur, & volatilibus succurrendum sit.

XXV. Sed necdum mihi, priusquam difficultates hic occurrentes discussero, de purgantium explosione triumphare dabitur. Non enim una, sed multae videntur nostrae obstare assertioni. Prima, quae non levis momenti videtur, experientia est. Nonne haec luculentissime docet myriades hydropicorum, solis obstetricantibus purgantibus ex aquis, quibus exundabant, emersisse? Imo Empyricos nullis aliis adhibitis remediis, solis catharcticis, hydropis tumorem abigire? Verum

rum temperare mihi non possum, quin hic cum Celso exclamem: quos non sanavit ratio, saepe sanavit temeritas. Omnes illi, qui purgante curati sunt, desperate auxilium acceperunt, quia nullum hic indicatur purgans. Enim vero aquae non constituunt caussam hydropis, sed sunt productum aliquod morbosum, sive effectus obstructionis; dum enim lympha crassa & viscida in vasis stagnat, & a tergo semper agglomeratur, necessario vasa distenduntur, ac tandem rumpuntur, ut ita fiat aquae effluxus in abdominis cavitatem. Purgantia autem exhibentur, ut serum effluxum e corpore educant, sicque non respiciunt caussam, sed symptomati tantummodo temerarie medentur. Quum certum sit, quod tale evacuans semper periculi plenissimum sit, & quod non semper expectationi satisfaciat, ita ut, dum quantitatem imminuere debeat, eam augeat, & saepius necem, quam remedium afferat. Equidem in anasarca quandoque audaces fortuna juvat, fitque, ut exhibito catharctico hic morbus curetur, unde Empyrici habent, de quo se jactare possunt, & si forte ipsis evenerit per sua elateria tumorem abigere, satis est, de quo se & artem suam semper vendident, quum tamen eodem pharmaco tot coemiteria ascitidibus saturarint. Sed quicquid tandem horum sit, quemadmodum non creditur, podagram, si pes, in quo dolores saeviebant, abscissus sit, esse curatam: ita nec is, cui aquae ablatae sunt, etsi malum inducias faciat, per tempusque sileat, quum productum tantummodo sit ablatum, quia remanet fomes, obstructio & vasorum dilaceratio, censetur sanatus.

XXVI. Instant: nonne quantitas indicat sui evacuationem, adeoque aquae in hydrope recte evacuantur? Verum regero ipsis: quamdiu lympha haec in vasis continetur, tamdiu nunquam indicare sui evacuationem, sed correctionem. Correcti autem humores, nunquam evacuandi sunt. Hinc certum est, quo lenius & mitius hydropicos, cachecticos, omnesve illos morbos tractes, & a purgantibus abstineas, eo diutius vitam eorum conservari posse. Loquitur enim proh dolor! quotidiana experientia, tales aegros sana Medicorum consilia deserentes, seque Empyricorum imposturis committentes, brevi fatum sibi accelerare, & delirae mentis praecipitantiam certa morte luere. Quum vero humores extravasati sint, & vel in cavitate quadam fluctuent, nego, evacuationem per purgans indicare, praeter quam enim quod valde infidum sit, nullum datur, quod citra lanienam sanguinis, ejusque destructionem hunc locum petat, humoresque in eo contentos extrahat.

XXVII. His superatis adhuc graviores, & majoris momenti succedunt difficultates. Nimirum nobis objicere volunt, in superioribus dictum esse, morbos oriri ex crassitie sanguinis, & inde nata obstructione. Jam autem purgantia sanguinem liquare, sicque illum attenuare, & obstructiones reserare, adeoque non tantum contra hos morbos flagella suppeditare, sed & maxime a morbis praeservare, ne forte obstructio quaedam fiat. Verum enim vero ut hisce difficultatibus fiat satis, dicimus, (1.) si eum in finem exhibeantur, ut sangninem attenuent, non ad purgantium, sed ad aperientium classem esse referenda. Verum (2.) omnia purgantia naturae, & sanguini nostro sunt inimica & venena. Hinc tantum abest, ut sanguinem diluant, ut potius viscera magis infarciant, & obstructiones reddant deteriores. Praecipitant enim sanguinem & serum subducunt, sicque sanguinem crassum & viscidum reddunt. Hujus locuples nobis suppeditat argumentum sitis, quae semper purgationem subsequitur. Quid autem est sitis? nonne denotat vel obstructionem glandularum salivalium, vel defectum seri? (3.) Ut plurimum latet caussa morbi, sive obstructio in tubulo quodam abstruso, intimisque viscerum penetralibus, quo purgantia pertingere nequeunt. (4.) Purgantia sanguinem tumultuose movent, verum quum ob infinitas obstructiones ubique progredi non liceat, vasa rumpuntur, & ita ex morbo medicabili, imme-

dicabilis sit, id quod in anasarca saepius usuvenit.

XXVIII. Pessime ergo illi sanitati suae consulunt, qui praeservandi ergo purgans quoddam hauriunt. Praeterquam enim quod senium sibi maturent, etiam ipsam vitam abbreviant, tantum abest, ut morbos abarceant, ut potius ipsis fores pandant. Ne vero gratis haec a nobis dicta videantur, rationes depromimus. Enim vero purgantibus catastrophen in sangine ludentibus, multae partes spirituosae & activae dissipantur, quae ingruenti hosti se opponere potuissent. Pari ratione ac aqua, quae ebulliit, citius congelascit, quam illa, quae ebullitionem subterfugit; particulae enim subtiliores, quae potissimum frigori resistebant, tenues petiere auras. (2.) Si fermentum aliquod in tubulo quodam delituerit, illud, dum sanguis a purgante valde commovetur, excutitur, & ita in actum deducitur. (3.) Si sanguis cacochimicus est, illum vel magis foedant, vel quisquilias quasdam in tubulo quodam intrudunt, immortalemque progignunt obstructionem. Vel (4.) ipsum purgans varias partes combinat & conjungit, & in tubulum quendam exspuit. Tandem (5.) quod omnium malorum pessimum, omnia purgantia robur sanguinis inflectunt, & imminuunt, eaque ratione aetati ferendae imparem reddunt; exoticum quippe convehendo sanguini aetherem poros relaxant, instabilesque formant, ut sanguis iste facilius quamlibet peregrinam materiam suscipiat, quam antea, quum injuriam aetheris purgantis nondum perpessa esset. Sane docet nos id quotidiana experientia, ut pars semel erysipelata correpta facilius eadem incedat via, & recidivam subeat. Et quid multis opus! actiones corporis laedere, spiritus profligare, aut eorundem motus pervertere, liquorum mistiones solvere, corruptiones inducere, viscerum fermenta & functiones destruere, nonne hoc est vitale punctum adoriri?

XXIX. Sed nondum omnes superatae sunt syrtes. Ubi enim, objiciunt, humorum corruptorum cloaca, nonne ibi humores evacuandi sunt? Quid enim ex. gr. fieret in dysenteria, ubi singulis fere momentis pessimi foetoris rejiciuntur excrementa, haec si non evacuarentur, quae mala non suborirentur? Quid! quod tumor in dysenteria, aliaque symptomata ex retentis istis corruptelis orta, assumto purgante, remittant omnia. Neutiquam itaque purgantia, nisi ipsis injuriam facere velimus, rejicienda videntur. Ast o Medicastri! quam graviter hic impingitis in regulam a Galeno diu sancitam, nimirum per partem affectam nullam fieri debere evacuationem. Perperam ergo a vobis adhibentur purgantia, sed potius diaphoreticis quicquid humoris vitiosi est, discutiendum erat. Quod autem humores coërciti tumorem excitent, hoc perversae vestrae, & ineptae curandi methodo adscribimus, dum statim adstringentia usurpatis, quae caussam minime attingunt, sed humores concentrando vel malum exasperant, vel gravius accersunt. Enim vero quod incommodum adstringentia, & styptica foris in inflammatione causant, hoc interne in dysenteria excitant. Dysenterici non aliter ac graviter vulnerati tractandi sunt; quippe in illa tot vulnera ulceraque intestina infamia fecerunt. Sicuti autem in illis sudorifera labiorum coalescentiam juvant, ita purgantia eam impediunt. Imo ulcera cacoëthea purgantibus nunquam, diaphoreticis autem quam facile curari possunt. Et tandem certum est, quo minus licet in hypercatharsi purgans dare, eo minus in dysenteria. Humores turbati non magis turbandi sunt. Quin etiam ea quae excerni solent in dysenteria, non sunt caussa, sed productum: hinc admodum foetent, cruda sunt, non digesta, adeoque corrigenda, & ad pristinum statum reducenda.

XXX. Recordamur hic, quod supra diximus: absorbentia ita morbis his curandis omnem absolvere paginam, neque tamen in corpore relinquenda esse. Si itaque illud, quod absorbentia imbiberunt, est expurgandum, sequitur nos injuriari purgantia. Verum putamus, nos ita vim naturae inferre, si illud, quod in

pri-

primis viis haeret, per purgans evacuare satagimus. Jubeto potius superbibere jusculum aliquod, id citra sanguinis, & corporis lanienam ex voto pulverem tuum saturatum evehet. Quae denique objiciunt, scilicet post febres curatas, metu recidivae, purgandum esse, aliaque ejus modi plura, quae brevitatis ergo praeterimus, ex dictis facile solvi possunt. Valeant itaque Medicastri, & abeant quo digni sunt cum suis purgantibus, quibus tantum abest, ut aegri salutem promoveant, ut eam immani ausu turpiter evertant, & perditum eant.

XXXI. Sed antequam dissertationi nostrae colophonem addamus, unicum adhuc praejudicium, de quo jam supra quaedam habuimus, discutiendum venit. Quo discusso, purgantia non nisi fraudulenter agere, plurimos consentientes habebo. Etenim fere omnes persuasum habent illud quod purgans evacuat in corpore sub tali facie praeextitisse, adeoque sordes istas plerunque muci tenacis, & viscidi speciem referentes, aliquando mire aspiciunt, subrident, & mirum in modum sibi placent, quod purgans tam fideliter pensum suum absolverit, & has sordes putridas foetidasque tam laudabiliter e corpore ejecerit. Quid enim, cogitant, sordes illae in corpore detentae caussare potuissent mali? Verum ego scire vellem, ubi liquamen illud horrendum, & deterrime foetens in corpore sine noxa delituerit, siquidem si singulis diebus hauriretur purgans, singulis quoque vicibus subsequeretur talium corruptelarum acervus & materia. Idque non tantum in aegris, sed maxime sanis. Necesse ergo est, utiles humores excerni, & imposturam subesse, aut corpus tuum infinitis, & aeternis scatere sordibus, quod ridiculum esset. Hinc itaque dicimus, cuncta purgantia tabidum, & colliquefactivum in se continere virus, quod multos, qui libentius adhuc coetui mortalium interesse percupiebant, ad elysios campos promovit. Hoc mortiferum, & lethale virus juxta indolem suam succum nutricium, & sanguinem fermentat, & resolvit, eoque ipso putrefacit, adeoque illud liquamen putrilago, & cadaver est, quod toxicum de sano corpore proritavit, & cadaverisavit. Etenim contemplare te ipsum, qui modo ante purgationem sat recte valebas, nunc autem vires prostratae sunt, si non plane exhaustae, languet appetitus, corpus ad maciem redactum, & solitae carnis molis dispendium passum est, vox faucibus haeret, sitis premit, tremunt labia, oculi collapsi sunt, vultus prostratus, manus contremiscunt, vacillant genua, & vix corpus sustinere gressusve formare valent, uno verbo, torvus aspectu es.

XXXII. Profecto, si purgantia cum venenis conferamus, in omnibus cum ipsis convenient. Acrimonia enim sua corrosiva eosdem, quos venena edunt effectus, massam sanguineam corrumpunt, pessundant, inflammationes excitant, fauces exulcerant, parietibus intestinorum adhaerescunt, tormina, spasmos, convulsiones, hypercatharses producunt, tandemque aegrum jugulant. Nonnunquam gangraenam, lepram vel inundationes accersunt. Quae si exemplis comprobare vellem, prolixum eorum catalogum hic adducere possem. Adeo ut purgantia cum venenis de foro medico merito proscribenda, & releganda sint.

XXXIII. Unius fere hic oblitus essem; posset alicui videri, nos nimis purgantia defamasse, eo quod non semper, & in quovis subjecto haec funesta ludant dramata. Quibus ego refundo: ejus rei varias esse caussas. Primo ipsum ventriculi fermentum, quod purgans saepe detruncat, obstat. Deinde mos irrepsit, ut non nisi correcta exhibere soleant purgantia, ne scilicet venenum subesse aeger intelligat: verum omnes correctiones sunt castriones, illae enim partes, quae a correctore non tanguntur, noxas suas non exuunt: nam fac, quaeso, periculum, gemina purgantis dosin, & protinus lethiferum virus experieris. Quid! quod ipsa purgantia justa dosi praescripta pristini moris interdum non obliviscuntur, sed ursi domestici instar, si nimis ipsi fidimus, ex improviso homines devorant.

Ita

Ita ut nunquam ullus Medicus vadem, quod exhibitum purgans praetensum scopum feriat, se dare possit. Referebat enim mihi aliquando nobiliss. amplifs. ac excell. Dn. waldschmidt Medicinae Doctor ejusdemque in hac Academ. Profess. Primarius, & Physices Ordinarius longe celeberrimus, Serenissimi Principis Hasso. Casselani Medicus Cubicularis Famigeratissimus Fautor, Promotor ac Praeceptor ad cineres usque colendus, Medicum quendam aliquod scrupulos cremoris tartari febricitanti cuidam exhibuisse, hunc autem pulverem aegrum ita infamem fecisse, ut intra triduum supremum vitae spiritum effundere coactus fuerit. Adeo ut purgans exhibitum aliud nihil sit, quam alea de vita hominis jacta. Plura non addo. Faxit Deus T. O. M. ut ea quae diximus in nominis sui gloriam, miserorum salutem, ac artis Medicae decus vergant & cedant, cujus sanctissimae voluntati, infinitae sapientiae, & providentiae ac inexhaustae misericordiae nos nostraque studia submissa & haud fucata mente devovemus.



D. JO-

D. JOHANN. JACOBI WALDSCHMIDT, EPISTOLA I.

Ad
Celeberrimum atque Experientissimum
VIRUM
Dn. JOHANNEM DOLAEUM,
Varii argumenti.

NOBILISSIME atque EXPERIENTISSIME
DOMINE DOCTOR,
Fautor honoratissime.



E illis, quae refers, Vir Clarissime, nihil prorsus inaudivi. Neque tamen diffiteri possum, me legisse quae de dubitatione pro & contra scripta venum exponuntur, utinam omnia aequo referrentur animo. Sunt quae in scriptis recentiorum mihi placent; sunt quae displicent, de quibus forte alias. Ego pro injuria habeo, si quis me Cartesianum vocat, tum quod illud plerumque in odium facere soleant: tum quod in verba Cartesii non juraverim, qui nulla ducor auctoritate, sic enim aut coecus forem aut meticulosus. Veritas est quam quaerimus, & quae in apricum producta propria luce, non aliena radiat. Cum reliquis istis quaestiunculis metaphysicis nihil mihi quidem est negocii. Nos vivimus sub MAGNI PRINCIPIS umbone in hac Academia tuti & tranquilli, quibus pro lege est *honeste vivere*; *alterum non laedere*; *suum cuique tribuere*. Omnibus suprema lex est *Salus Publica*; hanc si promoverit vel *Aristotelicus*, vel *Cartesianus*, vel *Gassendista &c.* perinde erit: quum uterque suos quandoque patiatur manes. Ego, quod citra tamen jactantiam dixerim, in omnibus meis lectionibus ampla Studiosorum corona stipatus sum, quas tamen ita tempero, ut libera penes Auditores judicandi maneat facultas. Audio in Academia vicina Musas sibi gratulari, quod Professorem *Dn. D. Valentini*, communem nostrum amicum, & virum doctum, nunc sint nactae, sic quo magis premitur Recentiorum Philosophia, eo altius assurgit. Et quid quaeso ineptius aut sterilius Physica Scholastica? De caetero, vidi illa & legi, Vir celeberrime, quae de meo sermone in promotione 4. Medicinae Candidatorum hoc anno habito te audivisse scribis, ne autem aliud quid forte subesse putes, non me pudebit, ea, quae tunc memoriter recitavi, publici juris facere, hoc unicum saltem monens, ne extemporanea illa, quae tunc dixi, pro praemeditata quadam oratione, rhetorum flosculis conspersa, habere velis. Scias quippe, in eodem illo actu, & Theologiae, & Juris Candidatos fuisse promotos, post quos quum ego cathedram conscenderem, vel ex oculis auditorum legere potui

tui, animam esse in patina. Hinc nolui auribus non amplius vacuis majorem exhibere molestiam, sed mutato consilio, rem ipsam statim aggressus sum his exorsus verbis.

SAlus, honor, & argentum, atque bonum appetitum. Facit indignatio ex justo dolore suborta, ut ludicris his, & fere barbaris verbis solennem hunc exordiar actum. Quippe male me habet, quod videam, gradum doctoralem, summum istud virtutum praemium hodie contemtui haberi, & usque adeo viluisse, ut scenici histriones, & Sycophantae non vereantur eum in theatris publicis convitiis proscindere. Si, MAGNIFICE DOMINE RECTOR, VIRI MAGNIFICI, PLURIMUM REVERENDI, AMPLISSIMI, PRAENOBILES, EXPERIENTISSIMI, NOBILISSIMI, CLARISSIMI, & quotquot adestis hospites honoratissimi, tuque lectissima, & generosa Studiosorum corona, si caussa doctoralis majestatis mihi hodie agere liceret, forte dies citius deficeret, quam materia, quum quocuncunque me convertam, tanta dicendi seges supersit, ut vix explicare possim, quid primum, quid posterius, quid denique differendum foret. Verum quum temporis habenda sit ratio, sequar hodie disciplinam, & auctoritatem AREOPAGITARUM, apud quos olim lege sancitum erat, ne quid fas esset dicere, quod ad rem, & propositum non attineret. Hinc statim ea dicam, quae ad rem attinent, nempe sisti hic vobis quatuor Medicinae Licentiatos, Viros, quod bona conscientia contestari possum, doctissimos in arte Medica satis, expertos peregrinationibus, & rerum usu conspicuos, qui quum in Castris Musarum totius fere Europae militaverint, tandem apertis hodie Palladis portis, non ad Persarum Gazas, aut atria divitis Crassi, sed quod utroque potentius est, neque purpura venale nec auro, ad Majestatem Doctoralem, sive ad summos illos honores, qui in Academiis in virtutum, laborum & industriae praemium dispensari solent adspirant. Itaque quum solennis mos, & consuetudo ferat, ut de ipsorum Candidatorum natalibus, vitae genere, & studiorum progressu quaedam praemittantur, obnixe rogo, ut ea, quae brevissime dicturus sum, benevolis excipiatis auribus.

Personalia legebantur.

AUdivistis Auditores, quos & quales viros saluberrimae Medicinae Candidatos doctorandos hodie vobis in solenni hac sistam cathedra; ne tamen quid omisisse videar, quod ad laudem, decus & splendorem meorum Candidatorum vergere possit, age tu permagnae spei Puer, & meo Candidato hic praesenti publice propone quaestionem, quo occasionem habeat, suam in dicendo & suavitatem & gravitatem palam ostendendi.

Thematis resolutio.

IGnoscas mihi Domine Candidate, quod te interpellem, anima enim jam est in patina, itaque bene facis, quod pedem figas, atque remoram injicias diffusissimis tuis meditationibus: ex ungue leonem cognoscimus, & vino vendibili non opus est suspensa hedera. Ego ad rem ipsam me nunc accingo, atque vos, mei Candidati, moneo, ut ad Viri Magnifici, hodie munere Pro-Cancellarii fungentis, genua supplices incumbentes CAESAREAE MAJESTATIS, & SERENISSIMI NOSTRI PRINCIPIS, PRINCIPIS ac DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI, Concessionem publice & devote imploretis.

Hi sunt VIR MAGNIFICE, PATRONE MAXUME, qui ad pedes tuos devoluti, per me ea qua par est observantia rogant, velis in praemium tot exantlatorum

torum laborum ex CAESAREA & PRINCIPALI AUCTORITATE, qua instructus es, potestatem largiri, mihique hodie facultatem concedere, quatuor hos Medicinae Licentiatos in Doctores more solenni, & antiquo promovendi. Praestabis Vir magnifice, quod facultas Medica, quod ego, quod mei Candidati obsequio, cultu omnisque generis officiis demereri studebunt.

SAlva res est, mei Candidati, laetamini & vobismet de felicitate vestra congratulamini, atque benevolis his manibus laudum thura accendite. Nunc ordinis jubet ratio, ut juxta statuta Academica publica ad sancta haec juretis sceptra. Itaque tu Minister Academiae publice, Virum te praesta, & consuetam jurandi formulam his meis Candidatis alta & distincta voce praelege, eosque sceptra tangere jube.

Tu alter Vulcanum age, accede ad focum, fac ut splendeant omnia, jube pueros cum accensis facibus cereis intrare, quod si forte ad ignem hunc incalueris, habebis hodie, quo sitim restinguere possis.

Quod itaque DEO O. M. gloriosum: universae Reipublicae Christianae felix faustumque, Academiae nostrae decorum, aegrotantibus salutare, & meis Candidatis utile pariter ac honorificum sit, Ego Johann. Jacob. Waldschmidt, Med. Doct. Serenissimae Hassiae Principis personae Medicus, Professor Medicinae in hac alma primarius, & Physices ordinarius, Promotor rite designatus, ex Caesarea & Principali potestate a Magnifico Dn. Pro-Cancellario mihi publice concessa, Vos Nobiles, Excellentes & Doctissimos Dominos Medicinae Licentiatos, & te imprimis.

JOHANNEM RUDOLPHUM NEUHUSIUM, Practicum Erlacensem; absentem tanquam praesentem,

Te VVILHELMUM OTTONEM EGGERS, Practicum Widenbruccensem, absentem tanquam praesentem,

Te MARTINUM Harmes Bremensem, nunc Lutetiae Gallorum viventem, absentem tanqua praesentem,

Te CAROLUM PHILIPPUM LOMBARDIUM, Marburgensem,

Saluberrimae Medicinae Doctores creo, facio, promoveo, creatos, factos, promotosque in amplissimo hoc consessu publice renuncio, declaro, proclamo, ipsisque omnes immunitates & privilegia, quibus Medinae Doctores per totum terrarum Orbem gaudent, utuntur, fruuntur, concedo & tribuo, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Huic individuae Trinitati sit laus honor & gloria in sempiternum. Amen!

SUrgite nunc Clarissimi Neo-Doctores, & superiorem hanc conscendite cathedam, congrua vobis capessite insignia, atque ritus veteribus consuetos sale conditos, laetis oculis usurpate, & in perpetuam rei memoriam benevolis excipite auribus.

Salvete Clarissimi *NEO-DOCTORES*, hoc enim nomine ego primus vos saluto. Salvete novi Sanitatis Consulti, chara animae meae pignora. *Salve Dn. Doctor* NEUHUSI, *Salve Dn. Doctor* EGGERS, *Salve Dn. Doctor* HARMES, *Salve Dn. Doctor* LOMBARDI. Vocavi vos ad eminentiorem hunc locum, solis Professoribus alias dicatum, ut sciatis, vos, qui hactenus ad pedes Praeceptorum sedistis, nunc Professorum lateribus jungi, & sublimi hoc stare loco, atque dignos censeri, & aegrotantibus ad lectum mederi, & mysteria Machaonicae artis viva explicare voce. Alchymistae sudant, & algent pro lapide Philosophico, & bona sua dilapidant omnia pro lapide. Ego hodie magnum vobis ex hac cathedra revelabo arcanum, & ostendam, universalem hanc Medicinam facillime obtineri posse, si ignem saltem philosophicum possideatis. Verum hic nullo alio (arrigite quaeso aures) ligno accendi ac sustentari potest, quam fragmen-

tis & ruderibus cathedrae, e qua nunquam mendacium fuerit dictum: sed reperire illud, hoc opus hic labor est.

Cingo vos gladio: non ut persuasum habeatis, dimicandam vobis fore cum hoste, cujus jugulum petere possitis gladio. Dimicandum vobis est apud aegrotantes quos deplumare potestis, non jugulare: nam plumae recrescunt, non vita. Neque, facienda sunt per mortes experimenta. Oppugnare potestis morbos, non mortem, quae cum Behemot hoc commune habet ex Jobo: quum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, neque hasta thorax. Reputabit enim quasi paleas neque ferrum, & quasi lignum putridum aes. Ferro tamen opus habebitis, quod enim non sanat medicamentum, hoc sanat ferrum, quod non sanat ferrum, hoc sanat ignis.

Gladio vos cinxi: quia quandoque vita hominis posita est in cuspide ferri; nempe, ubi de venae-sectione anxie deliberatur, & ubi in casu praecipiti quo te vertas, aut unde pedem referas, vix cognoscis, & quod in hujusmodi casu accidit, ubi periti ignaris parent, & satius aestimatur, anceps experiri remedium, quam nullum. *Gladio cincti estis*: sed non evaginato, ne crudeles sitis in aegros, beati mansueti, & misericordes. Juris-Consulti habent pro Emblemate hominem velatis oculis, in dextra ensem evaginatum, in sinistra bilancem tenentem. Forte ne videant, quid imponatur a clientibus: deinde ut ob metum gladii primitiae largiter persolvantur. Medici sorte sua debent esse contenti, non enim qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Medicus avarus est Medicus monstrosus. Mentibus vestris obversetur illud Servatoris: beati pauperes.

Librum hunc videtis apertum. A Jove Principium; deinde consulite Praeceptores mortuos. Plus vident oculi, quam oculus. Latissimum hic videtis campum, duabus viis distinctum. Dextram calcant Medici rationales & dogmatici, nihil admittentes, quod non clare & distincte perceperint. In altera via monstra videbitis horrenda, impostores, agyrtas, idiotas, sacerdotes, Judaeos versipelles, crumenimulgos, sectores zonarios, temerarios carnifices, vetulas, carbonarios, Spazzo-Camino, caculas, lixas, calones, asinos, vultures rapaces, vulpes, lepores. Hi omnes fraudulento utuntur emergendi studio, atque mille artibus excoecant etiam prudentes, ut videntes non videant, audientes non audiant. O quis non exclamabit cum Marcello?

O miserae leges, quae talia crimina fertis,
O Caeci Reges, rem qui non cernitis istam;
Vos quibus imperium est, qui mundi fraena tenetis,
Ne tantum tolerate nefas, hanc tollite pestem.

Videmini mihi admirari, quod dixerim, dari etiam asinos in pascuis Medicorum. Ita revera est, & hi quandoque placent, & honorantur a populo, qui stultus honores saepe dat indignis, imo aegrotis commendantur. Conveniebant olim animantia bruta, ut novum Regem eligerent, communi omnium suffragio sceptra deferebantur Leoni, sola vulpes erat quae contradicebat, & asinum Regem volebat, eumque miris mactabat laudibus. Lepus adstans, eloquentiae satis, dicebat, sapientiae parum: & miror, pergebat, quod auritum hoc animal tanto extollas encomio, cujus stupor, pigrities, sordities aliaque vitia omnibus nota sunt. Vulpes subridens respondebat: Inepte! Asinus non meretur, sed opus habet. Vos clarissimi Neo-Doctores, si videatis asinum commendari, cogitate, Dominus Doctor asinus opus habet: dignus & indignus simpliciter ablativos adsciscunt. Aequa paofecto erat judicis illius sententia, qui alii, mulum Medicum de impostura, & ignorantia accusanti, dicebat: si tu non fuisses asinus, nunquam consuluisses asinum.

Nunc *claudo librum*. Ne praejudicium vos fascinet, aut veterum terreat auctoritas. Aegri curantur quidem in libris, sed moriuntur in lectis. Datur aliquid in Medicina, quod nec dici nec scribi potest. Applicatio est ad individuum, quae a crisi dependet haec nisi pro fundamento habuerit physicam Recentiorum, experimenta anatomica juxta ac chymica, ignis erit fatuus, minus cautos in obvias projiciens errorum syrtes, e praecipitio actos, ut nusquam detur amplius eluctandi occasio. Et in tanti freti jactationibus Cymba intellectus praejudiciis obvelati facile undis submergitur. Neque enim lyra & vetus cantilena satisfacit: clysterium donare, postea segnare. En suita purgare. *Clausum vobis ostendo librum*, quia lectio multorum Auctorum & varii generis voluminum habet aliquid vagum & instabile. Certis ingeniis immorari, & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubique est.

Pileos capitibus vestris impono, ne forte putent, vos esse acephalos. Pileos fertis, non cornua; indecorum est Medico ferre cornua: turpius facere cornua. *Pileos gestatis* in capitibus vestris, quia Domini nunc estis. Sed cum Dominis hoc habebitis commune, bene regnare, & male audire. Tecti estis pileis, quia honore digni estis. Honora Medicum propter necessitatem. Dicunt rempublicam caruisse aliquando Medicis. Sit ita: nonne India hodie, & retro multos ante annos floruit sine Jurisperitis, & Corpus Juris rarior avis est in India auro gemmaque divite, & omnium rerum abundantia felici, quam Phoenix in Arabia. Vos itaque estis Domini, sed titulo tenus: re ipsa enim servi estis, nam inserviendum est tempori; inserviendum est aegrotis; & aliis inserviendo consumimur.

Post pileos, porrigo vobis *Anulum*: accipite anulum hunc aureum, non rugosam anum, nam post factum poenitet actum. Apud Romanos Legatis dabantur anuli. Vos ablegati estis ad aegrotos, visuri an pacem, an inducias, quum ipsorum morbis pacisci possitis. Anulus hic inserendus est digito, quo pulsum exploretis. Medici SINENSES pulsum tangunt in pectore. Vos Germani estis, consueto itaque more pulsantem tangite venam. Anulum vobis dedi, omnes lineae a centro circuli ad peripheriam ductae sunt inter se aequales. Centrum Stationis vestrae esto pietas, quae fons est omnium reliquarum virtutum. Medici ad unum fere omnes pietati student. Leguntur alibi tractatus de fastu & superbia, de conscientia veteri, & nova Theologorum: de nequitia Advocatorum: de stultitia Philosophorum: de Medicis nihil, nisi quod de ipsorum religione passim dicatur. Pii enim sunt, quos Deus honorare jubet. Ipsa Theologia manca esset & mutila, nisi medica admota fuisset manus. Cujus quaeris? Non HERMETIS, nec HIPPOCRATIS, nec GALENI, multo minus PARACELSI, aut HELMONTII. LUCAS Evangelista est, qui nobis haec ocia fecit, qui toto vitae tempore, & corpori, & animae prodesse studuit.

Nunc Clarissimi NEO-DOCTORES *osculo* vos excipio: non JUDAE osculo, qui fur erat, & habebat bursam, sed amoris, constantiae & fidei osculo. Hoc ipso moneo vos, ut sitis concordes, nam vis unita fortior, & concordia Medicorum magni morbi dilabuntur, discordia parvi crescunt. Fide, sed cui, vide. De Medicorum invidia, & odio multa dicuntur, sed alios quoque nunc hoc tenet contagium. Pius PHILIPPUS MELANCTHON tantopere horruit odium Theologicum, ut illud ipsi optandae mortis caussa fuerit. Estote ergo concordes, nam habebitis inimicitiam, quia Christiani estis, militia hominis super terram. Habebitis inimicitiam, quia Cartesiani estis, nam veritas odium parit. Habebitis inimicitiam, quia Medici estis. Sic mos est horum, *Undand* in fine laborum. Habebitis inimicitiam, nam figulus figulum, & Medicus Medicum. Caetera textus habet.

Sed quid sibi tandem hae cereae volunt? dignitatem, splendolem, & charitatem ve-

vestram innuunt. Vobis enim nunc in Medicorum comitiis tanquam media in luce comparere licebit. Ignis facillime in vicina transfertur corpora, & eundo crescit. Vos clarissimi NEO-DOCTORES operam dabitis, ut per vos medicinae pomoeria extendantur, eaque novis undique inventis augmentetur. Ignis solem repraesentat. Medicorum sol est aurum, hic sol ut vobis semper oriatur, nunquam occidat precor ex animo, atque longe lateque suos spargat radios. Ad hunc igitur ignem incalescite. Nam dat Galenus opes, dat Justinianus honores: pauper Aristoteles cogitur ire pedes. Ignis pro potentissimo habetur elemento. Vobis potentissimis quandoque utendum erit remediis, ne videlicet pars sincera trahatur. Verum ut circa ignis regimen solertia requiritur, & vigilantia; ita & vos in curandis morbis estote prudentes sicut serpentes, nec tumidi, nec timidi. Neque enim hic agitur de *lege XII. tabularum*, de *lege fusia caninia tollenda*. De *lege falcidia*. De *lege*, si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. Nec agitur de spaciis imaginariis, de entibus rationis, de darapti, felapton, de igne sub concavo lunae, sed de corio humano luditur, de igne vitali agitur, qui semel extinctus nunquam recolligi potest: neque enim hic bis peccare licet. Multa equidem adhuc habeo dicenda, sed ea nunc non potestis ferre, quia venter caret auribus; & ipsum tempus mihi vellicat aures, mihique imponit silentium. Ignoscite quaeso, Auditores honoratissimi, quod benevolentia vestra & patientia abusus sim. Ego nunc iisdem concludo verbis, quibus initium feci, sed magis grammatice positis. Atque vobis clarissimi Neo-Doctores ex animi mei sententia apprecor salutem, honorem, & argentum, atque hodie vestris convivis bonum appetitum.

ok che Cojon! DIXI.

HAE sunt, vir celeberrime Festae, illae dapes, quas apposui. Utinam ad plurium fuissent palatum. Sed ne penitus excidat, quod primo dicendum fuisset, nolo te, Vir celeberrime, latere, quod tuta satis, atque fida experientia edoctus sim, corpus nostrum unico etiam remedio contra quoscunque morbos immune servari posse, neglectis purgationibus, venaesectionibus, scarificationibus, fonticulis, setaceis, aliisque vel in ruinam, vel in carnificinam generis humani excogitatis. Et quod majus est, idem illud remedium in curandis morbis chronicis omnibus palmam praeripit, id quod in defluxionibus arthriticis, in colica desperata, aliisque gravioribus morbis (modo morigerum nactus fuerim subjectum) saepius nunc expertus sum: hinc si optio daretur, vellem, ut SERENISSIMUS NOSTER submissis nostris precibus gratiosas largiretur aures, atque tali praeservandi genere semel saltem in hebdomade, vel toties quoties se alleviatum sentire vellet, uteretur. Id quod tecum eo magis exopto, quod uterque sciamus, a SERENITATIS SUAE vita vitam & salutem nostram, omnemque felicitatem terrenam dependere, qui sine PRINCIPE jamdudum periissemus. Ne vero arbitreris, me obscura loqui, perpende quaeso aurea *magni nostri Wedelii*, communis nostri fautoris, verba. *Si*, inquit, *vulgo tam cordi haberent homines diaphoretica, ac purgantia, plurimi servarentur, qui febribus abrepti debitum naturae ante tempus solvunt. Purgantia enim magis expellunt primarum viarum sentinam. Diaphoretica altius penetrant & expellunt heterogeneum sanguini confusum*. Verum de simplici hac, & rationi non minus conformi, quam naturae congrua curandi methodo succinctiorem brevi mittam explanationem, una cum *Chirurgo Cartesiano*, aliquot in Chirurgia detegente errores, hactenus ex ignorantia philosophiae commissos. Quem benevole exceptum iri confido, quod tot hactenus de Chirurgorum ignorantia, & barbarie audiverimus querelas. Meae institutiones Medicinae rationalis lucem videbunt futura hyeme, sed auctae & elegantius digestae. Erunt forte

te post cineres, qui agnoscent; quid pro aegrotantium salute praestiterint Cartesiani, & rationalis medicinae Antistites, inter quos tu, Vir experientissime, haud postremum promeritus es locum. Ego meis adversariis nunquam responsurus sum, ne in horas meas fiam injurius, qui eas melius locare possum. Plures enim non absimiles sunt *Hemotimi* praeceptoribus aqud *Lucianum*, qui adversariis ea tribuebant, quae destruere non foret arduum. Fingunt nimirum ea, quae facile everti posse putent, ut sic, si verae victoriae compotes fieri nequeant, ejus tamen speciem nanciscantur, & sub vulgari illo, mundus regitur opinionibus, imperitis imponant. Pueros imitantur, qui sibi aediculas infirmas construunt, & protinus subvertunt, interim honori mihi ducam, si super quaedam ab amicis benevole monitus, nactus fuero occasionem mea clarius explicandi, vel scrupulos ipsis subortos amice, & placide eximendi, id quod jam in dissertatione de morbis aulicis tentavi, & inposterum saepius facturus sum. Vale, Vir experientissime, & festinanti calamo ignosce: haec enim scribo occupatissimus. DEUS te servet! Dabam Marburgi die XXV. Junii, anno 1687.



D. JO-

D. JOHANNIS DOLAEI, EPISTOLA I.

Ad

Celeberrimum

VIRUM

DN. JOHANNEM JACOBUM WALDSCHMIDT

Varii argumenti.

VIR EXCELLENTISSIME.

Fieri ita suevit inter homines honori & commodo proprio nimium studentes, nec omni culpa vacuos, ut invidiae plusculum cedentes, singulari mentis caligine obruti, summe etiam candidos, & criminis expertes falsae suspicionis mole quandoque adonerent, quam saepe magno adhibito molimine a se devolvere opus habent, & tamen irritum plerumque in fine experiuntur conatum, quum citius noxam quamcunque e pectore proprio, quam male licet fundatam istiusmodi conjecturam ex alieno ejicere norint. Animo proinde generoso temnendum, quicquid lingua minus favens, aut rectoris prudentioris indiga ejaculatur contumeliarum, non nisi in dignis sedem invenientium, in puris vero bulla celerius disparentium, & tempus admodum pretiosum utilioribus locandum studiis, quibus divina laus, & publica hominum salus magis promovebitur, quam amolitione ejusmodi sannarum, insulsarum ad quas prae aliis confugiendi mos est illis, qui veritatis tramitem transcurrendo, in omni ferme rerum futilium, & verborum ne cassa quidem nuce compensandorum haesitant luto. Equidem veritas ipsa haec cuncta facile abiget, quae quo majori mendaciorum & invidiae praematur onere, semper tamen virtute sua liberata emergit, & de hostibus triumphans altius adsurgit.

Nihil pene sapientum oculis hodie est perspicacius, quam uti certa adeo cuncta jamdudum reddita sint ex ipsa dubitatione, quae ante maxime erant dubia & obscura; sed splendor ille claritatis quorundam oculos potius laedit, hinc eundem ferre nescientes, quovis modo eum tentant obscurare, dum in totum exstinguere desperant; verum impares valde suas etiam hoc in opere advertentes vires, se eidem subtrahere coguntur, ne nuditas & foeditas eorum detegatur, quamvis pudore perculsi aegre admodum ad priorem tenebrarum revertantur foveam, metuentes inscitiam suam fuga ista vulgo sic innotescere, cujus favorem nimio habent in pretio, & quo si destituantur, de gloria, & aestimatione sui penitus actum esse. Interea gaudent possidentes, & quorum corda veritas semel illuminavit, nullis minis, nulla vi & contumelia ab eadem divelli possunt.

Non enim ulterius in limine haerent, sed mediante methodo accuratissima a Philosopho nostro per gratiam & adsistentiam divinam porta veritatis semel aperta, plus ultra excurrunt, in dies novos fructus ex amoeno illo horto carpentes.

Stabilita jam sunt principia solidissima, quod antequam factum, dubitatione, & inquisitione opus erat, qua verae philosophiae dediti hodie non prius utuntur, quam quando ad propositum quoddam nondum satis cognitum & exploratum, rite examinandum, & ad eruendam veritatem iis sese indigere prospiciunt, malunt enim inscitiam suam aperte & candide profiteri, simul indicato studio impetrandae cognitionis, quam superba quadam opinione, & intempestivo ignorantiae pudore proliferos multiplicare errores.

Hisce ita depositis ad magis utilia jam revertor, & serio fateor, mihi monita tua doctissima de sudoriferis apprime placere. Vita enim nostra & sanitas, meo judicio, dependet a regulari circuitu humorum, sanguinis nempe, lymphae, & spirituum animalium; mors vero ab omnium humorum in omnibus partibus quiete. Valetudo ergo sinistra a circuitu tardiore, vel in quibusdam partibus plane cessante, vel uno, & altero humore, vel omnibus simul tardius commotis, vel a circuitu humorum nimium celeriore: hinc duo sufficiunt remediorum genera ad omnes morbos vincendos, motum videlicet humorum tardiorem promoventia, & ipsum celeriorem aliquando cohibentia. Primo scopo satisfacere possunt diaphoretica, motum succorum promoventia, omniaque obstacula removentia, quae sola plurimis sufficiunt morbis, modo studiose electa rite applicentur, & ut tu, Vir experientissime optime animadvertis, peracto sudore pori non tam cito collabantur. Alteri intentioni satisfaciunt acida temperata, quae motum nimium in quibusdam morbis aliquando compescent. Sic in variolis ac morbillis, in quibus sanguis ab initio impetuose movetur, novimus nos acidum aliquod temperatum blandum, quod egregias vires obtinet, prout in mille variolosis non tantum ex fida nostra experientia, sed & ratione comprobavimus.

Medicus ergo tantum in affectibus optimam notitiam habeat partium, in quibus circuitus humorum retardatur, & eo incumbat, ut remedium acquirat, quod in partibus motum humorum tardiorem acceleret, & omnem stagnationem destruat, habebit remedium satis accommodatum, & ad omnium fere morborum caussam immediatam directum. Attendas vero simul ad motum in liquoribus istis nimium, qui acidis temperatis facilius ad circuitum regularem rediguntur. Juxta principia haec Encyclopediam meam chirurgicam curiosius potissimum elaboro, qua post tempus forsitan non adeo longum publice fruentur.

Vero equidem Medico summa est voluptas, omnem impendere operam, qua aegrorum promoveatur commodum, & quantum fieri potest, sanitas illis procuretur, a quovis morborum genere libera, etiam si id a pluribus nonnunquam sit praestandum Medicis, quos si non semper re & auxilio, verbo tamen & consilio vel orali, vel scripto juvabit, utut noverit se non modo a vulgo, sed ipsis etiam illis, quos majori sapientia praeditos existimasset, parum gratiae reportaturum. Vivimus enim & nos iis in temporibus, in quibus non doctis & apertis, sed fucum facientibus agyrtis & ignaris Empyricis plurimus honor & maxima praemia parantur. Sed ob nullam hoc videtur caussam contingere aliam, quam quod paucissimi dentur arbitri rem medicam probe callentes, quin ad unum fere omnes, summi, medii & infimi fucum sibi fieri facile patiuntur; adeo nemo pene existit, qui se ipsum satis cognoscat, & simplicem veritatem unice amet. Hinc videmus chiromantas, physiognomos, uromantas, enthusiastas, fanaticos, crystallorum inspectores, aliosque hujusmodi augures & prophetas falsos magna haberi in aestimatione, atque Magnatibus etiam, raris & in coelum quasi pellentibus encomiis, in dies commendari. Quo vero magis istos mirantur seductores, eo citius, quamvis contraria plane voluntate, inscitiam in rebus judicandis profitentur. Quid enim quaeso! vir prudens & sapiens, ex lineis in manu, casu in utero foetui impressis: praediceret de morbis, saepe in horas, imo horarum momenta

muta-

mutabilibus, quorumque caussae interdum in tubulis quibusdam a lineamentis istis manuum quam maxime remotis latere solent, & figuris praeditae valde diversis praenunciaret? quid de tempore praefixo, quo sanitas amissa recuperabitur? quid de corporis & ingenii robore cum inconstanti fortuna? quid de vitae exitu, & genere mortis soli DEO praecognitis? Ad haec quam pauca ex urina sint capessenda auguria, solidioribus artis nostrae praeceptis imbutis, & in praxi diuturniore probe exercitatis satis perspectum est, proinde coram ipso lecto aegroti eandem malunt examinare, quam eodem longius absente. Norunt quippe lotium istud minimo temporis spatio extra vesicam singularem a variis in aëre volitantibus corpusculis subire alterationem, & statum saepe nancisci longe alienum ab eo, quem in corpore, ubi a diverso quodam aethere massa ista fuit commota, prae se ferebat. Nonne ergo risum movebunt prudentioribus impostores, misturam illam in corpore aegroti praeextitisse asseverantes, quam intuentur in vitro, aut matula, ex qua nil certius hauriunt, quam futurum sibi aurum & argentum, quo miseros mendaciis illis emungunt, unde & merito auri- & argenti-sugi dicuntur. Ethnicorum haec quondam damnanda fuit affectatio divinitatis, qua cum Menecrate infatuati, stuporem sibi & venerationem apud ineruditum vulgus, & cum morbis colluctantes miseros conciliare volebant male licet fundatis istis praesagiis. Utinam cum superstitiosis istis maxima eorum pars ad primum mendacii parentem decessisset, citius sane veritatis splendor illuxisset. Mirantur, qui rem non satis cognoscunt, ea enim probe intellecta & cognita admiratio omnis facile cessat. Hinc videmus, famam admirabilium illorum Prophetarum fumo citius dissipari, omnesque nimium ante illis fidentes prudentioribus non modo, sed infimae etiam plebi & stolido alioquin vulgo fieri derisui. Optandum foret, ut quilibet suo fungatur munere, & desinat manum in alienam mittere messem, sic in republica cuncta peragerentur rectius & tranquillius. Medicum quidem pium, nec in divino codice hospitem, magis decet in morbis diuturnis aut gravioribus aegrotos suos divino erigere solatio, ad pias disponere cogitationes, & ad constantiam in fide erga DEUM hortari, quam Theologum eidem porrigere medicamenta, & ab anima ad corporis curam descendere, siquidem vix percipi potest, Theologum sufficienti pollere notitia omnium in praxi medica observandorum, & cognitu necessariorum. Singulare quidpiam requiritur in Medico praxin feliciter exerciturо, & corpora a morbis immunia reddituro, nec minor prudentia, quam in Duce exercitus, moenia fortissima superaturo, & hostes ex provincia sua ejecturo; quod si magnatibus esset perspectum, utique Medicum prudentem, & vera agendorum notitia praeditum majori haberent in pretio, & omni eum auro aestimarent cariorem.

Sapientia vero Medici non ex magnitudine schedae, nec ingenti medicamentorum ex collegio Doct. Michaëlis, aut alio in academiis olim dictato compilatorum farragine, nec ex pretio in gratiam Pharmacopoei aucto, censenda, aut colligenda est, sed, si verum mihi coram collega & amico Medico singulari fateri liceat, quo plura quis medicamenta in una formula corradi fuerit intuitus, eo certius colliget indicium de praescribentis ignorantia; multa enim congessit, ut in tanta copia unum sit, vel alterum; quod ei, quod in corpore morbosum existere ignorat vincendo forte fortuna sperat accommodatum; quod si clarius, & distinctius cognoverit, & simul remediorum vim & efficaciam probe calluerit, vel unicum ex multis selegerit morbo intime cognito debellando sufficiens. Adeo ut profundior Medici scientia colligenda potius sit ex simplicitate medicamentorum, quam ex eorum copia & magnitudine. Nonne itaque inepti Medici judicandi, qui singulis pene horis varia compilant remedia, ex compositis jam alia praescribunt denuo miscenda, & componenda, & ferme omnium specierum formulas in

unam maximam comportant. Errant sane, nec intelligunt morbos, neque vim medicamentorum, alias parvulo quodam magnum praestare scirent effectum. Quum vero hi corrasores sua digni sint castigatione, quid de illis censendum? qui ut majorem, & speciosiorem exornent formulam, aegros suos in aliud ablegant tempus, donec ex collectaneis suis evolverint ejusmodi formulam, instar cornicule Aesopicae aliorum plumis exornatam, & ad nauseam prudentiorum refertam; interea ne inscitia eorum vulgo innotesceret, nescio quam morbi praetendunt immaturitatem, non prius superabilem, quam eo tempore, quo sperant per evolutionem librorum & arcanorum suorum, aut locorum communium pervestigationem ejusmodi receptum, seu formulam inventum, aut comportatum iri, qua Pharmacopoei favorem, & vulgi ignoti admirationem acquirent. Sic mundus amat decipi, ad meliorem viam reduci impatiens. Si scirent homines, quantum unumquodque corpus differat ab alio tam ratione texturae partium solidarum, quam misturae fluidarum, eamque notitiam accuratam non nisi a praesenti Medico, & singulari mentis acumine praedito, non uno die, sed longiore tempore addisci posse; non adeo facile se committerent peregrinorum, saepius eos nunquam intuentium inconsideratae tractationi. Optanda tandem singulis sanior mens, ut cognoscant, quid sibi usui & commodo sit futurum, atque ab omni se vertant conscientiam onerante temeritate.

Legi cum singulari laetitia disputationem, seu diatribam transmissam inauguralem, in Academia vestra de purgantium e foro medico proscriptione, nuper cum laude Auctoris habitam, quae apprime placuit, & merito gratulandum est Academiae vestrae celeberrimae, de tot in ea jam detectis veritatibus, toti humano generi summe proficuus, quamvis tota medicastrorum cohors furore agitata torvo vultu veritatem sit inspectura, siquidem idem sibi damnum exinde futurum praevidet, quod Romano quondam contingit Clero, ex deleto per Lutherum Purgatorio. Sane crumenam habebunt nimis purgatam, & aliorum excrementis minus impletam, quod minime illis placebit.

Unicum mihi videtur adhuc intimius examinandum thema de acidularum videlicet noxa & abusu, quod si quis effectui daret, magnum utique deportaret gratiam ab iis, quibus sanitas, & rerum veritas cordi est. Nimis enim ad hoc etiamnum tempus liberales sunt Medici, in praescribendo & commendando earum usu, qui tamen paucis reperitur proficuus, nec largis de eis factis promissis satisfacit. Ego affirmare cogor, ex pudore propriae denudandae paupertatis, & ignorantia certioris & convenientioris praesidii, toties earum usum commendari a Medicis, quibus frequentiores de malis quaerelae tandem redduntur ingratae, proinde ut molestia illa se ad tempus aliquod liberent, aegrotos ad acidulas ablegant, ut quondam Galenus Phthisicos suos incurabiles ad tabias, ne remediorum congruorum defectus nimis ita pateret. Nequit certe mistura acidularum in venis ita temperari, ut singulis respondeant corporibus, & quam saepe minerae ex inconvenienti mistura, resolutione, sublimatione, aut praecipitatione venenosum quid induere possunt, quod quavis forte hora possibile non semper a Medico, satis alias sollicito & prudente debite examinari & cognosci potest. Hinc experimur, quantum viscera eorum, qui ex praescripto Medicorum ad mensuras etiam acidulas potarunt, debilitentur, adeout fibrae eorum nullis postmodum remediis ad pristinum & meliorem statum reduci possint, & quam frequenter pro pauco commodo, quod praestiterunt, gravius longe inferant damnum, pectori inprimis, & pulmonibus, quibus omnes fere acidulae maxime sunt nocuae. Accidit id virgini cuidam caetera sanae, & ob sedentariam solum vitam tumore pedum laboranti, cui dum Medicus prae aliis ad acidularum commendationem pronus, earum usum injunxisset, tumore quidem per copiosam subsequutam diuresin aliquantum

tum fuit liberata, sed tussim pene perpetuam, feram & phthiseos fere prodromum contraxit, vix ullis, etiam probatissimis alias hoc in casu, remediis corrigibilem. Praestarent ergo, si necessario desiderentur, acidulae artificiales, quae pro diversitate corporum moderari, atque vis earum melius pro caussae, morbi, & symptomatum varietate augeri, minui, corrigi, & emendari possit, quam ex tellure saepius a furiis ignis subterranei agitatae, & motae prosilientes.

Minus noxiae quidem videntur thermae, maxime quod usus earum frequentior sit externus, attamen & hae ex tempore possent ad quamcunque morborum speciem ex vegetabilibus, mineralibus, aliisque convenientibus parari, quae minori pretio non modo adhiberentur, sed virtus earum magis esset cognita, nec lateret, quo particularum genere mira earum vis constet balsamica. Non inconveniens etiam esset thermis hisce artificialibus partem quandam, si absque virium defraudatione ob loci vicinitatem facile haberi posset, immiscere earum, quae ab igne centrali e terra propelluntur, sic una pars non modo temperaretur, sed etiam promoveretur ab alia. Quum enim per vim balsamicam nihil aeque intellectu percipi possit, quam particulae blandae ramosiores ob longis teretibus & flexilibus intermistae, quae angulare quodcunque pungens, scindens, tendens, & dilacerans obtundere, inviscare & hebetare queunt, Medico Philosopho facile est perspectu, ex quibus non modo simplicium generibus istiusmodi thermae sint componendae, sed quibus in morbis etiam utiliter adhibendae. Hoc vero nostrum consilium iis cuditur, quibus non aeque licet adire terras exteras, sed minoribus sumtibus deperditam recuperare gestiunt sanitatem, & rei domesticae propius adesse, cui absque singulari incommodo, aut damno se diutius nequeunt subtrahere; interim illis, qui non tam remedium corporeum, quam mentis aliquam quaerunt relaxationem, & varietatem locorum, conversationem cum aliis, & quietem a consuetis laboribus, majorique ditati sunt pecuniarum copia, iis liceat quodlibet, modo non transgrediantur auream in omnibus observandam mediocritatem.

Haec remediorum cuicumque ferme a Medicis liberalioribus permissorum recensio me deducit ad ipsas panacaeas, quas hodie dum multi jactitant, seque aliis Medicis dogmaticis propter eas praeferri cupiunt, singulari sua astutia remediorum suorum arcanorum virtutes examplificantes, & simul earum praeparationem, & compositionem alto custodientes silentio, ne fraudulenta ipsorum circumventio mundo erudito ita innotesceret. Firmiter siquidem credendum est, ipsas istas panacaeas nihil saepe aestimatione dignum in se continere, &, si quid praestant commodi, illud vel diuresi, vel diaphoresi perfici, qua virtute praeditum Medicus eruditus & expertus, facile ex communi remediorum sylva aliquod eligere valebit aegri statui praesenti magis proficuum, quam jactata illa panacaea, minimo saepe in morbo impotentiam suam contestans, & quam specioso isto titulo habenda sit indigna, turpiter manifestans. Accesserat ante tempus quoddam Montis Pessuli Hispanus quidam nobilis & jactator ad Professorum & Medicorum ibi degentium indignationem singulare quoddam venditurus arcanum, quo non modo omnes morbos profligari, sed ipsam senectutem abigi, & decrepitos cum capularibus rejuvenescere thrasonice nimis promiserat. Senex quidam locupletissimus stentoriis istis promissis allectus, alium quendam ex ordinariis accersit Medicum, eundemque rogat, Hispanum illum accederet, & variis occasionibus ex eo sciscitaretur, quale genus arcanum suum esset remediorum, qua dosi exhibendum, qua ratione operaretur, quo temporis spatio laudatum praestaret effectum, & similia. Hispanus ille singulari quadam, pro gentis suae indole, gravitate, & superbia ad quaevis Medici interrogata respondit: est arcanum! nec pro qualibet promissa pecuniae summa vel minimam dosin ejus Medico concedere voluit, semper exclamans;

mans: est nulli communicandum arcanum. Ita sane remansit arcanum, quod si fuisset reseratum, unico forsitan momento omnibus exutum fuisset gloriis cum pretio, quibus praeter eventum superbivit. Nihil nisi ignoranti quidpiam est arcanum, idem enim denotat, quod incognitum; sed saepe detinetur ejus descriptio, aut verum nomen penes jactatorem, ne fraus patescat, quippe si prudentioribus aperiretur, cito viderent, se eodem facile posse carere, nec promissum praestiturum esse effectum, quum ab ejusdem possessoribus aurei saepius promittantur montes, reapse tamen vix praestari possint ferrei.

De Chirurgo tuo Cartesiano brevi publici juris faciendo promissio magna nos erigit spe, multos in eo demonstrandos esse abusus, quibus vulgus Chirurgorum, aut potius Barbitonsorum hactenus fuit deditum, simulque planiorem manifestandam viam, juxta quam tutius & perspicacius plures absolvi possint encheireses. Non enim putandum, absque ullo discrimine quaevis praesidia, atque propugnacula organica in eo iri abjectum, sed concinniora & tutiora fore aperienda. Morbos siquidem omnes absque instrumentorum & manuum opera, solis medicamentis in quovis subjecto abigere velle, nonnunquam voto nostro minus responderet, non quidem propter medicamentorum defectum, aut impotentiam, sed ipsorum aegrotorum inobedientiam, qui saepe fortioribus sunt coërcendi, & materiae peccanti ferro vel igne exitus est parandus.

Degit in vicinia nostra Chirurgus quidam juvenis prudens, & diligens, qui adhibito setateo insuperabilem alias non ita pridem abegit ophthalmiam. Etenim puer quidam tempus longissimum insigni ex catarrho laboraverat faciei tumore, dextram potissimum partem occupante, cui abigendo a variis Medicis, & Chirurgis diversa adhibita fuerant remedia, non omissis etiam vesicatoriis majoribus nuchae, & post aures applicatis, at semper irrito conatu, supervenit tandem oculi tumor inflammatorius tam vehemens, ut totus rubore flammeus magnitudinem longe superaverit ovi columbini, cum metu a Medico praesenti habito diruptionis, aegerque nullum penitus lumen perferre potuit. In ipsa penuria medicamentorum, & desperatione Medicorum de obtinenda curatione, ante dictus Chirurgus, non adeo diu ibi locorum commorans, generoso ausu nucham trajecit setaceo, quo mediante materia catarrhosa ab oculo ad foramina tam copiose fuit derivata, ut intra septem septimanarum spatium, contra omnium spem, aeger integre fuerit restitutus; sed neque omissa fuerunt convenientia topica, & interna diaphoretica, verum aeger stragulorum impatiens, eorum operationem perferre nequivit, quare hujusmodi remedio lymphae stagnantis acrioris effluxus erat prumovendus. Hoc etiamnum tempore alterum virum sub cura habet, per tempus aliquod claudum, & tibiarum ulceribus cum tumore laborantem, qui quum a variis ante Chirurgis diversimode, absque ullo tamen indicio meliorationis, fuerit tractatus, tandem antedicti Chirurgi fama excitatus, ejus curationem expetiit, seque in locum, ubi Chirurgus habitat, deferri curavit: iste vero percipiens aegrum hunc a diaphoresi quavis abhorrere; & quodcunque aliud remedium, etiam dolorificum, manu perficiendum admissurum, statim per femur lateris affecti musculum glutaeum majorem setaceum profundius trajecit, funiculo crassitiem digiti minimi in summitate aequante subducto, quo facto post dilapsum quadriduum fluxus materiae peccantis ad foramina ista allectus fuit, & aeger statim persensit juvamen, ita ut post paucum tempus melius incedere, & pes detumescere sit conspectus, imminuto etiam dolore pedis, quo viso aeger proprios lares repetiit, & Chirurgi operam hoc tempore per vices, & fere hebdomadatim solum experitur. Adeo nonnunquam aegri in morbis rebellibus & contumacibus fortiora efflagitant auxilia, nec Medicorum consiliis aeque sunt morigeri, eaque de caussa iidem aliquando coguntur communia admittere remedia, ne materia

morbo-

morbosa accrescat, praesertim quum maxima hominum pars sensuum testimonio nimis sint addicti, ipsoque Thoma Apostolo magis increduli, qui si non semper effectum remediorum oculis videant, & manibus palpent, tam Medico, quam medicinae nullam largiuntur fidem. Sapienti tamen satis est patulum, potuisse praenominatos aegrotos, absque crudelibus istis tractationibus, benignioribus remediis poros aperientibus, lympham acriorem, & viscidam corrigentibus, & sensim ad exhalationem disponendo consumentibus curari; sed quum ad meliorem mentem reduci nequiverint, nec suaviori se dignos aestimaverint, fortiori fuerunt pungendi. Fibris enim muscularibus, & cutaneis non modo ab instrumento, sed materia etiam aetherea aliena per foramina copiosius ingrediente fortius ita agitatis, quemvis succum ejiciunt, & vicinos tubulos ad eundem effundendum sollicitant, unde non modo liquor peccans, sed melior quoque liquorum pars effunditur, cui tamen malo praeveniri potest, si rivuli isti recto tempore claudantur, & noxia materia restitans aliis convenientioribus remediis per poros apertos eliminetur. In hujusmodi ergo casibus generosiora praesidia chirurgica non omnimodo sunt damnanda, aut rejicienda, quare in Encyclopaedia mea Chirurgica sedulo observo, ut & istis, necessitate sic postulante, in quibusdam casibus concedatur locus, atque omni praevideatur arte, ne morbi vehementes capiant incrementum.

Nunc re & occasione quadam ita postulante ad ipsum potum theae paucis examinandum hisce devolvor. Invaluit equidem & hic ipsius usus, sed a multis fama sua jam minor deprehenditur. Mihi etiam potus ille adeo frequens suspectus est, propter nimiam quantitatem aquae, alkali enim quod herba haec in se continet, in tam exigua quantitate aquam corrigere vel exaltare nequit. Ab hac ergo aqua non tantum primae viae nimium abluuntur, glandulae stomachi & intestinales obstruuntur, vasa lymphatica nimis replentur, & distenduntur, hinc prona redduntur ad rumpendum, imo circulatio humorum singulorum impeditur ob gravitatem, & lentorem suum, & ob nimiam distensionem vasorum eos vehentium, quin ipsa textura vasorum laeditur. Si ratio non placet, en experientiam nostram; nonnullos enim novimus singulis horis matutinis, & vespertinis eo potu abusos mortuos esse hydrope, alios febre maligna, alios, qui lienteria, ictero, affectu hypochondriaco, catarrhis, imo apoplexia, & stagnatione aliorum circulantium humorum vexati fuere. Iis autem prodesset hic potus, qui justo largiore mero ventriculum replent, & altero die loco Julapii ipsum assumunt, & sic restinguit acres acidasque sordes a vino illatas; melius tamen substituuntur herbae veronica, betonica, &c. Est enim vis illa poros aperiens, & ad sudorem quendam disponens aliaque, quam theae tribuunt, quae calidae potissimum accepta referenda, sed haec non omnibus aeque convenire a prudentioribus rectius existimatur.

Tandem quum experiamur, nihil pene frequentius in ore tum Philosophorum tum Medicorum versari ipso vocabulo Naturae, eique tanquam Deastrae cuidam plurima, & difficillima tribui effecta, insimul inter omnes lis adhuc foveatur, quid per decantatum, attamen obscurum illud nomen sit intelligendum, quaeritur, an non Medicis imposterum aut plane sit abstinendum, aut saltem rarius utendum? Experimur enim saepius naturae illi eadem in acceptis ferri bona, quae rectius ipsi DEO retribuerentur, una cum debita ipsius laude, & divini potius, quam fictae illius almae Matris Naturae nominis celebratione. Ubi enim haeret internum illud agendi, patiendi, cessandique principium? qua ratione fungitur officio suo morborum illa ab HIPPOCRATE quondam venditata medicatrix? qua repugnante irrita dicuntur omnia, & medicina nihil proficere; quae sibi, HELMONTIO ita volente, eligit aptatque convenientissima: quam furca: licet expel-

expellas, tamen usque recurrit; quae non edocta & nullo Magistro usa ea, quibus opus est, facit, agendorum omnium monstratrix optima, saepe meliora monens, & dives opis suae; quae quo robustior existat, eo celerior a vulgo expectatur morborum abactio & sanitatis amissae recuperatio. Nonne vocabulum hoc commune potius habendum operculum, quo plurimi aliis fucum faciunt & suam obtegunt ignorantiam? Dicunt, experientiam demonstrare, non esse naturam in omnibus parem, sed in uno homine fortiorem, in altero debiliorem. In quo ergo consistit fortitudo, & debilitas ista? Videmus equidem hominem unum a primo suo ex ovo, aut vermiculo exortu, altero interdum existere robustiorem, sanitate etiam frui diuturniore, & a morbis invadentibus citius liberari; sed hoc evenire solet ex firmitate fibrarum, quibus partes solidae in utero sunt contextae, & corporum fluidorum motu fortiori, & constantiori, quo omne noxium & e consortio suo heterogeneum longe a se repellunt, ut proinde ex caussis multo solidioribus, & clarioribus omnes istae operationes explicari possint, quam obscuro illo Naturae vocabulo, quo adhuc magis redduntur abstrusae, & incognitae. Interea tamen, quum vocabulum hoc Natura ab ipso verbo Nascor derivetur, putamus interdum in communi usu loquendi retineri posse, dum nihil aliud eo intelligamus, quam specialem quandam dispositionem, quam corpora nonnulla in prima sui generatione nacta sunt ab aliis diversam, respectu fibrarum magnitudinis, soliditatis, earundem ab invicem distantiae, extremitatum majori vel minori crispitudine, & hinc pororum figurae, amplitudinis aut angustiae, succorum & spirituum ad motum pronitatis vel pigritiae, &c. qua ratione SENECA inquit: naturam mutare difficile est, nec licet semel mista nascentium elementa convertere; dummodo parciores simus in ejusdem vocabuli naturae allegatione, quam hucusque factum, possumus enim idem ipsum facile commutare vel cum nomine Indolis, vel dispositionis vel constitutionis, vel Microcosmetoris, vel Cardimelechis, vel Gasteranacis, vel alterius cujusdam, quibus vocabulis in scriptis meis nihil aliud innuo, quam spiritus prae alis subtilissimos, & exaltatos, diutius in tubulis circa fibrulas viscerum quorundam commorantes, saepe ab aliis Auctoribus spiritus insiti nomine indigitatos. Ratio enim nostra facile admittit, dari discrimen, & gradus quosdam inter spiritus sive liquorem nervosum, ita ut per reperitas circulationes rectificatus multo purior, subtilior & ad quemcunque motum subeundum aut actionem in oeconomia animali praestandam longe promptior sit aestimandus eo, qui ex massa communi jam primum egrediatur. A prioris itaque indole participare statuo nominatos nostros Reges, Cartesianorum materiae aethereae, & mentis imperio promptius obedituros, quam reliquos spiritus nondum ita depuratos.

Ad hujusmodi proinde normulam etiam doctrina de rebus Medicis vulgo naturalibus, non-naturalibus, & praeter-naturalibus dictis emendāda foret, una cum crisi rara nonnunquam in hisce regionibus ave, & in praxi hodierna ad regulas vetustae traditionis vix observabili. Non enim numerus ille dierum criticorum adeo accurate est attendendus, prout a prioribus factum, alias praesagiis nostris nobismet ipsis aut coram aegroto aut coram adstantibus certo certius incuteremus pudorem dum materia morbosa aut citius, aut tardius moveretur, & vel morbus ipse brevius decederet, vel diutius cunctaretur. Quin HELMONTIUS hac in parte sapienter satis enunciaret, dum notasse se asseverat, quod nusquam fiat crisis, ubi Medicus artis suae gnarus morbum ante crisis expectationem sustulerit.

Adeoque utiliorem credo locandam fore operam in explicando motu, ejusque caussa, & proprietatibus, & quid illud potissimum sit, quod e corpore majori decedere quasi visum motum ulteriorem sistit, & in minus occurrens quasi ingrediendo aut irruendo idem illud ulterius propellit; licet enim multi de motu, primo

mo motore, motu restitutionis, aliisque ad motum pertinentibus multa jam tradiderint, non videntur tamen ista omnia curiosorum mentes exsatiare, quin plura adhucdum desiderantur, quae si clarius enuclearentur, res sane scire desiderantibus praestaretur longe acceptissima atque utilissima. Sed de hisce omnibus veriori medicinae deditos clariorem informationem ex INSTITUTIONIBUS TUIS fidelissimis, secunda vice auctius, & elaboratius edendis facile impetraturos esse, nullatenus dubitamus, quarum accelerata communicatione orbem eruditum ne diutius destituas, quin brevi facias participem, sedulo optamus, seriisque precibus divinam rogamus benignitatem, ut tibi numerosissimos adhuc largiatur annos, quo rem medicam ulterius amplifices, & sacratissimam nostram artem, ab omni crimine, & errore puram reddas, ad multorum Medicis studiis incumbentium emolumentum, & aegrotorum salutiferum solatium. Faxit hoc aeterna illa potestas, cui te, cum integra familia amplissima, serio commendo. Vale, Vir Celeberrime, & mihi porro fave. Dabam Cassellis e Museo meo 14. Calendis Augusti, cIɔ Iɔc LXXXVII.



D. JO-

D. JOHANN. JACOBI WALDSCHMIDT,

EPISTOLA II.

QUAE IN ORDINE EST TERTIA;

Ad

Celeberrimum

VIRUM

Dn. JOHANNEM DOLAEUM,

Varii argumenti.

Nonus annus ad conscribendos libros conceditur; at Epistolae, ut sine mora placeant, festinatione urgentur.

VIR AMPLISSIME.

Quod olim Tacitus de suis Astrologis, id ego hodie rectius dixero de Nostris Empiricis: *tale videlicet genus hominum semper proscribetur, & semper retinebitur.* Quippe tota die experimur, hos etiam fumivendulos, quamvis unica veritate mille vendant incautis mendacia, suos tamen habere patronos, & angelos custodes, qui cum imperitis malint usque clausos tenere oculos, & in ipsa etiamnum luce coecutire, quam cum prudentioribus omnia ad veritatis amussim examinare, huicque soli litare. Quod quidem malum eo facilius patienter ferri potest, quo magis notum est, quod prioris aevi homines, & praedecessores nostri jam ante nos de eo conquesti sint, & quod seri nepotes idem aliquando querentur. Stabit in omne aevum decantatum illud: *Mundus regitur opinionibus*. Et homines illi possunt, quia posse videntur; eo enim deventum est, ut qui plus garriat, & qui, ut magnum quid & ἐξωτικώτερον prae aliis novisse dicatur, plura sine fronte effundant, is demum pro viro docto habeatur.

Devenio ad illimitatam purgantium proscriptionem, & statim in limine fateor, me non in omnibus cum laudato disputationis istius de purgantium e foro Medico proscriptione, quam tibi, vir celeberrime, placuisse in tuis ad me datis scribis, Auctore idem sentire posse; si quidem ipsi mens fuit ea penitus proscribere, de quo merito dubito. Sicuti enim ex parte Humoristarum excessus, & abusus in exhibendis purgantibus committitur; ita ab altera parte in defectu peccatur, quod omnes fere claves ad hanc Naturae portam abscondant. Quapropter tutius esse reor, media hic incedere via, & neque cum illis omne a purgantibus expectare solamen, nec cum his ad alterum delabi extremum, atque portam illam, quam patulam esse volunt Galenici, penitus occludere, aut ingestis egressum, ope catharcticorum facilitandum, intercludere velle. Vidi librum Doctoris Gehemae, ty-

typis nondum excusum, in quo in omnes Medicos, qui purgantibus, venae-sectione, clysteribus, &c. utuntur, acerrime invehitur, contigit mihi etiam felicitas, ut ipso cum Auctore haud ita pridem miscuerim de hac re sermones. Enim vero induci nunquam possum, ut ad ipsorum transeam scamnum, qui purgantia promiscue e foro Medico proscribunt, quamvis plus millies observaverim, ea quandoque plus noxae quam auxilii attulisse; quum persaepe quammaxime necessum sit, ut primae viae a sentina liberentur, ne peregrini fermenti indolem nacta plurium graviorum morborum existat caussa; ut vel propterea non videam, qua ratione purgantia ex provinciis nostris in totum proscribi possint. Atque extra omnem positum est dubitationis aleam, quod omnes fere morbi, si non semper, saltem ut plurimum, oriantur ex repletione: si itaque recrementa primis in viis non satis digesta diutius intra publicos hos carceres detineantur, acorem malignum contrahunt, & tum convellendo, tum distendendo & inflando intra primae hujus regionis pomoeria varia ludunt dramata. Sin eadem haec recrementa ad sanguinem abripiantur, unaque cum hoc ad circumjectos deferantur campos, quae non tum in sanguine tum in spiritibus animalibus, & lympha in circulum eunte excitantur turbae? Ingestorum quippe ad sanguinem, & mediante hoc ad omnes partes solidas delatorum copia producit in infantibus epilepsiam, in senibus vero apoplexiam, & in mediae aetatis hominibus varii generis febres. Malum ovum, malus corvus. Quod si caussa nunc in primis adhuc haereat viis, quis inficiabitur nō licere tunc, imo e re esse, abstergens aliquod atque leniter evacuans propinare? Sin corrupta illa assumta hanc metam fuerint transgressa, atque ex me scire velis, quid facto tunc opus sit: non habeo quod respondeam, nisi quod sudorifera cōmendem, utpote quorum virtutes non in solo ambitu corporis figuntur, sed quae se ad ipsa intestinorum cōfinia quoque extendunt, prout in dysenteria plus vice simplici observavimus, in qua vel ex his etiam oris peregrina fermenta ope diaphoretici foras eliminari possunt. Deinde dandum aliquid erit tempori, necessitati & consuetudini, quae tantum valent nisi hypochondriacos faciamus cacare; aut etiam aulicos ob ingestorum in primis viis coacorvationem ad frequentiores excretiones invitemus, atque catharcticis cogamus eo ire, quo saturi solent, gravissimis quotidie eos exponi morbis videamus: argumento prorsus novo quod non possimus carere purgantibus. Praeterquam enim quod liquamina illa in intestinis coacervata per coecos meatus humoribus circulantibus commisceantur, aliae etiam supersunt viae, nempe ipsa vasa lactea, per quae eadem recrementa breviori manu ad cor deferuntur, & totius sanguinis temperamentum quandoque pervertunt. Quod si aliud adhuc pro sustinenda purgantium fama expetas argumentum persuasorium, velim ut martialium remediorum habeas rationem; eorum enim usus exspirabit eo ipso, quo purgantia de ponte deficientur, quum absque his nunquam in usum tuto vocari possint. Nec ipsa etiam sudorifera, quae alias omne in Medicina ferunt punctum, firmo satis, proscriptis promiscue omnibus purgantibus, stabunt talo, nec illorum usus indemnis plane esse poterit, nisi sordes crassiores e primis viis prius elutrientur; his enim neglectis sanguis novis impuritatibus, ex intestinali regione quotidie transmissis, contaminabitur, id quod vel infantes testantur, quos alvo solito magis sicca existente, ad unum omnes scabie corripi saepius expertus sum. Tandem purgantium necessitatem suadent, & urgent contumacissimi dolores colici, qui non raro ob nimium primarum viarum infarctum, & contentorum putrilaginem exoriuntur, & vel ab uno etiam pharmaco, potenter satis, & ex voto operante, tolluntur. Neque juvat hic distinguere velle inter caussas morbificas, & inter productum morbosum: vel excipere, contenta illa praeternaturalia non semper esse caussam, sed utplurimum cruditatis ventriculi effectum, quae si specificis saporibus aliisque appropriatis, & absorbentibus corrigatur,

gatur, & ipsa morbosa semina destruantur, nullum amplius futuri novi morbi subesse periculum. Haec enim facilius dicuntur quam praestantur. Et quis negabit, quod ipsum productum morbosum caussae efficientis tandem induat naturam, quam nisi pharmaco tempestive exhibito mature averruncaveris, haud magnam de firmiori valetudine spem concipere licebit. E quibus abunde satis elucescit, injuriam fieri tum Naturae tum ipsis purgantibus, si ea promiscue proscribere velimus. Ne autem contradicere videat illis, quae alibi de purgantium abusu scripsi, omnem puto facile dirimi posse litem, si ea quidem admittamus pharmaca; quorum virtutes primarum viarum terminos non praevaricantur, & quae intra hos terminos agitata pensum absolvunt. Cane autem & angue pejus devitemus illa, quae hos limites superant, atque substantialiter massae sanguineae confunduntur. Quippe purgatio debet esse excretio quodammodo saltem violenta, & coacta, qualem natura sedata cunctanter, & ex intervallis instituit. Quod si omnes rationum syllogas contexam, atque ratiocinationis scrinia excutiam, eo tamen omnia collimare video, duos videlicet purgatoriae efficaciae gradus admitti; tertium vero proscribi debere. Equidem praeclare *Willisius* tres purgationis medicamentosae species constituit, quarum prima est, quando propter intestinorum fibras nerveas leniter proritatas, carneae supra morem solitum paulo crebrius, & strictius contractae, contenta quaeque laxiora celerius e parte in partem promovent, & demum blanda ἐκσπερῶσι foras ejiciunt: in secunda autem humores quidam alii e poro bilario, ductu pancreatis, & vasorum osculis, a pharmaco vellicatis expressi una cum alvi faecibus deturbantur. In tertia denique tum ductus hi vehementius proritati, humoris cujusque generis copiam majorem in cavitates intestinorum profundunt; tum insuper e sanguine propter admissas pharmaci particulas suso, & praecipitato, & per consequens etiam e succo nerveo, & partibus aliis materies recrementitia ad intestina per arterias delata expurgatur. Prioris generis pharmacis si destituamur, levis armaturae milites, imo inopes erimus in fugandis morbis: posterioris autem generis, hoc est, quae fortiora, calidiora sunt, & agitatoria vi, imo septica, praedita, exulare jubemus, & nunquam iis utimur: quo respexisse videtur ipse *Asclepiades* quando *Auctore Celso, lib. 5. in praefatione* medicamentorum purgantium usum magna ex parte sustulit, & quum omnia fere medicamenta stomachum laedant, malique succi sint, ad ipsius victus rationem curas suas transtulit. Mallem enim ego quidem alimentis curari, quam vehementioribus his pharmacis emaciari, neque enim ut venae incisae fluxum, quem superimposito digito mox sistes, sic profluvium alvi virulentis pharmacis excitatum sistere licebit. Quas cautelas eo confidentius auditoribus meis inculco, quo magis in propatulo est, Medicum in quovis actu purgatorio fama, & existimatione periclitari. His itaque ut consulat, paucioribus contentus sit purgantibus, iisque benignioribus, & quorum vires crebriori experientia sibi perspectas reddidit. Sic *Castellus* electuario suo diatartari, quo promiscue usus est, sibi fere soli inter Medicos Messanenses famam vectigalem fecit.

Sed videor tua, Vir celeberrime, patientia abuti, quare transitum facio ad encomium remedii antivariolosi; cujus stupendos effectus si examini subjiciam, vix ac ne vix quidem mihi satisfacere possum; nam locum hic habere videtur tritum istud, quod experientia quandoque superet rationes, & quod unum experimentum plus valeat, quam centum rationes. Reperies in opposita hac schedula difficultates contra methodum Sydenhamianam, & nostram motas, quas non ita pridem doctissimus Medicus, & Philosophus ex Gallia redux, & Bremam, quae ipsi patria est, tendens, suppeditavit. Tu Vir experientissime, in medium consule, atque quid sentias, benevole mecum communica, ut eo facilius nodum hunc Gordium solvere possim.

Aurea

Aurem mihi vellicat herba thee, quae nunc caput suum inter vegetabilia extulit,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Referam quae propriis his meis vidi oculis. Celeberrimus quidam Juris-Consultus febri lymphaticae, & ferinis catarrhis saepius erat obnoxius; accidebat subinde sputum cruentum cum respiratione difficili, & sudoribus nocturnis. Meo ex consilio tandem usus est potu thee, successu usque adeo felici, ut debellatis hostibus nunc meliori utatur valetudine. Huic exemplo addo aliud. Virgo formosa & pia, diu cum arthritide nodosa, tussi anhelosa, & semiparalysi conflicta, tandem post thermarum Embsensium usum confugit, me suadente, ad hanc salutis anchoram: nec fefellit augurium nostrum, quum ab eo tempore mediocriter valeat, & magna demum affulgeat spes, eam ex voto curatum iri. Quibus pensiculatis vix a me impetravero, ut credam, saluberrimum hunc potum fore noxium, sequentibus munitus rationibus. Aqua calida nec qualitate nocet, nec quantitate, nisi forte jam inveteratae, & contumacissimae in ventriculi, & intestinorum poris praeexistant obstructiones: prius facile probatur, quia non datur intemperies sanguinis humida, quae morbi auctor esse possit. Posterius pari probatur facilitate, quia partes lubricae, & flexiles in majori jam positae motu, qua data via se difundunt, vel per alvum, vel per vias urinarias, vel per glandulas cutis miliares egrediuntur. Unde infortunatos hos successus, quorum mentionem facis, non tam aquae calidae theisatae, quam atoniae viscerum, & contumacibus obstructionibus in acceptis ferendos esse existimo.

Grata quoque mente recolo illa, quae de felicibus Chirurgi cujusdam ausibus recenses. Sic enim quandoque juvat fortuna audaces, timidosque repellit. Optandum utique foret, ut nostrates Chirurgi paulo alacrioris essent in setaceis excitandis, quibus ego majorem vim revulsoriam, ut loquuntur, tribuo, quam caeteris Chirurgicis externis omnibus: tum quod setacea spiritus potentius afficiant, & humorum affluxum concitent: tum quod acriori lymphae perennem, & largum concedant affluxum. De Medicina hac efficaci egregie scripsit D. Franci in tractatu idiomate Germanico exarato, in quo docte & nervose utilitatem hujus remedii commendat.

Tandem ad naturam devenio, quam licet furca expellas, tamen usque recurret. Ego per naturam intelligo vel aetherem, a quo omnis, ut ex physica generali constat dependet motus: vel accidentium essentialium complexum, quae sub nomine formae recentioribus veniunt; motum puta, figuram, magnitudinem, situm, quietem, & a quibus omnes omnino operationes corporeae dependent. Haec est illa natura, quae quandoque criticas instituit despumationes, & excretiones. Haec sola est, quae assumta peregrina, & heterogenea in sanguine vel subigit, vel foras ejicit, ut rivuli inde diffusi circumjectos rigent campos liquidi, & suas duntaxat trahant undas.

Natura ducor ad peregrinum aetherem, ad cujus etiam nomen sensuales Philosophi aures arrigunt, cõtendentes, quando phaenomena per peregrinum explicamus aetherem, nos vel qualitatibus occultis parentari, vel eas pristinae reddere auctoritati, & existimationi, quum aeque nihil dicamus, atq; cum priscis in eodem haereamus luto. Enim vero maximum, puto, subesse discrimen inter aetherem alius motus, inter aetherem ex alius figurae, & magnitudinis particulis compositũ, & inter qualitates occultas quibus plane nihil dicitur; quum e contra cuivis planum sit & perspicuum, quid sit motus, quid figura & magnitudo; & quilibet facile intelligat, quod his variatis ipsae res varientur. Sed instant, ille peregrinus aether cujus quaeso est motus? cujus figurae? ℞. alius motus, alius figurae, propterea fluidum, quod hic peregrinus aether permeat, est alius consistentiae, alius coloris, alius saporis

poris alius misturae: hoc vero nosse, pro phaenomenis his explicādis apprime sufficit. Possum haec simili quodam vulgari illustrare. Solvit aliquis centū thaleros, cupio scire, an omnes sint imperiales? Est qui respondet se nescire: & ille hoc dicit, quod illi, qui rem per qualitatem occultam explicant: alter dicit esse thaleros alius monetae, esse nummos alius figurae, alius magnitudinis, & ille aliquid dicit, & quod mihi interroganti sufficit. Notari porro velim, quod eadem materia quandoque ob solam aliam determinationem dicatur peregrina, & quod sub diversae determinationis schematismo diversos plane in liquidorum familiis edat effectus. Si enim supponamus, eam hodie sanguinem nostrum permeasse secundum lineam rectam, cras autem novam accedere, cum determinatione ad motum spiralem, vel secundum contrarias dimensiones, absolvendum, nemo erit opinor, qui non insignem quandam in sanguine turbationem praesagiat. Et quae quaeso caussa est stupendorum istorum effectum fulminis? nulla profecto alia, nisi alia determinatio motus aetheris, consueto plane contrarii.

Sed pecco forte, Vir experientissime, fiducia arctissimae necessitudinis, quam mihi tecum esse vis, quod Soli lucem affundere audeam. Verum confides amico, quod haec non scribam, quasi sublimibus tuis cogitationibus facem praeferre velim, sed potius ut jussui tuo fiat satis, & lectorum animi varietate argumenti, & rationum delectentur. De meis enim nihil fere habeo, quod oculis tuis dignum esse censeam: non possum tamen, quin tecum communicem, quae celeberrimo Domino *Brunnero*, *Professori Heidelbergensi clarissimo*, *& amico meo singulari*, mecum dividere placuit. Ita ille: ne autem inanes hae ad te perveniant, quem rerum anatomicarum amantissimum scio, en tibi sequentem observationem: miles quidam ex Sereniss. milite. 34. annorum, artis suae coementarius, dolere coepit ex hypochondrio sinistro; mox idem elatius, & umbilicus elevari coepit, qui tandem ruptus fudit vim materiae faeculentae, cui intermistae erant ciborum indigestorum reliquiae, arilli, atque pomorum, quae famelicus devoraverat, pelliculae; quondam vivus exiit lumbricus. Tandem is fatis cessit. Culter sequentia detexit. In hypochondrio sinistro ingens cavitas horrida atque putrida, materia varia purulenta referta, existebat, inde cuniculus ducebat ad hypochondrium dextrum, ubi perforato intestino sub cholidochi insertione materia alimentaria effluxit, & in dictam confugem diffluxit. Aliquot praeterea in locis intestina tenuia perforata colluviem augebant. Sed quod inprimis notari velim, glaudulae duodenales ingenti specie superbiebant, majusculae, quam alias existere solent; infra insertionem ductus cholidochi, quemadmodum in aliis, visum subterfugerum. Huc usque *Brunnerus* noster. Ego si extra haec mentis lustrem acie, inflammationem quandam praecessisse auguror, lymphamque acriorem factam hinc inde perfodisse intestina, conjecto, e quibus assumta paulatim in cavitatem hypochondrii sinistri delapsa tumorem produxerunt. Glandulae quum nihil aliud sint, quam congeries vasculorum, ab humorum restagnatione, & quod forte a contentis, moram in digestoria hac officina non trahentibus, non amplius fuerint pressae, intumuerunt solito magis. Et dum haec scribo, occurrit memoriae casus in juvencula a me notatus. Coepit haec febricitare cum summa spirandi difficultate, tandem suborto circa umbilici confinia dolore atrocissimo, vix amplius erecto corpore jacere potuit: hinc incurvata plures per septimanas vitam miserrime traxit, donec rupto umbilico magna puris faeculenti, & stercorei copia plures per dies effluxerit: quo facto dolor cessavit, ipsum vero ulcus imposito emplastro consolidante tandem coaluit, & aegra in hunc usque diem bene valet.

Occupatus jam sum in praeparanda tinctura solis: calcar addidit celeberrimus *Crugius*, qui hujus aliquot drachmas a Chymico Helmontiano acceperat, eamque coram mihi ostendit cum largo virium encomio. Suspicabar salinum quid subesse,

ſe, id quod & celeberrimus D. *Crugius* jam ante me notaverat. Faciam itaque periculum, & praeparatam tecum dividam, ut & eam cum Doct. *Crugio*, communi amico, ſi apud vos adhuc commorabitur, ad experientiae obruſſam exigas. Quod ſi res pro voto non ſucceſſerit, aliqua tamen fortaſſe laudis pars erit ejuſmodi auſis excidiſſe.

Eo ipſo autem, quo ſub praelo ſudat epiſtola, ecce! tuas accipio litteras, in quibus quaeris, quomodo in gravidis objecti alicujus horridi imago in foetum tranſire poſſit? Et quare gravida, ſi hominem parte aliqua mutilatum cum quadam alteratione & pavore intueatur, poſtmodum in lucem edat infantem eadem parte mutilum? Cui quaeſtioni ut ex parte ſatisfiat, fulcimenta quaedam prius ponenda erunt, quum arduum hoc opus ſaltem adumbrari, & ſublimioribus meditationibus facilius attingi, quam verbis explicari poſſit. Itaque obſervandum erit, (1) quod fluida imagines rerum facile ſuſcipiant, ſicuti id in machinis hydraulicis, & in aëre luminoſo, paulo ante ſpeculum exiſtente, videre licet. (2) Quod ſtupendum illud flumen animale in noſtro corpore aeque certam aliquam radiationem, & curſus formam, hoc eſt, imaginem ab objecti & mentis determinationibus ſuſcipiat. (3) Quod in viſione vera objecti imago in fundo oculi depingatur, & quod occaſione hujus ſpiritus animales certam curſus formam nanciſcantur, ipſi imagini, in oculo depictae, ſimilem. (4) Quod inter motus & alterationes matris, & inter infantem in utero contentum adeo arcta ſit connexio, ut hic omnibus vehementioribus animi paſſionibus matris non ſine ſui periculo ſit expoſitus. E quibus apparet, quod mens ex aſpectu horridi alicujus objecti conquaſſata, & vehementer afflicta, ſpiritibus animalibus ſimilem jungat imaginem, ſive quod tunc mirabile illud cerebri & nervorum flumen a mente ad ſimilem curſus formam determinetur, atque totum corpus matris cum appendice, hoc eſt, foetu, fulminis inſtar tranſeat, huicque ad mollitiem, & flexibilitatem partium ſimilem imprimat imaginem. Enim vero aliquam adhuc ſupereſſe difficultatem eminus etiam video, de qua forte alibi pluribus: jam enim reddit memoria diſcurſum, quem cum quibuſdam Aulicis de Errhinorum efficacia habui, quos omnes pyxide naſali pulvere repleta inſtructos videbis, ut vel inter confabulandum iſtam naribus admovere poſſint; quod pro egregio habent capiti purgio, & mediante quo vel ex ipſo cerebro inutile phlegma evocari poſſe contendunt. Verum quamvis plenis plerumque velis ſeſe in laudes hujus medicaminis effundunt, nondum tamen video, quomodo illud aliquas ſaltem ipſi cerebro afflare poſſit vires, vel ſcorias inde evocare: quum primo nares ipſo cum cerebro, cranio, ceu moeniis cincto, non ita cohaereant, ut ipſo ex cerebro, aliquid ad nares tranſportari poſſit, idque ſolitis jamdudum evicit rationibus, & demonſtrationibus doctiſſimus *Schneiderus*. (2) Agunt errhina tantum in glanduloſam narium membranam, & ex hac, quicquid humoris ibidem a ſanguine depoſitum eſt, attrahunt. (3) Illud quod e glandulis excutitur, non eſt merum excrementum, ſed lympha pro irrorando olfactus organo a ſanguine arterioſo ſegregata. Neque enim natura adeo ſordida fuit, ut cloacam juxta alimentorum & vocum portam conderet. Quod ſi inde mucus quandoque excernatur, id vitio ſanguinis, vel alternationi lymphae a cauſſa externa factae dandum. Perſae ſane non male ſputatore pro vorace, & ventrem curante habuere; quo reſpexiſſe etiam videtur magnus *Hippocrates in aphor. 2. ſect. 7.* dicens: *quibus nares humidiores natura, iis minus perfecta valetudine fruuntur.* Habent tamen nicotianae Patroni, quibus oſtendunt, ſe emunctae naris eſſe homines, quippe argumentantur a copia phlegmatis beneficio errhini e capite attracti. Sed falluntur, quum illud quod rejiciatur, vel corrhini productum quoddam ſit, quia glandulae a ſpiculis erroſivis nicotianae vellicatae continue lachrymantur, atque vel invitae lympham reddunt, quemadmodum oculi lachrymas effundunt,

dunt, quando festuca illabitur, & humorum affluxus concitatur a spina infixa, vel est humor aliquis degener jam in glandulis restagnans, e cujus per nares evacuatione parum vel nihil iuvaminis cerebro vel sanguini accrescit. Interim dandum aliquid genio, affectui, & consuetudini.

Ex Belgio habeo, quod Dominus *Nuck* factus sit Professor anatomiae in Leidensi Academia, quo parem in detegendis, & monstrandis minutissimis vasculis lymphaticis nulla vidit aetas. Typographus noster & tuam & meam epistolam typis recudet. Dabo itaque operam, ut sphalmata, quae me absente irrepserunt, in secunda editione emendentur. Audio esse obtrectatores quosdam, qui quum in realibus non habeant, quod in prima mea epistola ad te data suggillent, puerilia quaedam objiciant, & nonnulla, quae grammaticam spectant censoria castigent ferula. Nempe a firmiori clavo his pendet Dasypodius, & sub Prisciani larva crassam in realibus occultant ignorantiam. Verum! mihi quidem non fit injuria, qui nomina propria in jus nolui in vocativo pronunciare in I, sed in IE, quod antiquitatem pro me haberem, & quum amicus post celebratum actum me de ea re moneret, festive respondi, me nolle id mutare: imo indecorum mihi fore, si cui concessa esset potestas creandi Doctores, non liceret vocativum majoris Euphoniae gratia pronunciare in E. Nam non sum vasallus grammaticorum. Neque etiam in verbis ita curiosus sum, meque legibus adstringi patior, ut iis quicquam placere morarer, qui si vel tenuissimam quamvis particulam legerint, quam in ipso Cicerone, aut non omnino reperiunt, aut sitam alio periodi loco, quam quo ipse posuit, Getas denuo & Vandalos, ipsam Lamplandiam in Italiam irrupisse vociferantur. Interim nolo ego illis invidere, si ex his puerilibus quaestum quaerere possint, qui abunde satis novi, quod hi obtrectatores, & degeneres vocativi vix tria verba memoriter latine proferre possint. Sibi tamen docti videntur, quia nisi quod ipsi sentiunt, nihil rectum putant. Recordor historiae Bocalini ex Parnasso. Ingens aliquando oriebatur in castris grammaticorum tumultus, confluxerunt omnes, visuri quid rei ageretur, Ecce Manutius disceptabat cum alio de verbo consumptum, an cum P, an sine P, rectius scriberetur? Adversarius pervicaciter contradicebat, & auctoritatem rejiciebat. Irritatus his Manutius saxo antiqui alicujus monumenti Romani fragmento, quod inscriptum tenebat consumptum cum P, involavit in ejus faciem, ut miser ille Grammaticus fere exanimis concideret. Ignosce, Vir experientissime, quod te hoc joco detinuerim. Vale! & me totum tuum amare perge. Dabam Marpurgi die VI. Octobris, Anno M DC LXXXVII.

D. JOHANNIS DOLAEI, EPISTOLA II.

Ad
Celeberrimum
VIRUM
DN. JOHANNEM JACOBUM WALDSCHMIDT
Varii argumenti.

VIR EXCELLENTISSIME.

Est in praxi medica prudentia, & solicita omnium agendorum exploratio summopere necessaria, quo certi existamus, nihil a nobis ullibi committi omittendum, aut negligi observandum, sicque nec temere, nec timide incedendo, ob gesta nostra tranquilla & pacata ubivis fruamur conscientia. Maxime vero tali studio indiget consilium de instituenda purgatione, qua sinistre instituta tot saepe in oeconomia animali excitantur turbae, & machinae humanae destructiones, ut magno molimine damna inde contracta postmodum vix resarciantur, saepe ad ipsum corpora protrudantur interitum. Quam primum enim catharcticum in corpus assumtum est, remedium dicam, an venenum? non est ulterius in potestate Medici illud coërcere, aut ita dirigere, ut istud solummodo operetur, quod sibi praesumsit, sed prout succi in intestinis, reliquisque vasis sunt dispositi, & aether noxius pharmaco inhaesit, majores, vel minores excitat aestuationes, spirituum profligationes, glandularum erosiones, fibrillarum vellicationes, & rupturas, ut periculum inde emersurum longe excedat utilitatem quaesitam. Et quis tanta mentis claritate & acumine penetrantissimo pollet Medicus, ut cujusvis hominis contenta omni tempore, uno eodemque rapidissimo intuitu sufficienter queat rimari, satisque exacte dignoscere, quantis ea gaudeant poris, quales aliarum particularum eosdem occupent anguli, quot ramulis obvolvantur iidem, quantum deficiat phlegmatis, & collectum sit materiae terrestris? Atque hinc in momento eligat remedium quodvis excedens temperans, corruptum & alteratum corrigens, amissum restituens, abundans imminuens, vitiosum eliminans, haecque omnia effecta tam brevi det tempore, quo catharcticum in corpore trahere conspicitur moram. Sane qualem inconvenienter vulgo exhibeantur, dum indiscriminatim porriguntur purgatoria haec impura, commonstrant supervenientia symptomata horrenda, tormina nempe intestinorum immania, nausea, horrores, hyparcatharses, convulsiones, dolores artuum tremuli, ustulationes & rubedines faciei, succorum interiorum destructiones, & inde pronatae acrimoniae & incendii indices. Quin in quibusdam subjectis etiam fortiora exhibita, ne cujusquam humores promovent effluxum, sed tormina solum & flatus procreant molestos, a quibus antea homines existebant immunes. Rectius proinde agere dicendi sunt Medici illi, qui in exhibendis purgantibus sunt tenacissimi,

cissimi, & difficilius eadem ex manibus dimittunt, quam clavam suam quondam sibi eripi passus fuit Hercules; raro enim iisdem indigemus, quum quodvis superfluum & fibris intestinorum molestum, correctis, & in debitum statum reductis succis vitiosis, a spiritibus corroboratis per vias convenientes ejiciatur. Et quamvis interdum hoc tardius procedere videatur, si tamen remediis idoneis materiae peccanti obviam itur, succi austeri corriguntur, viscidi inciduntur, attenuantur, & intestina rigidiora redduntur lubrica, citra tumultum catharcticum alvus adstrictior facile solvetur. In iis quidem, qui plus fere quotidie ingerunt, quam digerunt, saburrae molestae imminutio habetur necessaria, sed & hic caute expulsio illa est instituenda, ne fortiori exhibito purgante copia illa fermentata vehementius commoveatur, unde non modo impetuosus excitabitur effluxus, sed fermenta spirituosa ventriculi & intestinorum antea suppressa, omnimodo jam destruentur, & exstinguentur. Fateor hominum nonnullorum perversitatam nullas diaetae regulas admittentium, cum abstinentia, & viscerum corroboratione noxam hanc emendare queant, Medicis quandoque extorquere ventrem solventia remedia, quibus a sarcina liberentur, iisque in praecipiti malo annuendum esse, ne retenti humores vitiosi per venas lacteas, reliquasque vias consuetas ipsi cordi & toti massae liquorum circulantium communicentur: at exempla haec specialia nullam nobis obtrudent regulam, & nos adeo reddant securos, ut vehementiora propinemus exturbantia, quum minime hic adstipuler ipsi *Bontekoë*, acerrimo alias purgantium hosti, in morbis vero a sero abundantiori oriundis eadem in longiori dosi dimetiendi, siquidem in festinatione ista vix observabitur, quem malignitatis gradum attigerint succi vitiosi, quae peccent figurae, & quomodo fibrae cum spiritibus sint dispositae, ob quam obscuritatem diversi haec remedia sequuntur effectus, & quam inconsiderate saepe sint adhibita, exitus tragice manifestat. Tutior esset via, ut helluonibus hujusmodi serio prohibeatur ingluvies, & ex certis signis, Practicis exercitatis apprime cognitis, investigetur primario in visceribus peccans, quo correcto, & a scoriis separato, hae facile segregentur, & a motu intestinorum peristaltico corroboratis spiritibus rite procedente commode excernantur, quod longe aliis, quam cacatoriis istis remediis vulgaribus feliciter obtinebitur. His tamen sedulo observatis, si nihilominus exercendis mora quaedam videatur, ex prudentissima tua admonitione liceat mitiora in subsidium vocare alvum ad officium redigentia medicamina, a quibus ne minima quidem timenda est noxa, in quorum pro subjectorum diversitate electione tantus saepe Medicis suboritur labor. Sed quis fidelissimis sanitatis custodibus vetabit, si praefractarios & immorigeros nonnullos omnem a se longe repellentes legem, & luxurie sua putridos in utrem suum cumulando succos, eundem ad disruptionem ferme adinflant, quos nulla mitior juvabit medela, in purgatorium quandoque rejiciant? donec superfluum fuerit absumtum. & residuum impeditius in statum convenientem & sanum restituatur, quandoquidem & liberalissimus rerum omnium Creator requisitis ad opus hoc purificationis iisdem largissime prospexit. Sed quis negabit? quorundam inconstantiam & insatiabilem ardorem habendi ad eorum classem etiam eadem rapuisse, quae, si intimius examinentur, longe alium in arte nostra haberent usum, quam noxias in corpore excitandi turbas, de quibus post haec pluribus agendi, & differendi forsan dabitur locus. Ad haec in abundanti sero diaphoretica potius & diuretica in usum ducenda sunt, quam alia; citius enim inundationes ejusmodi illis absumentur.

Crassioribus vero intestinis ex induratis scybalis si facta sit stagnatio, & exitus ante consuetus praeclusus, obstructio haec aut jusculo pingui, cum aliqua cremoris tartari, & salis alcalici portione acuato, aut clystere est solvenda, quamvis posteriores *Helmontio* pudendum vocentur medentum subsidium.

Venae-

Venaesectionis omnimoda praescriptio minus mihi videtur commoda, & e re fore aegrorum, quam purgationis, toties enim salutarem ejusdem ipsis hisce nostris oculis conspeximus usum, maxime in sanguinis stagnatione, pleuritide, mania, apoplexia, corporis consumtione, ex nimia succorum acrimonia & aestu, tum etiam si aliter fieri nequit, ut massae sanguineae constitutio nobis fiat conspicua. Attamen, quamvis non semper tanti aestimemus quorundam haemophobiam inanem, pretiosus hic vitae thesaurus in quovis aegrorum non est inconsiderate effundendus, & canales ejus pertundendi, sed remediis idoneis minori cum virium defraudatione caussa noxia in succis & sanguine occurrit averruncanda. Nonnunquam in casu praecipiti nequicquam alterius remedii insinuari potest, & ad solam venaesectionem, tanquam salutare aliquod fugiendum asylum. Sic ante tempus quoddam non adeo longum in Principe Serenissimo Darmstadino, magno cum sanitatis emolumento ea hic locorum celebrabatur, isque ex orci quasi faucibus felicissime eripiebatur. Econtra nuper suasu Chirurgi gravida, & quidem plethorica, vulgo sic dicta, medio gestationis tempore venaesectionē instituit, quae foemina sexto mense abortivit, & infans erat emaciatus & sphacelatus. In hac sane venasectione sanguis & reliqui liquores nimium fuere commoti, & foetui debitum subtractum nutrimentum, unde gravidis ista sanguinis eductio medio tempore non est commendanda.

Sequens hac currente septimana hic contigit casus. Uxor civis hujus urbis de scala in terram ruit, & infra genu musculos omnes cum nervis laceravit usque ad os; ex vulnere forsan ob terrorem nulla prodiit sanguinis guttula, Chirurgus deligat vulnus more solito, quarto vero a vulnere die, aegra nullum in tibia percipit sensum, pes quoque flavescere incipit: ego accersitus ob instantem sphacelum locum scarificari curavi, hinc adhibitum fuit decoctum calcis vivae cum spiritu vini camphorato, sed absque levamine, tandem cataplasma ex scordio, carduo benedicto, semine lupinorum & camphora paratum calide applicatur, a quo cataplasmate illico sensus & vita partis redibat, & sic aegra simul exhibitis internis sudoriferis, ad statum longe meliorem disponebatur. Absque dubio hoc in casu, ob nervos laceratos succi subtilissimi partes reliquas influere nequiverunt, & hinc motus & sensus fuit privatio. Sphacelus enim nihil aliud est, quam mortificatio carnis, uti cancer est mortificatio glandularum, & caries ossium, vasis enim magnis discissis necessario talis mortificatio oborietur. Equidem omnes totius machinae nostrae partes continuo sanguinis & succorum effluxu, & refluxu gaudent, a quibus si destituantur, pereunt.

Enumerandum nunc casum, quem mihi communicavit Medicus celeberrimus, Dn. D. J. V. Hoogmade, Practicus Lugduni Batavorum felicissimus, tibi pro communicata observatione anatomica reddere placet, ut tuum, Vir experientissime, de eo aperias judicium, quum inter casus rariores, me arbitro, merito numerari posset. Praetoris alicujus uxor, in vico N.N. quum gravida facta esset, puero suo adhuc lactante, necesse habuit ablactationi operam dare. Accidit illo tempore, ut mamma dextera ad vesperam cum dolore plurimum tumeret exsuctricis negligentia, nihilominus tamen in lectum sese contulit; quid sequitur? mane mamma prorsus detumuerat, lacte in os copia prosiliente. Quarto gravidationis mense quum malum perduraret, a celeberrimo Dn. D. J. V. Hoogmade consilium petiit, aliorum Dn. Dn. Medicorum auxiliis incassum adhibitis. Ille vero judicabat, quoniam patiens fatebatur, se sine incommodo scaturientem illum lactis laticem facile deglutire, curam posse differri, idque sine noxa, quum lac in nutrimentum abiret, & haud facile posse hunc rivulum, absque novi lactis productione, tuto derivari, exsiccarive, quod tamen verosimiliter, uberibus lac de novo fundentibus, sponte sua secuturum. Praeterquam quod incrassantia, acida, austera,

ra, terrestria, quae imprimis e re hic forent, praegnantibus sine metu exhiberi nequeant. Vero minus absimile videtur, tubulis & sacculo lacteo materia consueta ita repletis, ut nullum ulterius a glandulis secretum liquorem suscipere valuerint, una cum sero e communi massa per arteriolas ad glandulas, pro faciliori per eas praestanda filtratione, delato, copiosiorem chylum, lactis materiam proximam, a vasis lymphaticis fuisse receptum, & per ramulos quosdam salivales in os ipsum delatum, idque eo promtius, quod serum intermistum per consuetos suos ductus chylo patulam reddiderit viam, hicque per accommodatum illum transitum copiosius adfluxit, & sputatione largiori fuit excretus. Mammae vero eo facto cito detumuerunt, quod lac in tubulis diutius ante retentum mora ista aliquantum fuerit commutatum, assumta quadam acrimonia, seu sublimatis particulis acutioribus, & regressum e sacculo lacteo circa papillas existente per tubulos glandulas repetierit, ex iis vero in vasa antedicta fuerit ablegatum, quum vero liquor hic crassior fuerit, quam lympha secretior & purior, ejusdem emissio sine aliquali fibrarum ductus ipsius, & membranarum adjacentium distentione peragi nequivit, unde dolor iste in excretione lactei ipsius liquoris per os, a foemina illa perceptus, suos acquisivit natales. Imminuta ita aliquantum copia, residuum per venas ablatum, & tandem ad uterum, ipsumque foetum pro ipsius nutrimento fuit reductum. Sic nobiscum sentit celeberrimus Dn. D. J. V. HOOGMADE, cujus ideo litteras, quas haud ita pridem de hoc casu ad me dedit, apponere placet.

JOHANNI DOLAEO

Ἀρχιατρῷ,

J. V. HOOGMADE, M. D.

S. P. D.

Quamprimum per ornatissimum, & ob morum elegantiam mihi jucundissimum Virum Juvenem Dominum KURSNERUM *intellexi, expositionem communicati casus, nimirum excretionis lactis per os, desiderari, nolui ullum officium in me claudier. Quamquam probe sciam, nihil a me posse proferri, quod tibi Viro omni scientiarum genere excultissimo, notissimum non sit. Documento est nupera tua* ἐγκυκλοπαιδεία, *ad quam quum reflecto,* τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί ὑςάτιον καταλέξω; *sive enim advertam mentem ad tuam mira elegantia, tam antiquorum, hodiernorumque, collectam theoriam & praxin, quam propriam utriusque adjectam doctrinam, necesse est me omnia ista tua suspicere. Desin[illegible]o, ne videar laudes tuas deterere. Ad casum quod attinet, primum notari velim, lac quod naturae lege in mammis lactantium ope glandularum secernitur, in non lact[illegible]bus, per vasa lymphatica reduci, aut in sanguinem, aut in ductum chyliferum, aut in cavitatem aliquam corporis nostri ad illam humectandam Minus enim est, quod illo tempore secernitur, & qualitate tenuius. Ratio est, quod vasa & glandulae mammariae ob notas caussas minus turgeant. Hisce positis, suspicor in hoc casu, quum lactis copia mamma turgeret, lac per ductum lymphaticum sibi viam fecisse, & in ore sese exonerasse. Haec mea est opinio, si tibi Medicorum Principi placebit, summe gratulabor, sin minus, in spongiam incumbat, aut mini tatulis tu is ceris nocet ur etiam atque etiam rogo. Vale Vir celeberrrime,* καὶ τὸν φιλοῦντα ἀντιφίλει.

Dabam Lugdun. Batav. XII. Novembr. M DC LXXVII.

Ob

Ob materiae similitudinem hinc ad lactis istam absumtionem in puerperis quibusdam lactare nolentibus externis topicis comparandam, observationem quandam mihi suggerente clariss. D. *Vogelsangio*, amico singulari, permissu tuo paucis nunc divagabor. Suasit is aliquando Francofurti foeminae juvenculae, a morte filioli remedium aliquod lac, quo valde abundabat, absumens domesticum & facile parabile desideranti, ut cataplasma ex foliis apii contusis utrique imponeret mammae e regione papillarum; haec vero aut male perceptis, aut ob alias interea occurrentes cogitationes oblivioni traditis hisce verbis, seducta vocabulo Germanico *appia* loco apii imponi folia hederae, sive singulis diebus recentia, ut in fonticulis fieri assolet, prioribus substituens. Paucorum inde dierum intervallo voti sui haec ita reddita fuit compos, ut non modo lactis ille fluor fuerit sedatus, sed mammillae omni tumore liberatae in concinnam, compactam. Virginibusque satis decoram repositae fuerint figuratam magnitudinem, ut remedium hoc non parvi sane habuerit pretii, paucisque suis familiaribus saltem aestimaverit communicandum. Facta vero a tempore isto tertia vice puerpera, loco prioris abundantiae summa semper laboravit lactis penuria, unde parvuli sufficiens quaerentes nutrimentum, nec invenientes, suctione fortiore papillas excoriarunt, materque nutricem iisdem parare fuit coacta. Sed & hujus molestiae pertaesa, tempore puerperii per litteras ad praelaudatum D. *Vogelsantium* instantibus solicitavit precibus, ut & aliud manifestaret tandem subsidium, quo fons ille lacteus suppressus denuo reseretur, qui decoctum florum sambuci, & seminis foeniculi, cum lacte vaccino paratum, calidiuscule, aliquoties in die bibendum praecepit, interjectis aliquando guttulis aliquot spiritus salis ammoniaci foeniculati, subjunctis externis quibusdam topicis, quibus tamen minime indiguit, sed solo decocto & spiritu antedicto tantam sibi paravit copiam lactis in mammis propriis, ut vicinae ubere grandiore in nutrienda sua puellula facile caruerit. Inquisitionem ulteriorem merentur medicaminum istorum operationes, sed occupationes graviores acceptam de iis memorati jam amici depromere cogunt sententiam. Existimat ille, constare medicamenta talia particulis quibusdam volatilibus subacidis, quae a calore commotae dilatatos mammarum poros subingredientes per fibrarum interstitia ad glandulas usque percurrant, ibidemque succi chylosi ex arteriolis accepti & lympha praegnantis celeriorem & vehementiorem agant praecipitationem, atque totum fere fundant in lympham, hancque per ductus consuetos facilem reperire effluxum, & ad salivares distribui, maxime quod animadverterit in foemina ista postmodum & fluorem album, & salivationem in affectu febrili, ob moerorem quendam contracto, larga copia & diuturniore mora esse commota. Tubulorum vero lacteorum, aliorumque vasorum fibras a particulis quibusdam angularibus rigidioribus comprimi ait, sicque eorundem meatus, & oscula angustari, ne tantum eo tempore adsumant, quam antea, donec successive eidem ingressuro nullatenus obediant. A particulis vero porosioribus, quibus medicamenta simul praedita sunt, subtilioremque continentibus materiam, separatarum a lympha percolata reliquiarum spissiorem prohiberi coagulationem, earundemque particulas a materia subtili, simul ingressa, tamdiu agitari, donec figuras adipiscantur satis accommodatas foraminulis glandularum, per quas cum lympha temporis successu absque difficultate graviori elabantur. Promovetur equidem medicamentorum lac minuentium virtus, qualia sunt apium antedictum, folia & semen viticis, petroselinum, cherefolium, mentha, semen cumini, coriandri, &c. maceratione in aceto, aqua & vino, unde conspicuum fit, angulares aceti spiculas salibus simplicium istorum volatilibus medicatas & corroboratas, tum praecipitationem succi, tum compressionem fibrarum peragere, quo utroque lactis ad tubulos prohibetur accessus: vice vero versa dilatantur cana-

les, & lactis promovetur proventus remediis valde porosis, quodvis angulare absorbentibus, copiosam materiam subtilem ingerentibus, & spirituum transcursum facilitantibus, qualia sunt alkalia spirituosa, & salia quaedam volatilia oleosa maxime temperata. Hederae arboreae folia diversis valde particulis, sibi invicem intercedente succo crassiore terraqueo combinatis, constare, probat eorum perennitas; etenim & solis aestum, & hybernum frigus perpetiuntur, nec succo & colore privantur. Nullum nobis est dubium, eadem, si accuratiori examini chymico subjicerentur, & copiosum alkali, & acidum spiritum, cum particulis hamatis, angularibus, ramosis, terrestribus, & phlegmate esse exhibitura, & hinc non modo diversa praestare poterunt effecta, verum cuivis etiam aliarum particularum occursui resistere.

Setaceum nobis hucusque magis arridet, quam fontanella, quae nihil aliud est, quam ulcus artificiale, cujus puris effluxus non ab omni parte corporis, uti plures existimant, sed in ipso hoc ulcere producitur, a succo nimirum chyloso, seu nutricio, ex vasculis in ulcere ruptis emanante, & ob acoris contractionem coagulato. Poterunt itaque auxilio cuidam esse partibus quibusdam vicinis a particulis heterogeneis acrioribus, aut crassioribus, succo nutricio immistis, damnum, aut molestiam quondam perpetientibus, quae tali ratione egeruntur. Suasi nuperrime matroni cuidam nobili, post febrem malignam ante semestre superatam, ad quam abigendam ipsemet tuas meis consociabas manus auxiliares, dolorem in palpebra satis dirum cum motus difficultate sufferenti, & quam nulla ad hoc usque tempus juvarunt remedia, setaceum nuchae trajiciendum, cui non parum adscripsissem juvaminis, at delicata nimis, dolorosam hanc rejecit medelam, solum expetens fonticulum in brachio perfodiendum, cui petitioni omnino nolui abnuere, quale vero commodum iste in hac sit allaturus, dies posthaec edocebit. Gallis Medicis in ejusmodi oculorum affectibus solennis est auris apicem perforare, foramine radicis thymeleae frustulum infigere, ac quotidie bis, mane scil. & vesperi radicem mutare, & recentem indere, & maximo cum emolumento copiosum inde serum effluere ajunt.

Exempla felicis tuae curationis potu theae praestitae, quae allegasti, non minus aurem mihi vellicarunt, ut una cum Pharmacopoeo nostro aulico, *D. Caspare Rheinboldo*, Chymico versatissimo, herbam intimius examinaverim, atque pluribus ex institutis experimentis cognovimus, herbam hanc continere multum salis alkalici nitrosi, & sulphuris subtilissimi. Experimenta vero ista hactenus fuerunt sequentia.

1. Herba theae in aqua fortiter decocta spumam projicit instar aquae, in qua sapo concoquitur, aut dissolvitur.
2. Extractum theae ab immisto acido dulcedinem acquisivit insignem.
3. Infusum ejus ab admisto cremore tartari cum sonitu, & susurro ebullivit.
4. In lacte, cui herba haec incocta fuerat, ab instillato spiritu acido difficilior excitata fuit praecipitatio.
5. Inter diversarum herbarum infusa nullum tanta superbivit rubedine sanguinea, quam ipsius herbae theae.
6. Herbae hujus pondus juxta mensuratam proportionem longe excedit alias herbas.
7. Prae aliis herbis ex hac citius cum aqua simplici extractio instituitur.

Hinc potum theae non omnino improbandum esse censeo, sed in morbis pluribus, modo excessus vitetur, magnifaciendum, imprimis in calculo, quia ob nitrosas particulas alkalicis commistas vim diureticam obtinet, in asthmate quoque, paralysi, apoplexia, lethargo, febribus intermittentibus, mictu cruento, stranguria, aliisque morbis, ubi sanguis & succi circulantes existunt crassi & viscidi,

quia eosdem maxime diluit, & ob calorem aquae per omnes ductus transit, eosque ad circulationem incitat. Sed ex nostro regno vegetabili meliora, aut pares effectus praestantia substitui posse, quis est, qui dubitat? Potum vero Coffe, ob vim absorbentem, & alkalicam, qua praeditus esse percipitur, potui theae plures praeferunt, & majori cum commodo utuntur. Nonnulli cum emolumento in potu theae assumunt essent. absinth. compos. cum essent. ambrae vel sal volatile oleosum, ut magis penetret vis illa alkalica theae. Omnes autem potu hoc abutentes liberrime fatentur, corpora sua frigori minus resistere, quam antea, sed magnum inde percipere incommodum.

Tincturam auri promissam exspecto avide, quamvis ejusdem descriptiones variae hinc inde exstent: sed quoniam haec in externis ulceribus egregiam navat operam, prout ex ore celeberrimi Doct. *Crugii* accepi, si in praxi spei de se conceptae satisfecerit, in Encyclopaedia mea Chirurgica non postremum merebitur locum. Audio in Helvetia artificem quendam existere tincturam hujusmodi parantem, quae omnis odoris & saporis expers nil nisi purum putum prae se ferat aurum fluidum, ita ut charta ea depicta post exsiccationem nitidissimum exhibeat aurum, in corpus vero exhibita singulares procreet effectus, ejus vero praeparandae modu m adeo habere in secretis, ut nullis precibus hucusque vel intimis alioquin amicis eandem manifestari permiserit.

Chymici omnes mirantur liquorem meum, Mercurium in momento in argentum commutantem, & ita fixantem, ut omnes sustineat probas.

Ex spiritu tuo cephalico volatili oleoso egregias experior vires in omnibus morbis cephalicis, eoque plures morbi contumaces sunt curati, hinc multi ejusdem desiderant descriptionem, quam tamen ob Empiricorum astutam fraudulentiam haud facile communicandam esse moneo, quia hoc tempore Empirici Medici a magnatibus vulgoque nobis dogmaticis seu rationalibus longe praeferri solent.

Retulit clariss. D. *kelnerus*, Northusae jam praxin exercens, amicus meus sincerus, de muliere quadam fatua pro incantata habita, assiduo garriente, ridente, noctesque diesque laborante, quae per vomitum, & secessum lacertas, vermes, muscas, araneas, per urinam vero pediculo excrevit. Quid dicendum ergo de insectis hisce, num in corpore ex ovulis progenerata sunt an a sagis Diaboli adjumento corpori hujus mulieris fuerunt insinuata? Ex ovulis progenerata ea statuere velle, in hac aegra minus procederet, & vix ullum mereretur assensum. Quum enim ova lacertarum majora sint, quam ut integra cum cibis deglutiri possint, adhaec, animalcusa haec, ut caetera insecta, cibos aut potum genitura sua minus adspergant, quoniam in dumetis potius & desertis, quam in urbibus, & hominum domiciliis degere solent, de eorum productione ex ovulis in ventriculo vel intestinis, res si non impossibilis & assertum falsum, difficilis tamen ea, & hoc dubium apparebit. Ex altera autem parte, summa quidem mille-artificis est astutia & potestas DEO permittente, mirum tamen videtur, quomodo aegris non sentientibus animalcula haec viva in corpus ingerantur, & tandem illaesa denuo per vomitum, alvum aut urinam expellantur. Forsitan diversis modis miseris ista ab infernali hoste intercedentibus ministris suis per os immittuntur, majora dormientibus & proinde minus advertentibus, minora aut jam exclusa, aut per ovula excludenda cibis aut potibus, interspersa. Sed summa difficultas est de rebus inanimatis certo cuidam membro exteriori ingestis, ut hic Cassellis quondam fuit puer, qui post tumorem, & dolorem in genu vehementissimum continuo affligentem, & claudicationem inferentem, adhibitis cataplasmatibus, & emplastris emollientibus ac pus moventibus diu continuatis, rupto tandem abscessu ejecit frustula pannorum diversorum colorum, aciculas, fila varia linea & sericea, muscas majores, subcoeruleas, viridiusculas, rubras & cantharides. Potuerunt ne

pori

pori cuticulae, cutis & interstitia fibrarum musculosarum ita dilatari artificio Diaboli, & res nominatae in tantum attenuari, ut parti commode fuerint immissae, & reclusis poris ibidem retentae? Sed non faciamus tanti infernalem illum hostem, ut operum ejus inquisitioni ulterius inhaereamus, potius summa in DEUM fiducia, & precibus assiduis est contemnendus, ita enim facile opera ejus divino adjumento destruemus.

In Batavia solidiora nunc constituuntur ex Anatomicis Chirurgiae fundamenta. Ex relatione enim Doct. kursneri, Lugduni, ut nosti, jam commorantis, etiam Chirurgis ibidem omnes affectus, perspexi, in morbos dividi partium fluidarum, & solidarum. Morbi partium fluidarum illis sunt sanguinis cacochymiae & turbationes. Solidarum vero obstructiones, & pororum laxitates aut constrictiones, vel fibrarum diruptiones, & abruptarum extremitatum crispaturae seu cincinni. Ideoque basin, & subjectum inhaesionis praebent ipsis morbis, tum partes fluidae, sanguis nempe, succi reliqui & spiritus, qui variis heterogeneis interdum conspurcantur aut turbantur, tum partes solidae, quibus nil nisi canaliculi intelliguntur, adeo, ut totus homo unus quidam continuus existat tubulus, instar arboris ex uno quodam trunco inferiori in summitate ramos multos & varios projicientis. Stirps omnium vasorum statuitur cor, arteria enim ubi terminatur in cerebro, abit in glandulam, ex glandula fit filamentum, ex filamentis nervi, hi vero per musculos reliquasque corporis nostri partes distribuuntur. In renem transiens arteria itidem primo mutatur in glandulam, ex glandulis prodeunt filamenta seu canaliculi, ex hisce fiunt carunculae, ex carunculis ambliatis pelvis, ex pelvi coarctata ureteres, ex hisce dilatatis vesica, & sic deinceps. Musculi oriuntur ex arteriarum extremitatibus in fibras abeuntibus, & laxe combinatis. Fibrae hae arcte juxta se invicem appositae constituunt tendinem, adhuc magis coarctatae ligamentum, firmius tandem junctae, & proxime appositae cartilaginem, & os ipsum exhibent. Ubi desinit arteria, ibi vel glandula est cum vase suo excretorio, vel vena sanguinem reducens. Hoc modo omnia in corpore nostro constant ex tubulis, adeo ut membranae, ossa, dentes, periostium, nihil aliud sint, quam canaliculi minutissimi, juxta se invicem diversimode appositi. Dolor proinde ostocopos non ossibus, sed periostio, membranae tenuissimae ex filamentis juxta longitudinem extensis est adscribendus. Omnes autem tubuli ex uno tubo ceu stirpe oriuntur, neque differunt, nisi ratione porositatis liquorumque, quos vehunt. Circulatio quoque liquorum variis probatur experimentis. Ita si musculus juxta longitudinem fibrarum dissecatur, nihil vel parum sanguinis effluit; si vero transversim dissecatur, sanguis copiose extillat, quia tunc omnes fibrae discissae sunt. Instituta in fibras musculi injectione, videre licet, quomodo liquor in ipsas venas transeat, & sic per omnes corporis nostri partes humores circulantur. Certum itaque erit, nullum vulnus, ulcus &c. esse, quin adsit dilaceratio tubulorum, hincque stagnatio humorum. Ex morsu pulicis oritur inflammatio, quoniam pulex discindit tubulos sive fibrillas quasdam, quae tunc in cicinnos abeuntes humores effundunt, qui stagnantes levem talem producunt inflammationem. Ictu vespae solae laeduntur fibrillae ramosae, non vero penitus discinduntur, unde pessima illa emergunt symptomata.

Obvenerunt mihi in Republica Litterarum inventa, & ratiocinia nova *D. Jacobi Sylvii* de febribus, quae cum Beati *Bontekoë* opinione fere conveniunt, & quum haec, me judice, digna sint lectione & ulteriore examine, in lingua vero latina hisce in oris nondum sint divulgata, eadem hic inserenda duxi. Statuit autem ille, rectum vitae naturalis statum consistere in unione, & mistione apta, & concinna partium insensilium sanguinis & chyli, & talem mistionem praesupponere proportionem aequalitatis inter reciprocas partium modificationes, cujus benefi-

neficio corpuscula sanguinis spirituosiora occurrunt chyli quibusdam particulis, quae illa remorantur: ea, quae sunt tardiora, in alias impingunt, abs quibus excitantur; acida cum oleosis intricantur, & hoc pacto aculeos suos conservant, qui alias nimis attererentur ab affrictione cum particulis salinis lixiviis, &c. Verum hoc nequaquam prohibebit, quo minus particulae aqueae ac spirituosae avolent; econtra expedit, ut exhalentur, ut aër & materia subtilis, a quibus eorum locus impleri debet, requisitam in sanguine agitationem perpetuent. Circa spiritus animales singularem fovet opinionem asseritque febrem nihil aliud esse, quam motum inordinatum partium insensilium sanguinis, vel certam agitationem, quae particularum istarum ordinem turbat, & evertit proportionem, quam servare debent particulae uniuscujusque generis respectu aliarum omnium, sive quo ad figuram, sive quoad locum. Sic caussa universalis febrium omnium nihil aliud est, quam improportionata mistura particularum sanguinis, & inordinata translatio, abs qua copiosiores particulae oleosae, vel salinae, vel terrestres coacervantur, ita ut spirituosae pristino suo officio amplius defungi nequeant. Si quis nosse cupiat, quomodo illa mistio inordinatam agitationem in sanguine concitet, Auctor hic respondebit, fieri hoc ex eo, quod materia subtilis, quae ordinato motu & linea recta ferebatur in particularum interstitia, dum aequis proportionibus illae essent commistae, a sexcentis obicibus impediatur, simul ac proportiones illae erunt confusae. Inde contingit, ut materia subtilis huc & illuc sese convertens, ut viam sibi sternat, quacunque licitum fuerit, sanguinis particulae undiquaque compellantur, & in agitationem maxime inordinatam cogantur, a qua funestissimus tantum effectus exsurgere potest: quum enim lac acescat, ubi primum partes ejus spirituosae aeque ac cremor, ab aliis partibus defecerunt, oportet ut sanguis corrumpatur, quum particulae ejus acidae, oleosae, aqueae, salinae, volatiles &c. sunt ab iis disjunctae, quae ipsas in naturali statu continere valent ministerio proportionis mechanicae, inter illarum modificationes vicissim vigentis.

Si quaeritur, unde inaequalis ista sanguinis particularum mistura oriatur? Auctor triplicem illius caussam affert. Dicit enim, si partes materiae aequaliter premantur, fore ut una alteram in proprio loco retinere nequeat, nec ipsius discessui obsistere, & sic recta pororum dispositio immutabitur, & materia subtilis amplius non movebitur eo, quo agebatur, motu: hac ratione fermentationem, quae in hordei acervo producitur, explanat. Duae reliquae caussae sunt absentia, & si fas sit ita loqui, suffocatio partium spirituosarum, quae corpuscula viscida dissolvebant, & agitabant. Sanguinem coagulatum nobis proponit ad exemplum suffocationis istius, sive status illius, in quo partes spirituosae libero motu orbantur; & ea omnia, quae impedire valent, ne sanguis naturali suo effervescentia donetur, vel sufficientes gignat spiritus, status istius suffocationis caussam esse asserit. Privatim observat, commistionem acidi cum sanguine in corde maximas inferre mutationes, quum ab experientia compertum sit acidum purum in canis venam jugularem injectum illum enecare, vel convulsionibus ipsum affligere. Phaenomenon istud nobis explicatur supponendo acidum naturale eum possidere, & sic misturam duorum illorum acidorum aequalem sanguinis particularum ordinem turbare, & ut mens nostra haec facilius concipiat, subsequenti utitur computatione.

Supponitur drach. j. sanguinis comprehendere 1600. particulas salinas, lixiviosas, fixas, & volatiles, 800. acidas, 500. spirituosas, 600. aqueas, 900. fixas, & sic de caeteris, tali semper servata proportione, ut perduret aequilibrium. Deinde supponuntur 200. particulae acidae in acido puro existere, & figuras suas obtinere diversas ab iis, quae sunt acidae in sanguine: hoc necessario evenire debet, quum adsint in sanguine tot aliae particulae heterogeneae, quibus caret purum acidum.

Nunc

Nunc liquet, si scrupulus unus hujuscemodi commisceatur in corde, sufficientes tantum aderunt acidorum particulae particulis salinis lixiviis, &c. in aequo temperamento continendis: & post injectionem extranei istius acidi, multo auctior copia in eo reperitur: oportet ergo, ut proportio, cujus ope singulae particulae sibi contiguas sustinebant, sit mutata, & ita omnium dispositio evertatur, ac in eam ruant confusionem, quae misti illius motum & effervescentiam naturalem imminuat, quia particulae subtiles & spirituosae, quas continet, pares non sunt amplius viscidis, ac crassis dissolvendis. Quapropter hae, quum una colligari, & coacervari valeant, faciliori negocio, partium aquearum evaporationem praepediunt, & eadem via abundantioris materiae subtilis introitum prohibent; quare quum athmosphaerae pressio tum temporis facilius superet particularum sanguinis obnixum, subsequitur, agitationem fluidi illius imminui debere, & sic ex necessaria caussarum connexione, confusa sanguinis mistura, sanguinis circulationem remorabitur. Ea est autem febrium omnium origo, si *Dn. Doct. Sylvio* adhibeatur fides: ita ut ex illo falsissimum sit, sanguinem velocius in febris aestu moveri. Videamus quo pacto praeclarum istud paradoxon tueatur.

Primo observat, eos omnes, qui medicinam faciunt, judicare, quendam febre detineri, vel eadem liberum esse, prout pulsus illius vibrationes fortiores & velociores, vel in convenienti ordine reperiunt, unde concludit, quibusdam observatis exceptionibus, & solum unicum signum pathognomonicum esse pulsus celeritatem. Secundo probare suscipit, sanguinis effervescentiam in febribus minui, & imminutionem istam arteriarum pulsationes multiplicare, vel saltem majorem sanguinis rarefactionem illas non promovere. Deinceps ad opinionem suam confirmandam ea omnia in medium profert, quae observavit consequi inaequalem misturam particularum sanguinis, quae universa tendunt ad imminuendam liquoris istius agitationem. Prout autem agitatio illius relaxatur, ab athmosphaera potentius premitur, si validius prematur, minus rarefieri potest, & cordis parietes minus dilatare; unde sequitur, illum e corde minori cum impetu erumpere, debiliusque istum, qui in aorta continetur, compellere, unde accidit, ut arteriae minus extendantur, & hac ratione sanguis minus celeriter in illis fluat. Ex eo autem, quod cor minus dilatetur, mechanice subsequitur, contractiones illius frequentiores esse debere, veluti respirandi actus saepius iteratur, quando pulmones non inflantur secundum totam capacitatem suam. Nobis penitus cognitum est, majus intercedere temporis spatium inter primam, & secundam respirationem, quando pulmonibus contingit, ut juxta ordinarias naturae leges inflentur, quare idem de corde non affirmabitur? Num illius vibrationes a sanguine pendent? Sed quampluries cor a pectore avulsum, & super tabula collocatum, palpitationes suas conservat absque sanguinis subsidio? Numne etiam innotuit, quum cor sit musculus, motus suos exercere debere aliorum musculorum ritu, id est, a principio differente a liquore in venis contento. Si hoc certum fuerit, statuere oportet, cor habere contractiones, extensiones, motus convulsivos, & vibrationes suas a spiritibus animalibus, & eam omnem modificationem, quae a sanguine ei conferri potest, consistere in eo, quod si magnopere in cordis ventriculis rarefiat, cordis extensio in majus spatium fiat, quod efficit juxta praedictam observationem, ut contractio diutius duret, & ita reditus vibrationis non sit adeo promtus. Hoc quaerens *Dn. Doct. Sylvius*, asserit, pulsus celerius moveri, quando sanguis debilius agitatur. Affirmat quoque, arterias sanguinem impellere fibrarum suarum contractione, & quum sanguis crassus est, & visciditatibus refertus, eum non obtemperare, ut par est, arteriarum pressioni, qua de caussa, quum arteriae dilatationem suam & contractionem non peragant in tantum spatium, quantum occuparent, si sanguis velocius circularetur, frequentius illas iterant, quam quum

singu-

singuli reditus a longiori spatio exerceri debent. Sic pulsus frequentiores vibrationes arguunt tardiorem sanguinis circulationem. Auctor annotat, si pulsus celeritas velociorem sanguinis motum indicaret, eum necessario maxime rarefactum supponendum fore, aeque rapidissimum, impenseque excalefactum in febris horroribus: ab eo enim tempore febre correptorum pulsus magnopere est commotus; atqui sanguis nondum aestuat, ergo pulsus frequentia esse non potest argumentum, sanguinis agitationem non fuisse imminutam. Fuit haec *Dn. Sylvii* hypothesis, ad quam stabiliendam demonstrat convenientiam, quae interest inter hypothesin suam, & praecipua febrium symptomata, & exordium facit a frigore & calore, quae paroxysmum componunt. Asserit inaequalem mistionem removere caussas, quae sanguinem excalefaciebant: frigescit igitur, & quum insuper majorem trahat moram omnibus in locis, per quae iter facit, partes mirum quantum frigefacere debet. Experimur enim glaciei frustum in manu nostra quiescens majus in illa frigus creare, quam si moveretur. Auctor hisce addit observationes quasdam circa operationem, & secretionem partium spirituosarum sanguinis. Quod ad calorem paroxysmorum febrilium spectat, plurima profert exempla, quae manifestant, calorem majorem non impertiri corporibus motum progressivum. Reipsa aqua fere fervens apparet aeque tranquilla in lebete, atque aqua frigida. Addit inaequalitatem mistionis particularum sanguinis efficere, ut plura corpuscula, quae impingunt in fibrillas nerveas, nullam obtineant proportionem cum poris ad quos deferuntur, unde molesta nascitur concussio: ex altera parte, si magna supponatur in sanguine tarditas, videmus facillime, si nihilominus aliquo gaudent calore, ipsum debere maxime excalefacere. Omne siquidem corpus calidum validius agit parti cuidam impositum diutius remanens. At vero carbo ab una manu in alteram vicissim praecipitanter projectus, ipsas non cremat. Quoad sitim in febre affligentem, Auctor illam explicat, ex altera parte supponendo, glandulas salivares e vestigio obturari a corpusculis naturali structura non gaudentibus, & ex altera parte salinas sanguinis particulas ab aqueis separari durante tumultu, qui misti istius proportiones evertit. Obstructio glandularum salivarium ipsarum siccitatem inducit, & separatio corpusculorum salinorum ab aqueis facit, ut illas fibras vellicent, nec modo minus cum principiis suis conveniente explanat capitis dolores, nauseas, diarrhaeas, deliria, quibus sunt obnoxii febre afflicti; & sicuti febrium intermissio, illarumque recursus statutas habentes periodos, semper difficillimum eorum phaenumenon habitum est, paulo prolixus est in illis evolvendis. Dicit ordinis particularum sanguinis eversionem, sexcentas inferre obstructiones glandulis, multasque alterationes fermento naturali, quod continent. Quum obstructiones istae fermentum illud diutius in eodem loco retineant, quam alias remansisset, eadem ratione aciditatem ejus augent: & hanc viam sibi facere potest per obstructiones, & exire a glandulis ventriculi, intestinorum, & forsan etiam a pancreatis glandulis, bilique commisceri, quae in intestina defertur, quibus peractis commistio, unioque illa in sanguine concitare id, quod paroxysmus febrilis dicitur. Sed sicuti circulatio sanguinis aeque inordinati, atque est praedictus, obstructiones rursus in glandulis producit, vel potius sicuti obstructiones conglutinantur, quamprimum fermentum, quod illas permeavit, praeteriit, evenire debet; ut quando particulae sanguinis in apto situ repositae fuerunt, aliquae aliae partes fermenti incarcerati novam sibi viam moliantur, quo ab iis sese liberent, quum bili denuo consocientur, & iterum sanguinis massae symmetriam turbent. Si materia, quae has facit obstructiones, tenacissima sit, & valde viscida, & fermentum magna non polleat aciditate, longius elabetur temporis spatium, antequam aperiantur, & sic accessus ita promte non recrudescent. Itaque intermissionum varietas pendebit a majori, vel mino-

ti visciditate corpusculorum, quae obstructiones procreant, & ab aciditate majori, aut minori fermenti incarcerati. Arteria magna, quae paulatim constringitur, aliam praebet *Doct. Sylvio* supponendi rationem, fieri obstructiones, humorumque coacervationes, qui in omnibus corporis partibus solidis commorantur. Febres continuas nihil aliud esse asserit, quam coagmentationes plurimorum paroxysmorum, quorum alter incipit, antequam prior cessaverit. Exposita ita nova sua de febribus theoria, ad earum curationem pergens, juxta principia haec refrigerantia ablegat, & posthabitis irrisorum, & obtrectatorum nugis, calefacientia medicamenta commendat. Usum etiam venaesectionis condemnat, etiamsi fateatur, eam in genere nec maxime nocuam, nec valde utilem esse, ut claret, inquiens, ex eo, quod in Gallia & Hispania, ubi in omnibus febre correptis celebratur, nec plures, nec pauciores moriantur aegroti, servata proportione, quam in Italia, aliisque regionibus, ubi nunquam vena tunditur. Quidam Medicorum, ipsiusque medicinae malevoli affirmant, idem animadverti posse facta ad regiones comparatione, ubi aliis non utuntur remediis, cum iis, in quibus eadem adhibentur. *D. Sylvius* summis extollit laudibus camphorae virtutes, & nonnullorum aliorum, quorum efficaciam tam ex praxi, quam mechanica operandi ratione sibi reddidit cognitam. Num haec fusius recensita opinio differat a nostra turbata mistura, quam in scriptis nostris hactenus docuimus, tu, Vir celeberrime, facile judicare poteris.

De insensili quoque transpiratione utilia, & lectu quaedam digna exhibet, prioribus adjungenda. Ipsam definit, expulsionem particularum, quae nullius sunt usus, vel quae nocere possunt. Primam ipsius caussam esse statuit actionem, qua insensiles alimentorum particulae, uti & fermentorum, ab iis, quibuscum conveniunt, descifcunt. Ut hoc magis illustrentur, alimenta extraordinariam partium diversitatem continere, & per consequens, eas ita dispositas esse, ut figura, & rectitudo parvulorum intervallorum, quae ipsas separant, respondeant modificationibus, quae illas a se invicem distinguunt. Supponit etiam cum omnibus *Cartesii* filiis, materiam subtilissimam omnia ista exigua intervalla rapidissime percurrere, & ab ista particulas huc & illuc agitari. Quum autem particulae istae poros sibi convenientes non semper reperiant, in alias necessario impingunt partes, oportetque, ut infinita agitationum varietas in illis exerceatur. Haec vocari potest naturalis effervescentia, quae nominatim locum habet, quando chylus in intestinis cum multis aliis succis permiscetur, & quum in cor delabitur: facili patet negocio, continuum istum motum determinare particulas aqueas, & spirituosas ad avolandum cum materia subtili. Sedulo etiam ob oculos ponit transpirationis istius necessitatem: nisi enim a sanguine exirent varia corpuscula, quae aërem comprimendo, materiam subtilem eo determinarent, ut locum ab ipsis derelictum occuparet, foret, ut sanguis sufficienti nullatenus donaretur agitatione, ut aëris gravitati resisteret. Quum enim omnis effervescentia, vel omnis rarefactio subtiliores partes evaporet, nullaque corporis nostri pars succo nutricio non impraegnetur, nullusque succus nutricius non fermentetur, Auctor noster colligit, insensibilem transpirationem in singulis corporis nostri partibus perfici, &, si ea, quae exhalantur, oculis percipi possent, fore, ut corpora nostra nube semper circundata apparent: asfirmat cum celeberrimo *Sanctorio* medicinae staticae Auctore, copiosiorem materiam a corpore nostro excerni per insensibilem transpirationem, quam per urinas & secessus, & ex octo alimentorum libris, quas quotidie quis usurpabit, quinque per poros avolaturos.

Celeberrimus *Doct. Nuck*, Anatomicus versatissimus, habita oratione inaugurali, Collegium Anatomicum incoepit, & per experimenta circulationem sanguinis,

guinis, item venarum, ductus thoracici, & cordis valvulas accurate demonstravit. In praeparatione partium corporis nostri audio eum adeo diligentem, atque accuratum esse, ut vix ulla detur, quam non inflatam, exsiccatam, aut balsamatam extemplo possit exhibere. In cane pectus perfodit, ut pulmo exierit, qui simul perfossus fuit conspectus, foramen postea consuit, & altera die canis fuit sanatus. Quo probare tentat, non omnia vulnera pulmonum esse lethalia. Ejusdem canis pectus gladio transfegit, instrumento hoc per musculos dorsales ingrediente, & ex sterno prodeunte, canis vero restitutus fuit. Observatur autem, ne transfosio fiat sub expiratione, alias pulmones inflati laederentur, nec nisi intra costas superiores, ubi vasa sunt admodum parvula, in majoribus enim haemorrhagia subsequeretur lethalis. Insertionem quoque arteriae in os publice commonstravit. Extant etiam alii quidam Anatomici adeo promti & exercitati, ut promittant, se invisibiles alias vasorum lacteorum & lymphaticorum ramulos ostensuros, & hinc ramulos quosdam ex ductu thoracico circa claviculas versus sternum ad mammas tendentes. Ex his cognoscimus, quid indefessa sedulitas in explorandis etiam minimis meatibus perficiat, ut nobis ad profundissima jam concedatur accessus, ad quae prioribus janua quam maxime fuit praeclusa.

Dn. Doct. Broekhuysen, qui hoc anno rationes Philosophico-medicas, Theoretico-practicas edidit, juxta propria ipsius principia, quae Cartesii principiis proxime accedunt, deductas, Cassellis Hanoveram profectus est, tenditque Dalmatiam ad inserviendum Principi Luneburgensi ibidem aegrotanti. Instrumenta aliquot anatomica & chirurgica tum ex Belgio, tum aliis regionibus mihi brevi afferentur, facta iisdem experimenta tibi justo tempore communicabo. Tu vero, Vir celeberrime, vale, & veterem mihi continua favorem. Dabam e Musaeo meo Cassellis VI. Id. Novembris, anno MDCLXXXVII.



D. JOHANN. JACOBI WALDSCHMIDT,

EPISTOLA III.

QUAE IN ORDINE EST QUINTA.

Ad

Celeberrimum

VIRUM

Dn. JOHANNEM DOLAEUM;

Varii argumenti.

VIR CELEBERRIME.

Miraberis, Vir experientissime, unde a tot mensibus haeserit commercium litterarium, olim crebrius frequentatum, atque in silentii mei inquires caussam, cujus fidus pro me interpres praesens erit libellus, quem e typographia adhuc madentem tandem offero, obnixe rogitans, ut eum benevolis manibus accipere velis. Institutiones sunt, quas vides, Medicinae rationalis, publici nunc factas juris, id quod aegre quidem a me impetrare potui, quum animo meo semper haereat illud Erasmi: *adeo nunc in omnes & in omnia per universum Orbem grassatur comitata furiis* ἡ διαβολή, *ut tutum non sit ullum emittere librum, nisi satellitio munitum. Quanquam quid satis esse tutum possit adversus sycophantae morsum, qui velut aspis ad vocem incantantis, ita ad omnem purgationem, quamvis justissimam, obturat aures.* Quippe mihi clam non est, esse adhuc veteranos quosdam Medicos, quos male forte habebit, si viderint, me nec in verba jurasse Magistri, Galeni volo, Hippocratis, vel ipsius quoque Sennerti, nec tritam hactenus Praeceptorum in omnibus sequutum esse viam. Enim vero erunt tamen quae caussam meam agent, atque veniam apud Patres hos sollicitabunt. Quis enim nescit, me nihil hactenus eo scripsisse animo, ut irritarem, sed ut conciliarem? non ut hostes in me concitarem, sed ut veritatem indagarem, atque pro mea tenuitate ipsis inservirem tum studiosis, tum aegrotantibus, qui primarius omnium Medicorum est scopus. Deinde quod ipsas attinet institutiones, non opus erit, ut longus sim in praetextu aliquo praetendendo, aut operis tenuitate ostendenda, quum vel ex primis legi possit pagellis, me haec ex tempore in cathedra disseruisse, quae studiosus, me inscio, quod testari possum, calamo volubili excepit, & ex cujus tandem schedis institutiones illas concinnavi, ne me dictorum meorum puduisse accusari possem. Interim solatio mihi erit, esse bene multos, quibus meae non displicent ineptiae, & si vatem agere vellem, dicerem, intra biennium artem medicam prorsum immutatum iri, foreque rationalem, principiis naturae conformem, & saniori innitentem philosophiae. Neque est, ut forte veteranos illos metuas, qui difficulter statione cedent,

dent, nec ad Novatorum transibunt subsellia; quippe de illis mihi abunde satis innotuit, haud paucos esse, qui *illinc quidem militant, isthinc favent*.

Audio primam meam ad te datam epistolam alibi recusam esse, quod male me habet, quum eam non scripserim, ut in tot hominum exiret manus, sed ut amici scirent, quid rei apud nos ageretur, eo enim tempore ne cogitavi quidem de commercio quodam litterario ineundo, hinc factum est, ut libere, & non sine sale (qui meus est genius) ad te amicorum optime scripserim. Postquam autem nunc ex omnibus fere mundi angulis certior factus sum, omnibus institutum hoc gratum fore, imo esse, qui ex nostris epistolis rei medicae incrementum aliquod accedere posse, arbitrentur, nosque calcar admovisse aliis doctioribus, ut non detrectent eodem nobiscũ fungi munere, inter quos est Vir doctissimus Dn. Doct. SALMAN, aliique plures, non solum commercium litterarium nunc tibi offero, sed fidem etiam do, mihi nil prius, nihil antiquius fore, quam singulis mensibus ea conferre, quae vel praxis, vel professio suggerent. Hinc pace tua alios etiam Viros doctos atque honestos hisce rogo & invito, ut, si quaedam inposterum nobiscum communicare, monere, sub examen vocare, aut pro & contra amice disquirere velint, illa libere scribant, atque Francofurtum ad Bibliopolam Dn. Knochium transmittere haud graventur, cujus impensis omnia illorum scripta pro nutu & desiderio Auctorum typis excudentur.

De purgantibus mea adhuc stat sententia, quod in morbis primarum viarum haud exiguum conferant levamen, *liquando & attenuando mucum*, eumque blande evacuando, ut forte non male scripserim, purgantia in cacochylia subinde juvare, semper vero nocere, vel saltem minus tuta esse in cacochymia, sive morbis sanguinis. Quod si tale purgantibus frenum injicere possemus, ut sua activitate intra primarum viarum limites subsisterent, nec unquam ad sanguinis excurrerent confinia, credo nos vix certiora habituros praesidia in morbis chronicis juxta ac acutis curandis vel praeservandis, qui fere omnes e sordibus primarum viarum pullulant, & ex bile, succo pancreatico, lymphaque intestinali, peregrinis salium in intestinis hospitantium saporibus inquinatis, sua capessunt incrementa. Sed coërcere peregrinum aetherem, quem omnia purgantia inferunt, hoc opus hic labor est.

Casus quem celeberrimus D. HOOGMADE tibi communicavit, arridet palato. Ego, si anseri inter olores stridere liceret, dicerem, omnia vasa lymphatica esse vasa lactea, sive exiguum inter lac & lympham esse discrimen. Qui cura lactis utuntur, lac spuunt, & saliva fere semper est lactea. Commendavi olim studioso hectica, & scrophulis exulceratis laboranti lac, quo quum plures per septimanas uteretur, tandem lac ex ulceribus quotidie manavit, ut quot haberet ulcera tot lactis viderem scaturigines. Si lacti in mammis contento effluxus denegetur, redundabit ad commune sanguinis receptaculum, qui lacte turgescens in tantum lacteo humore salivales inebriabit glandulas (sicuti antea mammarias) ut ductus unus vel alter nimium distenti rumpantur, & lac in oris effundatur cavitatem.

Lacti absumendo conveniunt dropaces, sparadrapa, cera: quoniam aërem arcendo lactis restagnationem, & coagulationem impediunt; symbolum confert strictura, quae impedit, quo minus glandulae impleri possint. Mihi in frequentiori usu est cinnabaris nativa, quam cum aqua florum sambuci mistam calide applicare jubeo: vel interveniente cera redigatur in emplastrum, quod si non superet, aequabit tamen emplastrum de spermate ceti Mynsichti, quod alias duplici operatur modo, & aërem arcendo, & sale suo volatili lactis consistentiam, & mistionem conservando, hoc est, acidum supprimendo. Nulla autem dantur remedia specifica lac absumentia, Verum illa quae chylificationem laedunt, quae fer-

fermentationes imminuunt, quae frigidos, & viscidos sanguini inferunt humores, lac absumunt, hoc est, impediunt, quo minus pro futuro lacte chylus satis tenuis, & fluxibilis generetur.

Aliam tecum divido historiam, argumenti haud dissimilis. Nobilis foemina cum tertiam ederet prolem, propriis eam, me dissuadente, lactavit uberibus? Vix opus aggressa, lactis in horas observabat abundantiam, & mammarum incrementum. Infantulus lacti absumendo vix par erat, quod eo etiam amoto pingue, & fere totum in butyrosum concrescens cremorem, si in vase servaretur, reddebant ubera. Quum in sinu suo de illa gauderet felicitate, coepit de totius corporis frigoris molesto sensu conqueri, livescebant labia, pallescebat facies, cutis erat inaequalis, qualis ab aëre gelido fieri solet, augebatur horror iste, ut in musaeo calefacto stragulis etiam duplicatis vix ac ne vix quidem incalescere posset. Vocatus caussam esse dixi chyli in sanguine penuriam, qui jam fere omnis ad mammas confluxerat. Accessit immanis lumborum dolor subsequente calore febrili, cum subitanea labiorum, & palpebrarum intumescentia; pustulae & exanthemata quaedam lata vesiculis limpidis similia erumpebant in cute, ut venenum epotum fuisse dixisses: agmen tandem claudebat vehemens uteri haemorrhagia, stante tamen stupenda illa lactis in mammis abundantia. Suasi serio, ut nutricem conduceret, atque mammis ceratum cinnabarinum applicaret, ne sanguis butyrosa illa amplius fraudaretur lympha. Dedit tandem locum consilio, & brevi pristinam recuperavit valetudinem. Liceat mihi phaenomena illa per causas rationales explicare. Frigus est ab acido, lympha tali ob pinguiorum, & oleosarum particularum translationem alio factam existente, haec quum fibrillas incongrue vellicaret, mens judicans secundum consuetudinem sensum frigoris concepit. Idem illud acidum in confiniis extremitarum arteriarum, quibus in labiis aliisque locis innumeris appositae sunt glandulae, in angustias illas introactum discidit quaedam filamenta, quae in cincinnos resilientia non solum a tergo venientibus, sed & per vicinos tubulos transeuntibus humoribus obicem posuerunt, hinc tanta harum partium intumescentia. Vascula quaedam lymphatica ex eadem caussa subter cutem diffracta occasionem praebuerunt visiculis hinc inde erumpentibus, quales in ambustione excitantur. Portio lymphae hujus acidae acquisivit naturam fermenti, & poris suis a sanguinis poris abludentibus introduxit peregrinum aetherem, sanguinis mistionem turbantem, & febrem producentem. Ob acidi in sanguine praedominium restagnavit hic in vasis hypogastricis, atque ruptis per anastomosin orificiis vel extremitatibus arteriarum, qua data per uterum porta effluxit.

Posse autem glandulosas partes, sive in quibus contextus talis vasculosus reperitur, stupendum in modum extendi, suadent tumores in collo, mammis, sub axillis & circa inguina oriri soliti. Nuper convenit me alter Aesopus, si reliqui corporis staturam videres; is labrum sive superiorem oris marginem mihi ostendit, usque adeo inflatum, & tumidum, ut nunquam similem viderim. Senserat mane dolorem quendam, atque ad eum demulcendum frigidam affatim, & frequentius asperserat, verum quum inde malum augeri animadverteret, adiit Chirurgum, atque unguentum expetiit; sed quum nec hoc exspectationi satisfaceret, ipseque tumor in horas cresceret, tandem linteo, & pallio munitus ad meas properavit aedes, jussi epithema ex theriaca aliisque calide imponere saepius, ut virulenta illa succis restagnantibus introducta fermentatio sedaretur, id quod praesentaneo cum levamine factum esse, ipse mihi heri retulit.

Quantum etiam vasa lymphatica distendi possint, mecum vidisti in foliolo Consiliarii apud vos digentis, sub cujus lingua deprehendimus tumorem oblongum, sed pellucidum & albicantem, judicavimus esse vas quoddam lymphaticum

in partu attritum, vel alia ex caussa injuriam passum: & postquam Chirurgus vester expertissimus Dn. Rudolff cordate, sed dextre & prudenter incidisset, vidimus undam in larga prosiluisse copia, cum momentanea tumoris evanescentia.

In gravidis venae-sectionem usque adeo necessariam esse existimo, ut nunquam medio gestationis tempore omitti debeat, quod pace tua, Vir celeberrime, dixerim, quum in casu abs te allegato foetum ante venae-sectionem exspirasse suspicer. Primis quoque mensibus in succi plenis, & ultimis ob varices circa uterum, & ad evitandam pressionem a sanguine restagnante metuendam, ipsique foetui funestam, licebit tundere venam: venae-sectio enim unicum illud est remedium, quo partus salvari potest, modo prudenter & tempestive instituatur, de qua prolixius egi in Institutionibus Medicinae rationalis. Alias sanguinem illibenter profundo, atque venae-sectionem inter empirica refero remedia, quae aut juvant aut nocent. Rarius quoque vel nunquam indicatur venae-sectio a morbo; frequentissime autem a symptomate urgentiori, dolore videlicet sive molesta pressione. Ut propterea recte dicamus, unicum esse venae-sectionis usum, nempe sanguinem imminuere, reliqui enim omnes ab hoc emanant.

Quamvis etiam pus in fonticulis novum quoddam sit productum, non autem praeexistens in sanguine excrementum, quod vulgus persuasum habet, puto tamen eos inter evacuatoria referri debere remedia, quatenus videlicet sanguinis copiam imminuunt, hinc plures si excitentur, faciem reddunt pallidam, ut in gutta rosacea, contumacissimo affectu, & praeter fonticulos,& setacea nulla sciam praesidia, in quibus firma spes collocari possit.

Eundem nonnunquam edit effectum scarificatio aurium bis in mense instituta, quod remedium commendat etiam Hartmannus,sed quum dolorosum & molestum sit, a multis negligitur.

Fama potus theae crescit indies. Theologus eximius in flore aetatis constitutus contabuit ab aliquot annis citra caussam manifestam, nisi quod levi subinde tussicula, sed continua vexaretur raucedine: huic, quum destillatum antihecticum votum non expleret, potum theae commendavi, atque fonticulum in brachio excitari jussi, quibus remediis in tantum restitutus est, ut nunc majori alacritate & cum virium constantia e suggestu dicat. Studiosus Theologiae pius & doctus rediens ex Gallia incidit in atrophiam, tandem lente quidem, sed sensibiliter satis febricitavit; quum sic conflictaretur plures per septimanas, jussi ipsum aërem mutare, & ad patrios redire lares; verum virium obstabat imbecillitas & corporis consumtio, hinc quum frustra hactenus varia adhibuissem remedia, suasi, ut potu theae cum lacte uteretur. Quo remedio nunc utitur per unum vel alterum mensem, atque per DEI gratiam tanto cum effectu, ut nuperrime me inviserit, mihique coram pro praestito officio egerit gratias. Alius pistoris filius, ex febri maligna incidit in phthisin cum capillorum defluvio, sputo albicante, respiratione difficili, dolore pectoris gravativo; is etiamnum utitur herba theae, & quantum hactenus augurare licet, non sine successu. In Virgine epileptica semel saltem menstruata, potus theae in tantum egit ad praescriptum, ut intra sex septimanas ab invasione hujus mali, quod antea saepius de die recurrerat, manserit libera, quam pridie (in plenilunio) aliquot iterum paroxysmos perpessam esse, nunc dum haec scribo, mihi nunciatur. Foemina Nobilis Soda correpta, decantata remedia adhibuit, sed frustra, ex eo autem quo bibere coepit potum theae, melius se habuit. Sed quis omnes enarrabit herbae hujus virtutes, quum angustis nimis hactenus circumscriptae sint limitibus, utpote, quae longius multo se extendunt, & inter externa quoque remedia celebrari merentur. Non dico de virtute qua pollet traumatica. Saltem hoc testari possum, quod omnes impuritates cutis abstergat,

pu-

pustulas sanet, maculas hepaticas brevi deleat, si decocto tali horis vespertinis abluantur frequentius impositis per noctem foliis theae a decoctione residuis, ut merito inter cosmetica omnium tutissimum, & multae spei plenum audiat remedium. De Cosmeticis in transitu noto, quod nunquam horis matutinis vel diurnis adhiberi debeant, quum a lumine agitata semper plus noceant, & cutem deteriorem reddant.

Spiritus cephalicus famam adhuc sustinet, & cum essentia balsami Indici, quam pro SERENITATIS SUAE officina communis noster amicus Dn. RHEINBOLD praeparavit, exaltatus, in cruditate acida, lymphae visciditate, colica, iliaca, phthisi, & ubi suspicio latentis ulceris in parte aliqua solida, quale quid semper in hectica contingit, opem confert haud contemnendam. Nosti quod spiritus ille nihil aliud sit, quam spiritus aromaticus, cui sal armoniacum, & pro varia intentione oleum quoddam destillatum additur; sic ex una parte olei mentae, & tribus partibus spiritus cephalici fit mistura haud inelegans. Praefero tamen priorem cum essentia balsami Indici factam, si modo apud nos vilioris posset esse pretii.

Tinctura auri plus participat de sale, quam de sole, atque mihi quidam nihil aliud videtur esse, quam spiritus salis alkalisatus, qui & interne in infantum affectibus, ex cruditate acida oriundis, & externe in ulceribus depascentibus, scrophulisque exulceratis promtam praestat opem.

Quid de morbis ex incantatione sentiam, dicam libere. Consistunt illi revera in quadam fascinatione, & Diabolus fucum facit suis praestigiis, atque inter vomitus, vel puris effluxum, saepius quaedam immiscet, quibus se mancipiis suis potentem, aliis formidabilem reddere vult. Accedit hominum credulitas, & garrulitas, nam illa, ad quae obstupescimus, plerumque cum circumstantiarum augmento aliis narramus, aut in majus efferimus, ut & alios repleant terrore.

Arrident illa, quae ex Jacobi Sylvii tractatu de febribus, quem nondum vidi, mecum communicas. Multa hanc in rem spectantia dicta sunt in Institutionibus. Equidem jam dudum in ea fui sententia, in omnibus febribus sanguinem tardius circulari, aucto scilicet motu sanguinis versus latera, progressivo autem imminuto. Confirmat hoc febres curandi methodus, quae in eo potissimum consistit, ut sanguinis visciditas, & humorum restagnationes impediantur, quo nomine ipsa diaphoretica tantopere laudantur; frigida econtra & figentia damnantur, quia videlicet haec obstruunt, sanguinis motum progressivum imminuunt, & intestinum augent. Omnes enim humores fermentescibiles incarcerati magis turgere incipiunt, hinc videmus, quod in febri maligna facies saepius admodum inflata sit, genae rubeant, vasa sanguifera in oculis turgeant, aegri de aurium tinnitu conquerantur, tremulus nervorum accedat motus, quae omnia a sufflaminato sanguinis motu progressivo in vasis cerebri pervenire existimo, dum econtra ob talem obstructionem motus intestinus mirum quantum augetur, & incurabilem inflammationem meningum inducit.

Caussam istius restagnationis esse obstructionem uno ore dicunt omnes, sed in quibus canaliculis ejusmodi fiant obstructiones, non ponunt in aprico: arterias non facile obstrui, evincit emboli sive cordis vis urgens & premens: deinde obstat vis illa dilatandi, qua pollent, unde etiam fibras longe fortiores nactae sunt. Sed quis de venis dicet, quod illae obstructionis sint subjectum? quum structura ipsarum repugnet, quia omnes ex angusto tendunt ad angustum, adeoque vel nunquam vel rarius obstrui possunt. Verisimile itaque est, in glandulis obstructiones delitescere, non exclusis interstitiis vel tubulis istis, ad quos & arteriarum & venarum extremitates terminantur, & per quos sanguis ex arteriis in venas sub forma sanguinis transfunditur. Faciunt huc quae celeberrimus ZELLEVUS, in

elegantissima disputatione de vasorum lymphaticorum administratione nobis suppeditat: *Concludi posse, imo debere,* dicit, *venarum capillarium diametros, minores esse arteriarum capillarium diametro, cum in illis omnia, quae alias ad dilatandum canalem faciunt, deficiant, adeoque sanguinem naturaliter aliquantulum in interstitiis, seu porulis, ad quos utraque vasa capillaria terminatur, morari, donec, tum a proprii motus impetu, tum aëris interni impulsu in venas insinuetur, quae tamdiu patulae manent, quamdiu spiritus & calor in fibris istarum capillarium erunt, dissipatis autem illis mox clauduntur nulli amplius patentes, quod tamen in vivis expectandum non est. Ut autem naturaliter sanguis, dum ex arteriis extillavit, ob rationes dictas morari aliquantulum cogitur, dum omnis ea celeritate in venas promoveri non potest, qua expulsus, multo majorem habebit difficultatem, si & diameter harum in majoribus ramis minor fiat ob compressionem, vel ab incumbente vel interveniente quodam corpore factam, ubi illae intumescere debent eo usque, quousque poterunt.* Ego profecto crediderim, obstructiones illas in vasculis illis quae ab angusto in angustum tendunt facilius, frequentius oriri (qualia sunt illa quae glandulas componunt) quam in aliisquae in progressu semper ampliora fiunt, qualia sunt venae. Sed horum veritas forte nondum ad liquidum explorata est.

Enimvero ubicunque tandem fiat obstructio, maximum tamen erit discrimen inter humores obstruentes. Si enim humor iste, qui obstructionem parit, ex viscidis componatur particulis, obstructio quidem contumax erit, quae chronicos producet morbos, & in visceribus sanguinis depurationi haud exiguam injiciet remoram, nulla tamen inde metuenda erit inflammatio, aut sanguinis mistionis turbatio. Verum si temporis, quod est edax rerum, successu textura mutatur (quod variis ex caussis fieri potest) & acidum antea suppressum sui fiat juris, ipsique pori ita immutentur, ut materia subtilis non amplius secundum lineam rectam transfluere possit, motus excitabitur intestinus, & humor ille naturam, & indolem fermenti acquiret, atque praeterlabenti lymphae commistus, & ad sanguinem delatus, febrem pro circumstantiarum diversitate nunc continuam nunc intermittentem excitabit.

Sin vero humor, qui obstructionis auctor est, sit biliosus sive salsus, pori in tantum obstruentur a salibus, ut non nisi primo elemento transitus concedatur; hinc pars illa ignis acquiret formam, & inflammabitur, sanguis per partis hujus vasa circulans turbabitur a materia illa subtilissima pernicissime quaquaversus fluente, qui reliquo sanguini in corde confusus, totius mistionis turbationem inferet.

Hae febres rectius vocantur inflammatoriae, quum ab ardentibus, & malignis aliis in eo differant, quod si tempus, & mistionis turbationis gradum spectare velis, malignae quoque sint & ardentes; verum si partium solidarum habeatur ratio, plures erunt ardentes & malignae, quae nequeunt appellari inflammatoriae. Quamvis hoc inficiari nequeam, omnes malignas ut plurimum, & ubi ad interitum vergunt, tandem etiam fieri inflammatorias. Unde inflammatio in parte aliqua solida nunc febris malignae caussa est, nunc productum, ut non male febres illae inflammatoriae in primarias sive essentiales, & in symptomaticas sive secundarias dividantur. Sic fieri potest, ut ab aëris injuria salia per transpirationem alias avolare solita figantur intra poros fibrarum juxta longitudinem extensarum (sicuti membranas in tuis ad me ultimo datis vocas) ut soli primo elemento, quod in succo graminis dissecti, & in cumulos collecti quoque fieri solet, transitus concedatur, unde statim inflammatio quae vulgo erysipelas vocatur, oritur. Sin vero salia illa ob praegressam mistionis sanguinis turbationem in has praecipitentur partes, febris praecedet inflammationem, sicuti in priori casu eam sequitur. Primarius itaq; in his febribus curationis scopus est tollere obstructionem inflammatoriam, quam nisi mature exsolveris, laterem lavabis & inanem ludes

curando operam: Exinde palam fit, quam male suis consulant aegris Medici, qui frigidorum usum vel suadent vel permittunt, qui calida fugientes frigidis igni oleum affundunt. Ex praxi novimus, febri Ungarica correptos maximum percepisse levamen, & presentaneum quasi auxilium, ex spiritu vini fronti, & capiti admoto. Novimus peste correptos ex vini Hispanici largiori haustu subsequentibus largissimis sudoribus fuisse liberatos. Utinam! utinam in omnibus etiam febribus potum calidum commendaremus. Biennium est, quum generosum quendam tractarem virum juvenem, toga sagoque clarum, & post perpessas varias itineris ex Graecia & Hungaria molestias febri Ungarica sive castrensi correptum. Tenerae cum esset constitutionis, primis etiam diebus omnibus destituebatur viribus. Somnum ex eo quo aegrotare coeperat, nondum viderat, ut meningum metuerem inflammationem sive phrenitidem. Jussi ut pro siti fallenda, quae urgebat, nil nisi tenuem cerevisiam, sed calidam biberet, & tincturam bezoardicam, quantum ferre posset, instillaret. Ille morem gerens noctu diuque cerevisiam calidam affatim hausit, tanto cum levamine, ut & sitim ex voto falleret, & fluentibus sponte sudoribus, die undecimo de febri triumpharet. Eundem in finem commendo misturam ex spiritu theriacali camphorato duplicata dosi camphorae, & spiritu cornu cervi paratam, quo & obstructio inflammatoria tollatur, succisque conveniens mistio, & motus progressivus reddatur. Nuper in febri illa maligna, quam Galli extorres primi ad nos transportaverant, frequentius usus sum cinnabari nativa, nisi dirrhoea obstaret, quo remedio Studiosus febri hac detentus, & stupendis correptus convulsionibus pristinam per DEI gratiam recuperavit valetudinem. Vidi alios obiisse, quod sudorifera, & vesicatoria primis diebus negligerent, unde superveniente inflammatorio cerebri sive meningum tumore, cum faciei intumescentia & rubore, circa diem undecimum, vel etiam tardius, & demum post decimum quintum fatis cesserunt. In harum febrium principio omnes da alternante quodam, sive reciproco caloris, & frigoris sensu conquarebantur. Quod phaenomenum semper index existit malignitatis sive turbatae sanguinis mistionis, quam variae sanguinis reliquorumque humorum secretiones coagulationes, praecipitationes & concretiones comitantur.

Ex eadem forte caussa tussis illa convulsiva in filio Illustris cujusdam, quem nosti, Domini, suos habebat natales: quatenus caput tracheae ob lympham acriorem & viscidiorem glandulas ejus loci obsidentem, & ob turbatam sanguinis mistionem ibidem restagnantem continuo spasmodice convellebatur, ut fere nullis etiam remediis inducias impetrare possemus, quorum omnium tu, Vir Experientissime, una cum celeberrimo Medico Francofurtensi Domino CASPARI, communi nostro amico, & mecum spectator fuisti.

Sed aurem mihi iterum vellicant febres inflammatoriae, quae puerperis fere semper exitiosae sunt, ut non male pestilentiales vocentur, quum inflammatio in corpore ad putrileginem jam praedisposito brevi temporis spatio degeneret in gangraenam. Ecquis inficiabitur corpora puerperarum esse valde fermentescibilia, quum illud & ante mortem & post mortem ex variis probari possit apparentiis? Unde forte mos adolevit, ut puerperarum tumbae sepimento muniantur, & ut extra templum sepeliantur, ne putrilaginosum illud fermentum facile ad plures abire possit. Vivit nobiscum senex Chirurgus haud inexpertus, qui septuaginta infantes ope hami vel unci ex utero materno extraxit, inter quos duo pueri adhuc in vivis sunt, quos pro mortuis habitos in lucem protraxit. Adstiti ego, & operationem illam plus vice simplici vidi, omnesque illas mulierculas superstites mansisse, observavi, quae vel in ipsa operatiene frigus nō admiserunt, vel post peractam extractionem a potu frigido abstinuerunt, quid enim frigidis magis noxium esse potest? Unde puerperas eodem cum vulneratis tractandas esse regimine persuasum

habeo,

habeo, quum eadem in utrisque sit ratio. Sane si ullibi, profecto hic in morbis puerperarum prudentia & circumspectione opus est, quomodocunque enim se gesserit Medicus, semper vel stultitiam suam prodet aut prudentiam. Et ex quo ego Medicinam docui, sedulo inculcavi meis auditoribus, ut praeter doctrinam de febribus, etiam hanc de regimine puerperarum, harumque morbis sibi redderent perspectam, atque illos Auctores, quorum pauci certe sunt, qui de hoc argumento ex voto, & pro ejus dignitate, & necessitate scripserunt, in succum & sanguinem verterent. Utque ipsorum memoriae consulerem, totam praxin Medicam sub monitis quibusdam comprehendi, quorum illa, quae puerperas tangunt, sub finem epistolae, & quantum paginarum admittet angustia, adjiciam, visurus utrum albo calculo digna sint; quem si mereri posse existimes, dabo operam, ut reliqua in subsequentibus meis epistolis per fragmenta publici fiant juris. Sin vero haec ab aliis jam tradita & exhausta sint, tyronibus tamen non erunt inutilia: nunquam nimis dicitur, quod nunquam satis discitur; nec typographo ingrata, qui habebit quibus chartam vacuam implere possit.

Haec de morbis puerperarum refricant mihi memoriam casus nuperrime in praxi observati. Mulier ex pago Brigel, 45. annorum, post partum laboriosum mictionem involuntariam contraxerat, adhibuerat varia ex consiliis Medicorum, atque ab his in Empiricorum pervenerat castra. Tandem meam coram implorabat opem, opportune profecto, quum eo tempore celeberrimi HOFFMANNI disputationem de suffimigiis perlegerem, itaque consului, ut bis de die suffitum admitteret ex musco pruni sylvestris, foliis quercus, & absinthii carbonibus injectis. Remedio hoc usus est ad praescriptum per aliquot septimanas, eoque restituta ab omni molestia vivit immunis. Sic ubi pretiosa nos fallunt & deserunt, subinde juvant domestica. Incidunt mihi quae olim apud Barclaium me legisse memini. *Interim Poliarchus*, inquit, *delibuto aceto vulnera lavit, ne tumore arderent, oleoque deinde, quod Ascyri floribus tinctum erat, permulsit; securior notis inemptisque remediis, quam in Medicorum fine iniquissimam mercedem ex supervacua curationis mora interdum captantium.*

Dicunt hic techiragra laborasse, de quo doleo, quum Medicorum manus semper debeant esse paratae & ad dandum & ad accipiendum. Nuperrime commendavi arthritico rasuram radicis bryoniae, quae me hactenus in inflammatione arthritica nunquam fefellit, a cujus applicatione tumor in carpo disparuit, dolor exspiravit, & tendinis rigiditas in totum sublata est. Ego sali volatili acri, quo pollet bryona, in acceptis refero quae refero: quippe hoc corrigit visciditatem, humores reddit fluxibiles, peregrino aethere, quem infert, succis restagnantibus, novam inducit fermentationem, & eo ipso obstructiones reserat, recludit repagula, & tubulos pertundit, ut succi in parvo illo orbe in orbem redire possint.

Caeterum sunt qui nosse desiderant, ex quo morbo vester Dn. BOURDON obierit. En historiam. Vocabar ego, quum jam omnia spestarent ad interitum, reperi ipsum de colica conquerentem cum abdominis distensione, & respiratione anhelosa: externa algebant, interna urebantur; & jam oculus sinister dextro minor, & extenuatus apparebat. Non vacabat mihi ordinarii Domini Medici adventum praestolari, vidi tamen remediorum apparatum juxta fenestram, ea propter consignavi in schedula spiritum nitri dulcificatum ad septem guttulas cum largiori vehiculo ex vitro subinde delibandum, atque rogavi, ut ordinario Dn. Medico prius communicarentur, quo vel addere vel demere posset, sicque tacito cum prognostico ipsum brevi moriturum abii. Post meum discessum symptomata paulatim increverunt, supervenerunt sub mediam noctem vomitus nigri, similem quoque amurcam cum screatu rejecit, sub auroram colliquativi apparuerunt sudores; circa septimam matutinam solvit naturae debitum. Ego ipsum passione

Iliaca sive inflammatione intestinorum extinctum esse statui, & jam in aliis corruptam, & nigram amurcam cum tussi vel vomitu rejectam fuisse vidi saepius: serpit brevi gangraena per totum illum intestinorum tractum, & eo facilius sanguinem lethaliter turbat in mistione, quo hic in pulmonibus diutius restagnavit, & jam ante putrilaginosam contraxit labem, id quod in nostro factum esse ex dispnoea, qua plures per annos conflictatus est, facile evinci potest: neque dissentiunt a nobis illi, qui ipsum vomica suffocatum periisse existimant, re ipsa enim idem dicunt nobiscum, & verbis saltem discrepant. Miror tamen fuisse, qui nescio quae accusare medicamina haud erubuerint, more apud vos (ut audio) jam a longo tempore introducto, cum omnes Medicorum culpa apud vos moriantur, quod jam in vulgi fabulam abiit: sic habetis a fronte praecipitium, a tergo lupos. Nullus tamen dubito, quin ordinarius Dn. Medicus has calumnias diluerit, si quidem strepitus tales responso digni sint: nam horum hominum judicia aegrotant, hinc patienter ferendi sunt. Misera profecto Medicorum conditio, qui quotidie vident, sponte sua inimicos luxuriare, sicut in hortis urticae propullulant, quamvis non advocentur. Serpit hoc malum velocitate, & paucis tantum horis opus est ad evertendam viri honesti famam. Italorum proverbium est veriverbium: *Un inimico è troppo, ma cento amici non bastano.*

Beati CRANENII obitum mecum dolent omnes boni: fuit his Historicus, Philosophus, Mathematicus, & Medicus consumatissimus, quarum disciplinarum professiones cum laude sustinuit, earundemque spatia emetitus est. Hujus virtus vicit, ac supergressa est vitium parvis, magnisque civitatibus commune, *ignorantiam recti, & invidiam*. Procul ab aemulatione adversus Collegas, procul a contentione adversus dissentientes erat, & vincere inglorium, & atteri sordidum arbitrabatur. Soli interim litabat veritati. Ego quoties tanti amici jacturam mente recolo, ejus quidem manibus bene precor, sed finis vitae tanti viri mihi luctuosus, tristis, & nunquam sine cura est. Ipsa coelo nostro eripiuntur lumina, e quibus tantam lucem splendoremque foenerabatur ars medica, Bontekoë volo, & Cranenium, quorum ille in destruendo ruinoso medicinae aedificio, hic in jaciendis solidioribus fundamentis & superstruendis novis columnis & fulcris desudavit. Ille acerbus, & paulo rigidior in antagonistas, hic profundioris eruditionis, sedati animi, & pacis fuit amans, cui natura ad intima thesaurorum penetralia concesserat claves. Elias sublatus est a nobis, & ad beatas levatus sedes, sed ubi inveniemus Eliseum, in quo duplex ejus fiat spiritus? Nempe rem difficilem postulamus, hinc paucos in posterum habebit pares, superiorem neminem. Dicunt fore, qui manuscripta aeternitati typorum dicare velint, inter quae lucem prae aliis merebitur collegium quoddam in librum Cartesii de passionibus animi habitum, quo melius nulla vidit aetas. Vidi illud olim apud magnum nostrum amicum Dominum von LENT, Theologum, & Philosophum celeberrimum, qui hoc clarissimi ingenii monumentum possidet, utinam exorare eum possemus, ut illud publici faceret juris, quum dubitem, an ullas alius istius scripti copiam habeat.

Dominus BRUNNERUS, Professor Heidelbergensis celeberrimus, fautor, & amicus meus honorandus, elegantissimam de glandula pituitaria habuit disputationem, cujus nuperrime mihi fecit copiam, atque pro te, Vir experientissime, exemplar quoque addidit, quod hisce transmitto. Rogavit in litteris, ut quid de glandularum usu sentirem, libere cum ipso dividerem, qui ipsis non tam secretionis, quam praeparationis attribuit munus; ego quae sentiam, proxime declarabo, fac, ut & tuam ardua, hac de re rescire possim sententiam. Quandiu enim glandularum officium ambulatorium est, tamdiu ipsa nutritio incertis vagatur sedibus. Bibliopola Jenensis, qui disputationes in Germaniae Academiis habitas venum exponit, per aliquot nobiscum vixit dies. Ego praeter disputationes medicat

dicas clariss. WEDELII, mihi etiam comparavit ZELLERI elegantem disputationem de vasorum lymphaticorum administratione: nec non Albini de hydrophobia, quae multum habet in recessu: de fonticulis ejusdem, ut & poris corporis humani, quae omnes profundam viri hujus produnt eruditionem. Est ille Albinus Professor medicinae Francofurti ad Oderam, Anatomicus, Chymicus, & Medicus celeberrimus, quem noster Crugius digno nuper mactavit in litteris elogio. Disputationi Dn. Brunneri addidi pro comite consilium diaeteticon rationale pro haemoptoico, sive haemoptysico, quod publico nuperrime loco disputationis subjecimus examini. Non putem inutile fore, si ipsa etiam praecepta diaetetica per caussas rationales explicare auderemus, quae maximam partem irrationalia esse, jam abunde notum est. Caussam haemoptyseos nec plethoram semper esse nec cacochymiam existimo, quum fere semper ex obstructione arteriarum capillarium sanguis restagnet, vel insolito motu versus ambitum pulmonum propulsus tardius ingreditur venam pulmonalem, sibique tali sub mora parat exitum. Non raro praecedit mistionis sanguinis purgatio, hinc in febri maligna haemoptysis quandoque est pro symptomate.

Magnificus Dominus VOLCKAMER, Praeses noster venerandus dono mihi dedit decur. 2. annum sextum Ephemer. German. huic, ut obsequiosas meo nomine agere velis gratias est quod rogito. Audio celeberrimum hunc Virum inter alias felicitates hac etiam, quae non est postrema, frui, quod in senectute videat filium paternarum virtutum aemulum, cujus in Philosophicis juxta ac Medicis eruditionem, & in secando peritiam mihi largiter depraedicavit Dominus Doctor von SCHAGEN, Delphtensis Belga, qui Musas nostras nuper salutabat, vir sane doctus & candidus: discessit a nobis Dominum MURALDUM invisurus, & forte nunc patrios repetiit lares.

Quum diebus hisce de motu agerem in physicis, accepi litteras ab amico, esse qui alium motum Solis, & Planetarum brevi ostendere, novumque systema mundi delineare velit. Sed vereor, ne idem illi contingat, quod Tychoni de Brahe accidit, qui quum terrae motum non auderet statuere, aliud quaesivit systema, in quo deinde terrae plus motus attribuit, quam ipse Copernicus; id quod statim ponam in liquido: modo quaedam de motu patienter audire non grave duxeris. Veteres spectarum motum, ceu actionem quandam a movente proficiscentem, ipsique mobili impressam, non attendentes ad illam mutationem, quae est in mobili, quando motum dicitur, vel in motu constitutum est: ego enim nec actionem, nec passionem in illo reperio, sed saltem alium statum, nempe vicinitatis cum corporibus proxime ambientibus, quae ceu quiescentia specto, mutationem, sive quo idem est, translationem. Sicuti enim quando corpori rotundo imprimo figuram quadratam, nullam huic corpori vim superaddo, sed alium saltem tunc in illo reperio motum, priori extincto & destructo, ut illud quod antea erat figurae rotundae, nunc quadrata gaudeat. Ita quoque corpus quod quiescit, quando jam est in motu, aliter profecto constitutum est, quam quum erat in quiete. Neque tamen ipsi aliud quid contigit, quam quod transferatur, & vicinitatem mutaverit. Sed quum translatio sit reciproca, aeque de hoc dicitur corpore quod transfertur, tantum enim in uno reperio, quam in alio: nempe in utroque est translatio, sive situs, vel vicinitatis mutatio respectu corporis proxime ambientis, vel contigui. Tolle hunc de mensa librum, dic illum moveri, vel motum esse, quia respectu illius partis mensae, quam immediate attingit, situm mutavit: verum nonne haec omnia pari jure dices de illa parte mensae, cui incumbebat liber? nam & haec vicinitatem mutavit cum libro, quem antea proxime attingebat: erit ergo motus reciprocus, & aeque de uno, quam de alio dici potest. Sicuti perinde est, sive dicas, mercatorem decimam ulnam abscindere a novem ulnis: sive dicas, ipsum novem

vem abſcindere a decima, quia abſciſſio illa eſt reciproca. Et ſi jubeam mercatorem unam ulnam abſcindere, reliquas ſpecto tanquam quieſcentes, & immobiles: ſin novem ulnas abſcindi cupiam, decimam ſpecto tanquam quieſcentem. Motus itaque ſemper eſt reciprocus, nec quies amplius abſolute datur in rerum natura, quum mera ſit ſitus negatio, adeoque non Ens. Ex hiſce apparet, in quem errorem delapſus ſit Tycho, dum errorem vitare voluit. Dicebas, terram eſſe centrum firmamenti non ſolum, ſed etiam iſtius viae, quam Sol circa ipſam anni percurrit intervallo: circa Solem duos cum ſuis coelis volvi Planetas, Mercurium & Venerem, matrem autem, Jovem & Saturnum, una cum Sole, cum vaſtiſſimo illo fluido, terram immobilem in centro complectente moveri circa terram. Jam ſi translatio eſt reciproca, ſicuti revera eſt, terram aeque, imo plus moveri, quam fluidum ipſam proxime ambiens; niſi enim terra ſeſe liberaret a fluidi ſuperficie, qua eam immediate attingit, atque in contrarium moveretur, vel conatum haberet eundi in partem oppoſitam, abriperetur indubitato ab illa mole ab Oriente in Occaſum. Ergo ipſe Tycho plus motus tribuit terrae, quā Copernicus, qui eam circa Solem moveri contendit. Res declarari poteſt exemplo admodum evidenti & perſpicuo. Duo amici in diverſis rhedis proficiſcuntur Marpurgo Caſſellas, ſed per eandem viam. Quaero ex primo, quomodo Caſſellas venerit, reſpondet, ſe per ordinariam viam in rheda equis tracta appuliſſe. Alter rogatus dicit, ſe per eandem viam veniſſe rhedae quoque inſidentem, ſed viam ſubter rhedam profugiſſe, vel ſubterlapſam eſſe, eumque ſic Caſſellas attigiſſe. Ne vero ſubtercurrens via rhedam ſuam abriperet, equos ſemper elevaſſe pedes, & rotas circa axes fuiſſe motas, ſe interea in rheda nullum percepiſſe motum. Jam quaeſo quis hic plus motus eſt expertus. Ego dicerem, rhedam in ultimo hoc caſu plus habuiſſe motus, quam in priori. Haec applica ſententiae Tychonis, & facile tuum in omnibus mihi praebebis aſſenſum! Sed ne modum epiſtolae excedam, quae reſtant in aliam ſervo occaſionem, atque te ſalvere, & valere jubeo. Dabam Marpurgi Calendis Septembris anno M DC LXXXVIII.

P. S.

MONITA MEDICA DE MORBIS PUERPERARUM.

1. Puerperae tractari debent, quemadmodum graviter vulnerati tractantur.
2. Immediate poſt partum datur reſtaurans in forma liquida, ſed actu calidum, quo vix praeſtantius dabitur, quam hauſtus thee cum uno, vel altero cochleari vini temperatus.
3. Quies eſt puerperarum anchora ſalutis.
4. Somno tamen non ſtatim indulgendum, ne progreſſivus ſanguinis motus ſufflaminetur.
5. Diaeta debet eſſe excarnis, & primis quidem diebus tenuiſſima.

6. Fri-

6. Frigus est pestis puerperarum: & terror mille malorum auctor.
7. Morbi puerperarum ad unum fere omnes vel ex mala victus ratione, vel ex frigore admisso, vel ex animi passionibus oriuntur.
8. Egregium est prophylacticum, si puerpera sub spe & metu per undecim dies in lecto detineatur, & corpus semper ad madorem disponatur.
9. Melius est, alvum primis diebus esse sicciorem, si interim lochia fluant ex voto, quam si diarrhoea superveniat, haec enim semper monstri quid alit.
10. Purgantia, ceu ipsa venena sunt fugienda.
11. Potus semper debet esse tepidus.
12. Etiam plus metuendum periculi a remediis refrigerantibus, ubi intensus adest calor, quam a calidis.
13. Si lochia rite non fluant: dentur mitiora quaedam blandiori suo sale, vel spiritu sanguinis grumos dissolventia, qualia sunt sperma ceti, succinum, myrrha, tinctura myrrhae, tinctura antimonii, tinctura salutis Langii, elixirium proprietatis sine acido, species pro puerperis Schroderi.
14. Si puerpera febri corripiatur, illico respiciendum est ad lochia, atque talia danda sunt remedia, quae horum fluxum promoveant, si necesse sit; vel saltem non supprimant, aut imminuant, qualia sunt cor. cer. sine ign. lapid. canc. antimon. diaphor. cinnab. nat. myrrha rubra, sal volat. cor. cer. arcan. duplicatum.
15. Fluunt tamen subinde lochia etiam in febri, quatenus continui solutionem in utero sequitur inflammatio, tuncque aegra in maximo versatur discrimine.
16. Puerperae febri continua correptae facile fiunt epilepticae, hinc in curatione semper ad graviora mala prospiciendum.
17. Febris lactea, quae quarto vel sexto circiter die accedit, est ephemera aliquot dierum, & sponte cessat, si frigus non admittatur, aut error in diaeta committatur.
18. Dolores post partum sunt vel a spasmo ante partum inchoato, vel a sanguinis grumescentia.



DN. JOHANN. JACOBI WALDSCHMIDT EPISTOLA IV.

Ad Celeberrimum

VIRUM

D. JOHANNEM DOLAEUM,

Quae in ordine dissertationum epistolicarum *Sexta est.*

VIR CELEBERRIME.

PRaesagit mihi animus, Amice magne, fore ut in reprehensionem incurram, & impatientiae, quod tuo non exspectato responso partibus tuis antevertam; & impudentiae, quod graviores tuas occupationes interpellare, atque nugas has in lucem edere non dubitarim. Equidem fateor, me non latere, quot horas sibi quotidie aula determinet, & quot aliorum aegrorum curae reposcant, ut vix videam, quomodo laboribus tuis exantlandis dies sufficere possit, nedum quomodo unam, vel alteram horam Encyclopaediae tuae chirurgicae, quam omnes eruditi avide expectant, impendere possis; hinc non opus est, ut per amicum interpretem mihi silentii tui dicas caussam, vel excuses, quod litterarium sermonem hactenus non frequentaveris. Ego potius utrumque peccatum, si quod pecco, deprecor, aequitati tuae confidens, qua omnia, quae tecum ago, probare soles. Quum enim Musae nostrae mihi tantillum hisce diebus fecerint ocii, ego etiam nihil usurpem libentius etiam ipsis in negociis, quam officium hoc litterarium, veniam mihi dabis te denuo dissertatione hac epistolica compellendi. Vehementer autem cupio, ut certiorem me reddas, an hoc scribendi genus tibi arrideat, ubi videlicet velitationem instituentes, longius subinde excurrimus, eaque quae linea subduci merentur, ipsis Philiatris, & tyronibus etiam inculcare studemus, si enim institutum hoc per me staret, methodum illam utroque approbarem pollice, quum non tam nobis, quam aliis scribamus & nostrae dissertationes etiam aliorum facilius merebuntur calculum, si Studiosi ex earum lectione voluptatem cum magno fructu conjunctam haurire poterunt. De caetero quum in praecedentibus meis hinc inde quaedam praetermissa videantur, placet denuo ea in scenam introducere. Initium autem facturus sum de euporisto *Variolarum* remedio, cujus & in Encyclopaedia tua medica, & in epistola tua, ni fallor, secunda fecisti mentionem. Promisseram eo tempore difficultates quasdam tecum dividendas, mihi a doctissimo Bremensium Doctore Medico *Dn. Harmes* motas, sed quum eo tempore litteras has aliis cum schedis per incuriam seposuissem, non licebat mihi stare promissis, quorum fidem nunc, reperta iterum scheda, impleo, obnixe rogitans, ut ea acerrimo tuo dignari velis judicio. *Incredibili*, scribit *flagro desiderio sciendi tuam, qua uteris in curandis variolis,*

lis, methodum. Nae ego saepius, & adhuc hisce diebus magna voluptate aureum D. Sydenhami de variolis perlegi tractatum. Multa fateor egregia & rara, sed non omnia ad palatum. Rotundo damnat ore quaecunque expellentia, sed nonne hisce saepius opus est, quum cana constet experientia, immanem edidisse puerorum stragem variolas erumpere nescias, quod si his supersedere possimus, methodumque hanc sequi oporteat spectatorem hujus tragoediae ociosum, nullum vero actorem ageret Medicus. Quid quod nemo inficias iverit, fermentum in hoc malo esse acidum, hoc ne totum assimilet sanguinem, invigilare Medicum jubet Sydenham. Optime! sed nonne absorbentibus oculis cancri, antimon. diaphor. myrrha, rasura cor. cer. hunc effectum certius sortieris, quam spiritu vitrioli, cujusvis corrosiva nunquam non est suspecta, ne dicam acidi fermenti tumultuantis furorem potius exasperare, oleumque affundere igni. Adde quod methodus Sydenhamiana sit pura puta Galenica, dum blando quodam popysmate saevientia duntaxat demulcere molitur symptomata, de caussa radicitus tollenda minime gentium sollicitus. Excutiamus sodes illius pharmaca, 1. quidem aq. lacte coctam, tum spirit. vitrioli in cerevisia tenui, tandem paregoricum ex sirupo de meconio & laud. liquido exhibet. Haec profecto non nisi motum sanguinis inhibent, caussam mali ne quidem tangunt, adeout plane persuasus sim, prosperos successus bonitati potius naturae, quam hujuscemodi debere remediis. Nonne jubemus omnes Medici crisin antevertere, praecipitationem juvare, motum materiae prim. elementi cum peregrino aethere colluctantis promovere, hic vero fermentationem studio refraenat. Equidem non is ego sum, qui tantum Virum redarguere ausim, sed & hunc scrupulum mihi eximi mallem; quod si motus ille nimius, ex illius hypothesi, est sufflaminandus, hoc videatur fieri debere istiusmodi medicamentis, quae caussam motus tollere apta nata sunt. Dein putredini evitandae prodesse docet vitriolum, nescio, an myrrha ipsi caedat, quum & haec acido magis sit appropriata. Undecima die novam febrem exanthemata minantur, cui praecavendae vitriolum dicat. Sed praesupponit forte massam sanguineam plane acido fermento defaecatam esse, nihilque in eo latitare scoriarum acidarum, id quod non leviter asserere, sed solide probare oportuerat. Nonne videmus omni die ex fermento tali relicto tusses, diarrhaeas abactis jam variolis, imo tum ubi in vado res videtur, sera morte tenellos mactare infantes. Videtur blandum diaphoreticum hic obicem ponere potuisse? Plura mihi restant dubia, imprimis, num turbatio mistionis sanguinis per vitriolum restitui possit? sed ne patientia tua, &c. Hucusque praelaudatus Medicus. Interea dum haec scribo, pervenit ad manus meas tractatus *Anchora salutis pro Variolosis* inscriptus, varia paucis sub pagellis complectens ad rem medicam spectantia, ex quo etiam, meo quidem judicio, superius motae difficultates dilui possunt, unde eum pro comite huic dissertationi adjunxi, quod ipsius Auctor tibi forte non sit ignotus.

De *acidulis* optime sentis, quod sint ignorantiae asylum, & molestiarum levamen & remedium. Ego censeo, quod fluidis corporis humani actuali suo frigore sint infensissimae, hocque plus noxae inferant, quam particulis metallicis vel mineralibus, quibus gravidae sunt. Quod enim sitim saepius excitent, quod vomitiones caussentur, & abdominis inflationes, & phlogoses producant, hoc a frigore potius oriri putem, quam ab acido, quamvis non inficier, & hoc suum quoque conferre symbolum; hinc vulgares Peripateticorum qualitates hoc quidem in loco non male primas, & activas dixeris. Vidi ego guttam rosaceam ab acidularum usu vehementem in modum incrementa sumsisse, pustulasque majores, & saniosas confertim egressas faciem plus quam antea defoedasse. Refert *Listerus* in tractatu suo de acidulis, aquas frigidas salsas, si potentur, vehementem sitim, vomitus, & aestuationes stomachi excitare, diarrhaeam movere, pustulasque in toto corpore expellere, quae effecta obstructionibus, & lymphae visciditati a fri-

gore introductis in acceptis ferenda. Observavi saepius, & adhuc nuper, dolores inveteratos artuum, quamvis longo tempore siluerint, inter potandum rediisse, quod vulgus quidem pro bono habet omine, quasi acidulae partes solidas pertentantes, vitiosos humores aggrediantur, iisque bellum indicant; verum praeter quam quod patientes plerumque contrarium experiantur, ego caussam longe aliam novi, nempe succi nutricii, vel etiam nervei, perinde enim mihi est, quo nomine illum donare velis, quum & hic & ille sint lac, viscriditatem, sive lentorem & acrimoniam, quum tubuli paululum in situ ob lapsum aliquem graviorem vel defluxionem, ut loquuntur, perversi, prae caeteris facilius obstruantur, & dolorosam acquirant intemperiem ob succi illos transfluentis acrimoniam & lentorem, quam intemperiem non a virtute medica acidularum, sed ab earum frigore actuali proficisci persuasum habeo. Quedam foemina potavit praeterita aestate acidulas Schwalbacenses, ex eo laborare coepit saepius cephalalgia atrocissima, saepius ex cardialgico affectu vehementer aegrotat, atque constanter de sputo acido-austero conqueritur, omnemque culpam rejicit in acidulas, quas per 14. dies horis matutinis non sine horripilatione quadam ob auram frigidiorem frigidas liberaliter hausit. Potus frigidus nusquam non nocet. Vir praeclarae conditionis pro temperando calore aestivo postquam frigidum cerevisiam affatim hauserat, denudato pectore per Musaeum, cujus fenestrae omnes patebant, obambulavit, eaque nocte denudatus in lecto cubavit; corripiebatur circa auroram dolore colico cum cardialgia dolorifica, quam febris statim comitabatur, a qua non nisi longo post tempore convaluit.

Quod si quis crederet, utrum *acidis* carere possemus? responderem ex tempore, & cum *Bontekoë* affirmativam tuerer. Acida, praesertim fixa succis nostris sunt infensissima, & in statu naturali nullum acidum fixum reperitur in oeconomia animali, quia acida sanguinis motum in circulum praepediunt, & mille modis nocent, volatilia autem salia motum progressivum & secundum lineam rectam constanter promovent, adeoque tuta semper sunt, quamvis non omnibus jucunda.

Crimen, quod *thee* fere promiscue committit, & quod ab omnibus objici solet, est, quod ventriculi imbecillitatem post se relinquat, vel saltem ob ventriculum debilem ferri non possit. Enim vero sicuti ridiculum foret, dicere velle, abstinendum fore ab usu sudoriferorum, quod nonnulli ea statim per vomitum rejecerint, quum tales potius audacius uti debeant sudoriferis, ut caussa illa, ob quam ea ferre nequeunt, sive ob quam languet ventriculus, quia scilicet ejus tubuli, vel glandulae sunt obstructae, tollatur; ita illi qui ventriculum imbecilliorem nacti sunt, uti debeant potu thee, qui si quid aliud blennam resolvet, & obstructiones reseret, hoc est, ventriculum ad invidiam usque confortabit. Sed cur innocentissimam thee in jus vocant? nonne vel sola aqua calida tantum juvaminis afferre potest in podagra & calculo? de quibus prolixius egit celeberrimus *Pechlinus in dissertatione de potu thee*. Fateor itaque, me non capere ea, quae non-nemo de thee pronunciat, cujus frequentiori copotatione calorem nativum instar flammae lampadis oleo consumto extingui; faterique necesse esse, immoderatum thee, sicuti vini potum, humidum nativum cito nimis absumere posse, caloremque, ac vitam extinguere. Quemadmodum enim illa, quae de calido innato vulgo dicuntur, ficta sunt, ita reliqua nequaquam ceu effecta cadunt in potum thee, aut eum suspectum reddunt.

Occasione *incisi vasis lymphatici*, de quo in praecedenti mea dissertatione epistolica egi, memoriae meae occurrunt, quae apud *Stalpartum van der Wiel* legi; is enim *observ. 46. p. m. 452.* vasis lymphatici, & praesertim salivalis vulnerati curationem perquam molestam & difficilem esse expertus docet, & pro confirmanda veri-

veritate aliquot alia ex *Solingio* & *Roonhuysio* allegat exempla, eumque in finem ol. terebinth. calidum, ol. sabin. pulv. centaur. min. commendat. Ego persuasum habeo, in incisione venae alicujus non raro simul vas lymphaticum pertundi, quae vasa sanguifera instar hederae hinc inde amplectuntur, unde postmodum liquor quidam lymphaticus non solum exstillat, sed tandem vas convolvitur, vel ipsa lympha, concrescens in tophum, tumorem scirrhosum producit. Opportune hanc in rem applicare possum casum, quem nudius tertius Socer meus transcripsit. Praefectus quidam contraxit ex venae-sectione in brachio sinistro instituta tuberculum nucis juglandis magnitudinem si non superantem, tamen aequantem, quod Medicorum & Chirurgorum conamina hactenus reddidit irrita. Ego illud ex lympha ob vas lanceola pertusum restagnante ortum duxisse statuo, quis enim nescit, in quantam succus lacteus concrescere possit duritiem, unde cataplasma ex sale tartar. armoniac. aliisque salibus volatilibus gaudentibus commendo, superimposito *Roonhuysii* emplastro ex resina pini, & ol. mastichin. quod si nec haec exspectationi satisfaciant, nec compressio lamina chalybea instituta juvet, confugiendum erit ad incisionem, & subsequens suppuratio facile suggeret remedia ulterius adhibenda. *Solingius* postquam frustra usus fuisset in ejusmodi vulneribus vitriolo cypri, & cauterio vas lymphaticum interceptum latiori ligavit vitta, imposito vasis ostiolo, prius probe contracto, remedio adstringente. Ubi monendi nostri sunt Chirurgi, quibus nova haec vasa porenta sunt invisa & monstra, ut horum vasorum ad lympham intercipiendam pressionem infra vulnus, non vero sicuti in arteriis, supra vulnus instituant.

De *natura* vulgari modo accepta, non ente, & quod nec extitit in rerum natura nec existet; legi tractatum Dn. *Boyle*, quem eo tempore mihi coram commendaveras. Ita quippe est, ut nihil aliud per *naturam* intelligere possimus, quam congeriem, & complexum variorum accidentium: vel ipsas rerum essentias, aut cogitationem, aut extensionem: vel materiam primi & secundi elemen. Ipse terminus *natura* usque adeo ignotus est, ut non nisi semel in tota Sacra Scriptura legatur, & quidem in novo testamento, quem locum etiam, si bene memini, ipse *Boyle* citavit. Necesse itaque erit, ut suam nunc corrigant Philosophiam *Peripatetici*, quum Aristotelis *naturae* fictitium quid, omniaque Scholasticorum Philosophorum circa *naturam* effata falsa sint. Econtra recentiores Philosophi saniores orbi erudito proponent hypotheses, opionesque minus intricatas, quia nunc didicerunt *naturam*, ad quam hactenus docti aeque atque indocti confugerunt, *vacuam esse vocem*, licet hucusque una & postrema, quantumvis re ipsa nulla, difficultatum omnium solutio *Aristotelicis* praesertim fuerit. Merentur sane attentionem verba illustris Dn. *Boyle*, quando in *libera in receptam naturae notionem disquisitione*, ita scribit: ostendi verae philosophiae progressum impediri posse, ipsa hominum consuetudine assignandi rebus imaginaria, aut arbitraria nomina tanquam veras effectuum Physicorum caussas: haec autem inter arbitraria vocabula nullum videtur malignius, ut ita loquar, fuisse *naturae*, plusque Physiologiae nocuisse, quam vox haec *natura*, quum nulla alia toties, & tam diversos in scopos usurpata fuerit. Quare quamvis omnem omnino vocis *natura* usum, affiniumque ipsi locutionum tolli nolim in vulgari sermone, atque etiam in Philosophicis quibusdam dissertationibus, in quibus aut summus rigor non requiritur, aut ambiguitas ipso contextu praeoccupatur, aut, ut verbo absolvam, quoties adhiberi potest tanquam sermonis compendium absque veritatis, veraeque Philosophiae praejudicio, quibus in casibus ipsemet hanc vocem usurpo, futurum tamen spero, ut libera nostra disquisitio nonnihil saltem conducat ad peritiorem investigationem, felicioremque physicarum veritatum inventionem, si hac induci homines possint, ut minus saepe, magisque circumspecte, tam ambigua

maleque saepe adhibita voce hac *naturae* utantur, sibique deinceps non amplius fingant veri se Philosophi partes implevisse, donec methodo clara particulatim a principiis, quae intelligi possint, phaenomena deduxerit. Quod aut quis praestare meminerit, aut se non praestitisse animadvertet, si neglectis generalibus, ambiguisque vocibus conetur res explicare iis locutionibus, quae ab attentis quibuscumque lectoribus, communique intelligendi facultate praeditis intelligi queant, perspicuamque hanc philosophandi methodum ingeniosi quique amplecti debent, hoc praesertim nomine, quod ii, qui eam secuti sunt, varia rerum difficilium investigatione, explanationeque, curioso hoc saeculo non solum plurima feliciter detexerint circa varia phaenomena vulgo ad fugam vacui relata, sed multa etiam in Hydrostaticis, Opticis, Anatomia, Botanica, aliisque variis, quibus immorari jam nequeo, realis disciplinae partibus. *Hactenus illustris Boyle.*

Tantum autem abest, ut haec aliaque eo quo dicuntur animo a Novitatum Osoribus suscipiantur, ut potius in perversas detorqueantur interpretationes; usque adeo periculosum est, vel tantillum a veterum placitis recedere, aut falsitates eorum detegere, quod omnes, qui opus hoc periculosa plenum alea aggredi conati sunt, suo cum damno experti fuere; ut difficile sane sit hoc nostro saeculo medium tenere, hoc est, nec cum antiquis amplius errare, nec se cum recentioribus odio exponere: interim quicquid etiam antagonistae de novitate, hypothesibus, figmentis, impietate, & crimine nescio quo hodiernae Philosophiae dicant, firmo tamen & in omne aevum stabit talo aequum, & ab omni partium studio remotissimum judicium, quod *Dn. Collectores actorum eruditorum ann. LXXX. pag.* 500. tulerunt. Illud, *dicunt*, tantum admonemus, saepe quidem peccare recentiores Philosophos nimium hypothesibus indulgendo, & parum ad practicas scientias ab illis conferri, qui sola principia corporum remota (sive illa sint formae, sive corpuscula) ad phaenomena specialia explicanda adhibent; ac proin felicius saepe ad usum vitae eos philosophari, qui ultima analysi in remotas illas caussas minime tentata, interim resolutiones quaerunt in illa, quae manu tenere, & sensibus vel omnino, vel sic satis assequi, & in praxin traducere possumus. Hos ipsos tamen remotas illas caussas non explodere, sed agnoscere potius debere, tanquam indubitatas, & ad generalia naturae cognoscenda, rectumque de summa rerum judicium ferendum necessarias; quum nihil perfecte intelligatur, nisi ad principia, velut Mathematica, licet in partibus a sensu remotioribus consistentia sit reductum. Hypothesin etiam esse magnifaciendam ad usum, ex qua quamplurima phaenomena particularia velut praedici possint, licet a priori aliam demonstrationem non habeat. Gravitatem autem aëris, aliaque multa id genus accurate stabilita, ac pro demonstratis habenda doctis plerisque videri. Denique si suppositiones suppositionibus comparandae sunt, illa quae sunt intelligibilia (qualia sunt, particulae striatae invisibiles, & his similia) censenda esse meliora, quam entia quaedam semimaterialia in distans radiantia, quae non tātum sensu, sed & intellectu percipi nequeunt, & de quibus ob incognitam eorum naturam nulla definitione satis explicatam, quidvis etiam fortasse repugnans affirmari solet, ex prioribus enim si distincte concipiantur, saltem aliquid discimus, quod sit possibile, ex his omnino NIHIL.

Haec ad artem medicam applicari possunt, si enim vulgarem medendi, & phaenomena morborum per suas caussas explicandi methodum accuratius, & attentius inspiciamus quae non insaniae, deliramenta, fabulae, errores, pericula? Quia tamen Mundus opinionibus regitur, & homines auctoritatibus, & superstitionibus ducuntur, vulgares etiam Practici facile in animis hominum fiduciam obtinent, magnamque acquirunt famam, quod in praxi cauti admodum, & circumspecti sint, & quod non nisi *temperatis*, & omnium tutissimis utantur remediis. Dicam

autem

autem aperte & ingenue, quid sint illa *temperata* remedia, sunt nempe ejusmodi remedia, quae non alterant, hoc est, quae non juvant, nec juvare possunt, ac proin aegri, sive curentur, sive moriantur, curantur temporis beneficio, & moriuntur per ejusdem injuriam. Talis enim Medicus ne caussam quidem morbi suis attingit *temperatis*, & nihil agendo amplas subinde acquirit facultates, in eo caeteris prudentior, quod omnia se scire simulet, ut *Plautus* loquitur, neque quicquam sciat, quod recenti favore magnum acquirat nomen. Crescit enim Empiricorum fama eundo, & quamvis in principio vagus primum & incertus rumor de vulgarium Practicorum eruditione & scientia medica oberret, mox tamen, ut in magnis mendaciis (sunt verba Taciti) interfuisse se quidam, & vidisse miracula affirmant; credula fama, inter gaudentes, & incuriosos.

Edidit hoc anno tractatus duos Physico-Medicos celebris *Monspeliensium* Anatomicus *Reimundus Vieussens*, quorum primus de *remotis & proximis misti principiis in ordine ad corpus humanum* spectatis: secundus de *fermentatio*ne agit. Placet impraesentiarum quaedam ex primo tractatu in nostrum convenere usum, quo videant Philiatri, quantum lucis ars Medica e saniori Philosophia foenerari queat. Considerat autem doctissimus hic Auctor, quem jam fama ob *Neurographiam* scriptam litterato orbi commendavit, *cor* velut *trutinam lancibus quatuor* instructam, quae continuo momentis imparibus, seu viribus sese alternatim superantibus libratae indesinenter vicissim descendunt, & ascendunt. In hac trutina pericardium una cum arteria, & vena pulmonari *ansam*, tendo autem cui ventriculi, & auriculae cordis appenduntur, *jugum*, septum medium *lingulam* exhibet. Ventriculi cum auriculis *quatuor* ejus *lances* constituunt, quae inaequalium virium suarum alternatim sibi cedentium ope perpetuo motibus oppositis agitantur; quemadmodum verae trutinae lances motibus etiam oppositis indesinenter agitarentur, seu descenderent, & ascenderent, si momenta imparia, & vi quadam extrinseca sese vicisim superantia ipsis imponerentur: *pulmo* una cum *mediastino* libripendis vicem supplet, ne DEUM ipsum Spirituum ponderatorem hocce munere fungi dicamus, uti non abs re dicere possemus; quum ab eo hujusce corporis nostri trutinae motus omnes revera pendeant: is is enim est, qui eos pro libito modo per breve tempus, & modo ad plures annos sustinet atque conservat. Ut autem Dn. VIEUSSENS accuratius demonstret, comparationem hanc cum cordis functionibus ex asse convenire, jubet *cordis* statum in ipso Adamo, postquam DEUS ipsi spiraculum vitae inspiraverat, attentius contemplari, In quo primo notat statum aequilibrii, quam servare nitebatur juxta Philosophorum regulam: *omne corpus tam diu manet in suo statu, in quo est, donec deturbetur ab alio*; adeoque vi hujus regulae sanguis in ventriculis, & auriculis cordis non magis motu suo expansivo cor dilatavit, quam fibrae spirales substantia fluida motu vorticoso agitata imbutae illud contrahere nitebantur. Verum quum Sapientissimo Mundi Conditori placuerit, ut cor statim a primo productionis suae momento influxui vel potius affluxui spirituum animalium, sive liquoris nervei vel animalis, expositum esset, aequilibrium illud statim fuit sublatum, postquam fluida nervorum substantia altera motu vorticoso intra cordis tubulos agitata subtilior fibrarum motricium nisum auxit, quippe fluida cordis substantia intra parenchyma vel contextum fluctuans, spiritus animalis appulsu jam vegetior facta, sanguinis sive fluidae substantiae intra cordis ventriculos contentae nisum expansivum facile superavit, spiralium fibrarum poros occupavit, eosque dilatavit, ut ille inde breviores factae cor contraxerint. Primus itaque cordis motus in Adamo fuit *Systole*, sive contractio dependens a fluido intra cordis contextum motu vorticoso agitato, & ipsi superaddita vi spiritus animalis. Quo ipso sanguis in patentes arterias, arteriam pulmonarem, & aortam expedite migravit, isque qui in ipso erat parenchymate

mate veluti expressus, venam coronariam ingressus est.

Si regeras, quare sanguis ille non in venam cavam vel pulmonarem regurgitaverit, & quare sanguis non statim his ex venis illapsus fuerit? respondemus cum Auctore, quod quum fibrae illae spirales jam breviores in cõtractione efformarent circulos, cor brevius factum, ipsas que valvulas tricuspides sursum sublatas januarum instar his ostiis oppositas fuisse, & sanguinem harum venarum his exclusum nec aditum habentem versus auriculas cordis deflexisse.

Verum unicum adhuc superest notatu dignissimum; nempe attendere est, materiam primi & secundi elementi poros fibrarum spiralium tunc in parte concava angustiores, quam in convexa difficillime transiisse, fibrisque vim elasticam, ipsis dilatandis idoneam conciliasse, spiritum autem animalem e cerebro manantem totum tunc versus cordis auriculas profluxisse.

Tali in statu permansisset *Cor* Adami, nisi alia caussa extrinseca potentior accessisset, quam in elatere sive vi elastica, quam spirales cordis fibrae in statu contractionis habebant, & impulsu illo sanguinis cordis ventriculos, & magnos illius poros sive tubulos ingredi nitentis, quaerimus, hac enim ex caussa, quod jam prior vis contractrix ob sanguinis recens expulsi recessum de repente expiraret fibrae antea contractae relaxatae fuerunt, illarumque circuli longiores evaserunt, hinc sanguis arteriae coronariae universum cordis textum irrigabat, & is, quem cava & pulmonaris vena ad auriculas devexerant, ejus ventriculos subibat, eosque prima vice dilatavit, qui alter cordis motibus *Diastole* vocatur, e vi elastica, quam fibrae in contractione sibi comparaverant, & ex impulsu sanguinis, qui ventriculos & magnos ejus poros subiit, compositus. In hac dilatione fibrarum relaxatarum pori angustiores facti sunt, quia ipsorum parietes sibi invicem magis appropinquarunt, unde novam priori oppositam vim elasticam acquisiverunt, ipsis nempe contrahendis aptam natam, hac tamen non obstante cor semper in statu dilatationis permansisset, si nempe vis elastica, & impulsus sanguinis ventriculos, & magnos illius poros occupantis, a quibus pendebat, spiralibus ipsius fibris laxatis semper aequaliter obstitissent. Enim vero illud prorsus impossibile erat; quoniam cor statim atque dilatatum fuit, mutatis fibrarum poris in figura & magnitudine, eam vim elasticam derepente amisit, quae huic dilatando conduxerat, & in locum illius opposita altera, illi scilicet contrahendo apta, substituta fuit. Ita ut solus impulsus sanguinis superesset ad cordis dilatationem sustinendam, verum illae huic sustinendae impar erat; quoniam spiralibus cordis fibris jam vires magnas communicaverat, atque adeo ipsis arma commodavera, quibus expugnandum erat: aliunde vero spirales cordis fibrae, praeter novas a sanguine communicatas vires, alias adventitias habebant, quas a nova vi elastica, quam sibi modo comparaverant, & a spiritu animali mediocres earum poros recenter subeunte mutuabantur. Hinc factum est, ut illae variis nunc commemoratis viribus simul unitis, quasi unica vi agentes, sanguinis, ipsas continuo laxare conantis, nisum facile superarint, eoque superato, eadem, qua prima vice ratione sese contrahentes, *Cor* rursus ad contractionis statum restituerint; quem citissime ob rationes superius allatas dilatationis status excepit.

Ex jam dictis pelam fit, vim illam, cujus ope *Cor* secunda vice sese contraxit, e vi fluidae illius substantiae, & binis aliis viribus ipsi supperadditis, nova scilicet vi elastica, quam sese dilatans acquisiverat, & impulsu spiritus animalis mediocres illius poros recens ingressi compositam esse. Quae si auricularum statibus diversis applicare velimus, edocebimur, eas eadem via vim contractricem, & dilatricem acquisivisse, & ipsum Cor pariter, & auriculas in muniis suis obeundis a se invicem ita dependere, ut illud sine his, & hae sine illo diu motus suos obire nequeant, quippe commercium illud cordis cum auriculis, & auricularum cum corde

circu-

circulationis sanguinis Auctor, & conservator est haud infimus. Ita ut cor & auriculae spiritum animale, imo & innati spiritus sui aliquid ad se invicem amādent, quoties dilatantur; ita sane spiritus animalis, & innatus a corde sese dilatante ad auriculas amandari eas ad sese contrahendum determinant; quemadmodum sanguis, quem ipsummet cor sese contrahens in cavitatem illarum compellit, iis dilatandis inservit,; spiritus animalis pariter, & innatus, quos auriculae sese dilatantes ad cor amandant, illud ad sese contrahendum determinant; sicut sanguis, quem in ventriculos illius dejiciunt, ubi contrahuntur, huic dilatando conducunt. *Binæ* itaque *auriculæ* & *Cor* contrariis duobus motibus sese vicissim proxime consequentibus, motu nempe contractionis & dilationis, perpetuo cientur, quamdiu vivit, & sanus est homo. Hoc tamem auricularum, & cordis motibus discriminis interest, ut; illae contrahantur, quum istud dilatatur; & dilatentur quum cor contrahitur: sed motus usque adeo velociter fiunt, ut licet successive fiant, uno tamen eodemque fere momento fieri videantur, nisi cum properante morte animal languere incipit; tunc enim distinctus ejusmodi motus percipiuntur, & insuper observatur, quod reliquis cordis particulis emortuis, dextra superstes adhuc vivat auricula, quae prima vitalem motum inchoaverat.

Neque tamen putandum est, cor in sanguinis circulatione producenda omne ferre punctum, quum & arteriae suum conferant symbolum, quippe & hae ejusmodi donatae sunt fibris, quae & in prima dilatatione, & contractione arteriarum vim elasticam nactae sunt; & quum venae non instructae sint fibris elateris capacibus, omnis quoque pulsationis expertes reperiuntur, si illas saltem exceperis fibras, quae in ostio cavae, & pulmonaris venae observantur. Puto etiam clare sic intelligi, primum arteriarum contractionem e motu vorticoso fluidae substantiae illarum tubulos occupante, & impulsu spiritus animalis, & e vi elastica, quam acquisiverunt, dum dilatarentur, compositam fuisse: dilatationem autem motui sanguinis expansivo, impulsui a corde communicato, & elasticae vi in acceptis ferri debere.

Pro dictorum veritate confirmanda, & illustranda repetenda quoque essent illa, quae Auctor de structura, & fabrica cordis cum suis vasis praemisit, elegantibusque figuris ad vivum quasi expressit, sed quum haec vix ac ne vix quidem exscribi possint, saltem revertar ad ea, quae viam ad vim illam elasticam clarius intelligendam planam magis reddunt. Observari autem velim, veteres nihil fere de vi elastica ejusque caussa scivisse, donec recentiores Philosophi discussis crassioribus ignorantiae nebulis novum hunc corporum quorundam statum explicare coeperint, inter quos primas tenet *Cartesius*, quem *Rohault*, *Perrault*, *Mariotte Hamel*, *le Grand*, *Sturmius*, aliique plures sequuntur. Hi enim rejectis formis substantialibus, & Principio Hylarchio excusso, caussas magis rationales, & intelligibiles in apricum producunt, atque vel motum hunc, sive rectius conatum ad motum materiae primi, & secundi elementi, vel pressioni aëris subtilioris inacceptis ferunt. Est autem elater vis quaedam occulta & extrinseca, cujus ope corpora quibus imprimitur, naturalis tensionis statum recuperare nituntur, quum primum ipsum amiserunt. Nolim tamen, ut forte putes, Auctorem nostrum per vim occultam qualitatem quandam inexplicabilem intelligere, quum statim ex illis, quae definitioni subjicit, contrarium cuivis appareat; dicit enim, vim illam nihil aliud esse quam motum a primo, & secundo, vel a primo tantum elemento corporibus quibusdam communicatum, dicique occultam, quum per suos effectus solummodo dignoscatur, & a caussis pendeat, quae insensibiles, & corporibus quibus inditur, extrinsecae sunt.

Caussa itaque primaria est primum, & secundum elementum, frequentius tamen primum, quippe pori subinde ita parvi evadunt, ut secundum elementum

ipsos

ipsos penetrare nequeat, sicuti in poris aëris condensati contingit. In ipso autem corpore certa pororũ requiritur coarctatio; ut materia subtilis pari alacritate, qua ingreditur ab altera parte egredi nequeat; hinc non quodlibet corpus elateris capax est, qualia sunt dura fragilia, dura flexibilia, mollia, liquida, plumbum, cera, aqua, &c. sed illa solum, quae extensa vel contracta poros adeo angustos accipiunt, ut materiae subtili non pateat liber commeatus; hinc fit, ut illa corpora impressam vim recipiant, vel ad dilatandum vel ad convolvendum. Sic omnia corpora dura, flexibilia longa vim elasticam acquirunt, quoties in arcum rediguntur, imo & dum intorquentur, aut in semetipsa convolvuntur, quoniam tunc illorum pori e regione curvaturae adeo angusti fiunt, ut materiae subtilis liberum transfluxum denegent. Corpora arcuata elateris fiunt capacia, 1. quando ipsorum extremitates ad se invicem multum appropinquant quia tunc pori e regione curvaturae admodum angustantur: 2. quando cornua sive extremitates nimium dimoventur & elongantur, tunc enim pori e regione curvaturae opposita admodum exigui fiunt. Eodem quoque modo corpora in spiras conformata vim elasticam acquirunt, quatenus 1. quando minores fiunt, quam sunt in statu naturali, pori internae superficiei angustissimi redduntur, quod in lamina chalybea horologii, elateris nomine donata, videre est: 2. quando ampliores evadunt, quam sint in statu naturali, quia tunc exterioris superficiei pori admodum angustantur.

Quo quidem nihil jucundius, nihil utilius ex physicis in forum Medicum transferri poterat. Hoc enim pacto doctrina de motu musculorum omnibus plana reddetur atque perspecta, quum & hi vim habeant elasticam, & in statu naturali semper intensionis quodam statu sint constituti, atque sese semper contrahere nitantur; omnesque corporis partes quae musculorum antagonistarum ope moventur, semper in quodam aequilibrii sint statu. Videmus enim, quod si musculus quidam ex transverso secetur, aut paralysi afficiatur, antagonistam illius, quod nulla amplius praesto sit caussa, quae actionem ejus impedire queat, totum in se ipsum vi propria etiam reluctante anima contrahi. Praeterea videmus, quod musculus, si principium ejus transversim scindatur, innatae vis suae ope totus caudam versus feratur; quemadmodum ad caput retrahitur, si finis illius secetur; & utramque versus extremitatem conglobatur, dum circa mediam sui partem rescinditur. Quam vim innatam musculorum non aliter, quam per calorem sive fluidae alicujus substantiae mediocres illorum poros occupantis motum vorticosum explicari velim, haec enim poros semper dilatare nititur, qui dilatari nequeunt, nisi musculorum longitudini aliquid decedat, ipsique musculi perpetuum ad contractionem habeant conatum. Qua vi etiam musculi sphincteres dicti partes, quas occupant, continuo stringunt.

Lucem quoque haud exiguam inde foenerabitur abstrusissimum illud respirationis negocium, quod motibus oppositis perfici indies experimur. Ubi novum quoddam mihi opportune incidit experimentum hisce diebus a me institutum, & iconismo inposterum delineandum. Sumseram pulmones recens e thorace exemptos, eosque recipienti immittebam pendulos, extraxi antliae beneficio aërem ambientem, quo abeunte illa aëris interni intra vesiculas pulmonales fluctuantis portio vim suam exserebat elasticam, atque pulmonum lobos in magnam distendebat molem; hoc experimentum si pulmonibus foetus in utero materno mortui instituatur, non succedet, argumento, pulmones omni adhuc aëre esse vacuos. Quo ipso solidissime probari posset, utrum infans recens in lucem editus ipso in partu adhuc vitalis fuisset, nec ne, de quo alias Juris-Consulti agere solent; volunt enim, ut parturiens suspecta infanticidii mediante tortura obtineat rei veritatem, cui supersedere possent, si pulmones praedicto experimento subjicerentur, hoc

enim

enim certius de infantis vita vel morte paulo ante partum perhibebit testimonium, quam si pulmones aquae injiciantur, atque ex eorundem gravitate vel levitate litem hanc dirimere velimus.

Sed aures mihi denuo vellicat phaenomenon quoddam hactenus explicatu difficillimum, quare videlicet in apoplecticis, & in animalibus, in quibus nervi octavi paris, & bini intercostales circa ingressum in cavitatem corporis scinduntur, cor ad plures adhuc horas regulares contractionis, & dilatationis motus obeat. Novi quidem, quod CARTESIANI dicant, pulsum & respirationem aliquandiu manere in apoplecticis, quod viae illae, per quas spiritus animales ad diaphragma & cor manant e cerebro, magis tritae sint, porique illorum nervorum magis patuli; verum quamvis huic quidem phaenomeno sic satisfieri posse videatur, alterum tamen, quando scilicet nervi dissecantur, nondum solutum erit.

Cui nodo solvendo Dn. VIEUSSENS Alexandri gladium nobis suggerit, dicendo, cor moveri sane debere, etiam nullo manante a cerebro spiritu animali; quia, dum semel contractum fuit, illud citra ullum spiritus animalis subsidium, elasticae suae vis ope, & sanguinis impulsu dilatatur; ubi vero dilatatur, aliam vim elasticam priori oppositam sibi comparat.

Non solum itaque cor movebitur, sed & aequaliter movebitur, quoties scilicet nullum aliud ipsi occurrit impedimentum; quoniam tunc temporis sanguis, a quo potissimum motus illius dependent, ventriculos & auriculas ejus eodem servato ordine, aut velut passibus aequalibus, saltem ad aliquod temporis spatium, permeat, atque adeo ipsum ad motus aequales obeundos sollicitat. Nihilominus tamen his in casibus motus cordis diu perstare nequit, quoniam spiritus animalis affluxu ad cor impedito, hic ad pulmonem uno eodemque tempore impeditur; quum iidem nervi parti utrique prospiciant. Hinc autem fit, ut sensim cordis vires necessario destitutae subsidio labascant, & pulmonis constitutio naturalis labefactetur, seu ejus tonus laxetur. Ubi vero cordis vires labascunt, & pulmonis textum laxatur, illud langui de sanguinem e ventriculis suis dejicit, & iste huic commeatum denegat. Inde fit, ut tunc pulsus mutetur; & sanguis in substantia pulmonis sistatur, cujus vesiculas & bronchia tandem ita comprimit, ut respirationem prorsus impediat, & apoplectici, & quibus nervi octavi paris, & bini intercostales circa ingressum in cavitatem pectoris secantur, intra breve tempus praefocati moriantur, & in ipsis pulmo semper inflammatione quadam affectus reperiatur.

Discant nunc tyrones, non dari in rerum natura simile compositum, quale est homo, una enim sui parte ad naturam DEI & Angelorum accedit, altera ad res extensas pertinet, duoque in se continet principia essentialia, quorum quodlibet certarum operationum Auctor est, quaeque non nisi per solam DEI voluntatem conjungi poterant, ut mutuum actionum, & passionum inter se exercerent commercium. Principium illud immateriale vocatur *Mens*, cujus vita semper actuosa in cogitatione ponitur. Alterum materiale sive *Corpus* vivit per motum, & convenientem omnium partium dispositionem, varios admittentem gradus; si enim penitus destruatur, non amplius digna censetur haec machina, cui juncta maneat mens, hinc mori dicitur. Saepius tamen illa dispositio in tantum labefactatur, ut vel nulli ad tempus, vel pauci, iique valde imbecilles cieantur motus, qui non raro, si tempestive suppetias feramus, in integrum restituuntur, id quod in lipothymiis, passione hysterica, apoplexia, aliisque cum motus, & sensus ablatione infestantibus morbis videre est.

Hinc Medici omnem suam in eo locant operam, ut fluidorum itum, & reditum per cor cum appensis canaliculis, & vasculis conservent, hocque animae domicilium ab injuriis quibus expositum est, vindicent, eumque in finem salia sua vola-

tilia oleosa, potum thee, aliaque humorum fluiditatem conservantia commendent.

Jucundum pariter ac utile est intueri experimentum in corde animalis recens mactati institutum, hoc enim quamvis jam omni destitutum videatur motu, eundem tamen recuperare videtur, si charta spiritus vini dephlegmato imbuta tegatur, vel spongia spiritu cornu cervi composito turgida foveatur, id quod eo melius succedet si interea ipsi pulmones ab alio adstante inflentur, concessis semper ad exspirationem induciis, hoc quippe reciproco motu tantum efficies, ut fluida illa intra musculos cardiacos (cor enim ex duobus compositum est musculis) adhuc commorans substantia motum suum vorticosum denuo exerceat, atque vim elasticam fibris circularibus restituat, etsi nulli amplius spiritus animales e cerebro affluant.

Exin patet, quam inepte externis cardiacis subinde misceant Practici lignosa, testacea, viscosa, frigida, acida aliaque, quum praeter camphoram, crocum, salia volatilia, aquas spirituosas, & aromatica caetera omnia pretium saltem adaugeant, viribus autem nihil superaddant.

Sed quum superius vitae mentis fecerim mentionem, miror profecto, quod *Spinozistae*, pessimum hominum genus, eam pro modo extensi habeant; quippe vix dignos hos conseo, cum quibus in arenam amplius viri boni descendant, praesertim quum in hac palaestra jam triumphum egerit POIRET in suis Metaphysicis, quem tamen in scyllae scopulos illisum fuisse, ut voraginem charybdis evitaret, alii judicant.

Summa rei haec est: quilibet propriam suam hic excutere debet conscientiam, & fatebitur vel invitus etiam, quod concipiens rem cogitantem non possit alium conceptum rei, alium cogitationis formare, & quod propterea cogitatio, quoniam in suo conceptu nullam aliam rem involvit, sit substantia, non modus; utpote qui in conceptu aliam adhuc rem involvunt. Deinde provoco denuo ad cujuslibet conscientiam, testem omni exceptione majorem, annon quivis in se ipso experiatur, quod clare & distincte possit intelligere se tanquam rem cogitantem, sed ut etiam simul percipiat, se jam non cogitare de re extensa: hoc autem & non extensam, ita ut clare & distincte percipiat, non solum rem cogitantem, quum sit, indubitato liquet, quod rei cogitantis essentia non involvat in se essentiam rei extensae, & quod propterea essentialiter differant, ita ut inter rem cogitantem, & extensam nulla affinitas, nulla cognatio, multo minus identitas reperiatur, sicuti inter rem extensam, & corpus identitas, inter corpus, & figuram inseparabilis dependentia, & affinitas, inter figuram, & magnitudinem vel motum, quasi collateralis quaedam cognatione, & quasi radicatio in uno subjecto reperitur.

Debet autem illa clara, & distincta cogitatio unius rei absque altera, non solum per abstractionem fieri, sicuti forte concipio figuram habentem tres angulos, non cogitando eos angulos esse aequales duobus rectis, quae tamen proprietas inseparabilis est ab ipso triangulo, & ab ejus essentia non differt realiter: aut sicuti forte intelligo latitudinem sine superficie, sed illa debet fieri per omnimodam exclusionem, & negationem alterius rei, & sic quilibet in propria conscientia convincetur, quod habeat ideam rei cogitantis, exclusa etiam & negata omni re extensa.

Sed haec quasi in digressione oppono, nactus hodie occasionem ex lite, quam Auctori tractatus *Medicinae mentis, & corporis* aliqui intentant, eum insimulantes Spinozismi, aut nescio cujus haereseos postulantes, quam tamen suspicionem justitiae, & aequitati causae confidens omnimodo declinare vel abstergere contendit, de quo legi potest Mensis Junius, libri, qui hoc anno

anno prodiit sub titulo: cogitationes rationales, & joco-seriae super varios libros, & quaestiones jucundas & utiles, *in Octav. Hallae 1688.* Auctor hic quisquis etiam sit, profundam suam eruditionem, & ingenii acumen ostendit in Historicis, Politicis, Philosophicis, Jure publico & privato, imo in omni Scibili. Sunt tamen quibus displicet, quod cordate nimis, & audacter scribat, & quod acrius subinde invehatur in Philosophiam Aristotelicam, eamque salsis dicteriis ubivis vere prostituat, quodque non pertimescat tritum illud: veritas odium parit. Verbo, eum sibi nimis indulgere existimant. Neque diffiteor, ipsos quoque Medicos subinde pungi: ea propter si grave tibi non fuerit, VIR EXPERIENTISSIME, pauca inde excerpam eaque his subjungam, praesertim quum dubitem, librum hunc ad tuas adhuc pervenisse manus, vel tibi saltem tantum fuisse ocii, ut illum perlegere potuisses.

In praefatione viam sternit ad menstruas suas relationes, par hominum introducens de praecedentia litigantium, ubi vanam hanc gloriam tot malorum Auctorem acute satis perstringit.

Pro Mense *Januario* disserit de electione librorum. Equidem certo certius est, quod ipsi tituli saepissime fallant, unde mala emptio postmodum semper ingrata est, eo maxime, quod exprobrare stultitiam Domino videtur. Hinc noster recenset Conciones Patris Augustini Ordinis ABRAHAMI a SANGTA CLARA, easque Collocutorum censurae submittit.

Ab his transitum facit ad varia Historica, Politica & Philosophica, & in hanc rem rariores quosdam introducit libros, verb. gr. Pradii origines Rerum Capatinorum. Vindicias Romani Imperii contra Pradium. Ludolphi de bello Turcico feliciter conficiendo. Mercure Historique & Politique. Le conquestes du Marquis de Grana dans les pays Bas. Le Comte de Soissons. In *Februario* prolixe disserit de Licentis, & Accisis. Deinde verba facit de Majestate POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIAE, vel e facie legenda, ejusque Magnanimitatem, & clementiam ea qua par est devotione, & animi submissione describit, cujus fortitudinem jam dudum inter alias res gestas expeditio pro Vienna ab obsidione liberanda facta depraedicavit. Allegat Noster eum in finem orationem Panegyricam ANTONII DE AMADORIS Romae habitam, ex qua sequentia excerpsit verba: *non detrectavere pugnam Barbari, quorum ardorem, & primum belli impetum fortissimi Saxones excepere, qui, tanquam pro modo virtutis fortunae gradus deberetur, prima in acie constituti, illatis ultro acceptisque vulneribus in vestigio quisque suo famaeque superstites cecidere, haud indigni illius in imperio* PRINCIPIS, A QUO GLORIOSISSIME DUCEBANTUR. Eodem in mense agit primo de scriptis Satyricis, deinde de actis Eruditorum aliisque. In *Martio* varias disciplinas virgulae censoriae submittit, in primis veterum Metaphysicam, & Physicam definit qualitatem occultam, quod sit vocabulum eleganter sonans, cujus vi Physicus ignorantiam suam obvelare, & incautam Juventutem occulte emungere potest. Varillas historiam errorum, & mendaciorum redarguit. Peripateticorum ineptias ridet, Cartesium excusat, praesertim, quoad dubitationem pag. 327. de Scriptis POIRET, MALBRANCHE, VELTHUYSEN, TSCHERNHAUSEN animi sui sententiam cordate, & candide explicat. Pro *Aprili* iterum introducit ARISTOTELEM, eumque Satyrico defricat sale. Examen Al xandri Magni ab ipso Aristotelem institutum describit, in qua sequentium thesium defensionem sustinuerit Alexander, quo illos pungit, qui Principes Scholastice nimis, & in inutilibus informant. An Logica sit ars, an habitus? An rectius scribatur Auctor an Auctor? Saeculum an Seculum? cottidie an quotidie? Philosophia an Filosophia? Triumphus an Triumfus? An Haecceitas sit principium indi-

viduationis? An narratio sit de essentia Rhetoris? Quaenam sit differentia ratione partium essentialium inter orthodoxam orationem, & justam concionem? An furor Poëticus sit habitus innatus, an acquisitus? An Imperium Romanum sit futura quarta Monarchia? An unitas sit numerus? An quadratura circuli sit ante finem mundi speranda? An Algebra sit primum fundamentum inquirendae veritatis? An Luna sit major disco? An Sol moveatur? An Societas paterna pertineat ad essentiam familiae? An pauper possit esse liberalis? An detur Principium haecceitatis? An stultitas an vero stultitia sit abstractum stultorum? An detur conceptus medius inter Ens, & non-Ens? An rectius dicatur caseum habere formam an figuram? quia caseus quidem est inanimatus, sed generantur tamen in eo vermiculi animati, aeque ut in homine? Quae quamvis ficta sint, & a nonnullis pro ludicris habeantur, vim tamem dictorum assequuntur facile, illi quos aequus amavit Jupiter.

Ego librum hunc dignum censeo, qui Theologis, Politicis, Philosophis, & Medicis commendetur, sed qui capit, quo capiat.

De his aliisque inposterum plura, nunc enim te diutius detinere nolo, sed bene valere jubeo. Dab. Marburg. XV. Decembr. An. 1688.



JOHAN-

JOHANNIS JACOBI WALDSCHMIDT EPISTOLA V.

Ad
Celeberrimum Hassiae Medicum
Dn. JOHANNEM DOLAEUM,
Quae in ordine est septima.

NOBILISSIME DOMINE,
Fautor, & Amice colende!

UT coeptam pertexam telam, denuo te, Vir praeclarissime, tuosque labores interpello, ea, quae in praecedentibus meis litteris adhuc dicenda erant, impraesentiarum allaturus. Dictum aut fuit de praecipuo illo machinae humanae automato corde, mediante quo sanguis ita urgetur, ut non solum ad omnes totius corporis partes abeat, sed etiam inde eleganti ordine ad cor redeat, quod propterea una cum arteriis vi duplici elastica gaudere persuasum habeo, eamque in rem quaedam ex allegato tractatu *Dn. Vieussens* in scenam produxi. Enim vero sunt quibus haec quae de vi cordis elastica dicuntur, difficiliora cognitu videntur, quam illa quae vulgo per facultatem explicari solent. Nescio autem, utrum doctissimi hi viri legerint unquam illa quae in Physicis de attemperato chalybe ejusque vi elastica, nec non de particulis aëris flexibilibus quidem, & plicabilibus, sed vi elastica praeditis, eum in finem afferuntur, quum certum sit, quod qualitas sive vis illa a duritie, & mollitie filamentorum pororumque constanti figura, & angustia dependeat, sicuti id manifestum fit in arcu, qui perpetuum talem ad resiliendum habet conatum, quamdiu ipse aether poros ab una parte pleno agmine ingreditur, ab altera autem pari facilitate egredi nescit, ipsaque filamenta in debito rigiditatis manent statu. Quod si forte vis illa elastica exspiraverit, facile regenerabitur, si lamina illa chalybea denuo incudi committatur, & malleo contundatur, ut partes iterum propius ad se invicem accedant, ipsique pori priorem dum flectitur induant figuram, tunc enim nova vis elastica comparebit. Ut vel inde constet, qualitatem illam a fluido, & solido dependere, quod jam in praecedentibus meis litteris abunde satis probavi. Sin plura expetant, legant quaeso illa quae *Rohault* habet, & quae haud in finem disseruit *Perault*, aliique plures; nullus enim dubito quin calculum nobis adjecturi sint, praesertim si ex concessis in parte Physices generali argumentari velimus, quod videlicet vacuum dari nequeat, & quod consequenter fluidum ipso aëre subtilius poros angustissimos transeat, & quod plurima phaenomena circa aëris qualitates aliorumque corporum facillime per materiam subtilem explicari possint, dum econtra facultates illae nil nisi vacuae voces sint, quae prout a veteribus concipiuntur, nullibi in rerum natura existunt.

Nunc porro mirari subit, qui fiat, quod 1. venae non pulsent? 2. quod non plus san-

ſanguinis propellatur per arterias, quam per venas, quum tamen ſanguis celerius multo fluat in arteriis, quam in venis? & 3. quomodo mechanica illa, & levis preſſio facta a corde toti moli ſanguineae propellendae poſſit eſſe ſufficiens? Ad quorum primum reſpondeo ex praelaudato in ultimis meis Auctore *Reimundo Vieuſſens*, quod venae careant fibris elateris capacibus, exceptis iis, quae in oſtio cavae & pulmonaris venae obſervantur; quarum quaelibet ibi, ubi in auriculas cordis aperiuntur fibris elateris capacibus intertexitur: & *vena cava* quidem membranoſum habet proceſſum, cujus fibrae carneae ad dextram cordis auriculam protenduntur, & cum motricibus illius fibris uniuntur; hinc eſt, quod auricula dextra contrahi, & dilatari nequeat, quin hujuſmodi proceſſus contrahatur & dilatetur, ita ut contractionis ſuae ope totum ſanguinem, qui in ipſo venae cavae oſtio continetur, in dextrum cordis ventriculum protrudat, dum auricula dextra ſuum in ipſum dejicit, & uno eodemque tempore valvulae clauſae vicem gerens ſanguinis e partibus cordi ſuperioribus deſcendentis pondus ſuſtineat; atque adeo impediat, ne tum pondere, tum impulſu ſuo cor obruat, & ſanguinis a partibus cordi inferioribus aſcendentis motui obnitatur, quumque inferiora verſus refluere cogat. Ubi vero membranoſus ille proceſſus dilatatur, valvulae apertae vicem ſupplet, adeo ut ſanguini e ſuperioribus cordi partibus per venam cavam ſuperiorem refluo, viam aperiat, ut in oſtium ipſiuſmet venae cavae, & in auriculam dextram ingrediatur; quin propterea ſanguinis vena cava inferiore delati motui obſiſtat. *Vena pulmonaris* autem circa radicem vel inſitionem ſuam plures fibras carneas ad ſiniſtram uſque protendit cordis auriculam, quae cum motricibus illius fibris uniuntur, ita ut praedicta auricula contrahi & dilatari nequeat, quin radici ejus adjacens vena pulmonaris contrahatur & dilatetur. Quamvis itaque duae hae venae in radice pulſatorio motu ciantur, nullibi tamen pulſus extra haec confinia ob vis elaſticae defectum cieri poteſt. Addo aliam quoque cauſſam, quoniam videlicet vis ſanguinis expanſiva ejus motum vel egreſſum e corde adjuvans multum ipſis in arteriis imminuitur, ut in venis non amplius tanto cum impetu in parietes arietet, praeſertim quum in his ex loco anguſtiori ſemper in anguſtiorem promoveatur.

Ad alteram quaeſtionem reſpondeo, venas eſſe ipſis arteriis duplo majores, & celeritatem motus ſanguinis arterioſi compenſari in venis amplitudine vaſorum, eapropter ſemper ſervabitur aequilibrium ſanguini arterioſi cum venoſo, & nunquam plus ſanguinis effluet per arterias, quam per venas regreditur. Quae variis experimentis mechanicam ſtaticam, & hydroſtaticam concernentibus confirmari poſſunt. Ut enim duo corpora mole inaequalia habeant quantitates motus aequales, neceſſe eſt, ut lineae, quas decurrunt, reciproce ſumantur quoad molem. Ex. gr. ſi corpus altero duplo majus eſt, oportet ut linea, quam decurrit, ſit pars ſecunda alterius lineae, quam percurrit corpus duplo minus, hoc enim pacto habebunt aequalem motus quantitatem, quamvis quoad molem inter ſe ſint inaequalia. Eandem ob cauſſam corpora pondere diſparia; vecti impoſita, in aequilibrio erunt, quamdiu ſcilicet inter ipſorum pondera & motuum velocitates reciproca intercedit proportio. Velocitatem autem motus deſignat recta linea a puncto fixo, ſive fulcro vectis, vel bilancis ad molem appenſam ducta; quippe corpus mole minus pari temporis ſpatio latius intervallum dimetitur, quam corpus mole majus, & propterea pro reciproca ratione ſuae molis celerius movetur. Nam quantum unum corpus alterum in bilance gravitate ſuperat, tanto quoad velocitatem fit debilius; & quo corpus minus ab immobili puncto vectis longius recedit, eo ampliorem in motu deſcribet circuli partem, ejuſque motus velocitas ſic in infinitum augeri poteſt, quae virtus apud Mechanicos momenti nomine venit. Haec quoque eſt ratio, quod aqua in ſiphone inverſo, vel vaſe amplo cum crure anguſtiori

ftiori semper in utroque vase aeque altam retineat superficiem, non obstante, quod aqua illa in vase ampliori multo praeponderet aquae altero in brachio contentae. Cujus phaenomini caussa *cl. Moro* usque adeo abstrusa visa fuit, ut absurdum reputaverit, si quis ver. gr. quare quantitas aquae tricies major a quantitate partis tricesimae propter aequalem, aut paulo majorem altitudinem, vel exaequetur, vel superetur? ad mechanica principia confugere vellet. Eapropte aliud immateriale & hylarchicum excogitavit principium, ut mechanismum evitaret, cujus tamen sententiae falsitatem detexit *cl. Sturmius* in epistola ad ipsum exarata. Is enim postquam fusius deduxerat, quod gravium descensus proveniat ab impulsu materiae cujusdam in gyrum perpetuo actae, cujus partes subtiliores quidem sint elementaribus, at una etiam solidiores &c. caussam dat evidentissimam, cur ex. gr. columna aquae in vasis brachio ampliori decuplo spissior columna aquae brachii angusti, pondusque adeo absolutum habens decuplum, momenti tamen plus non habeat quam haec, ne elevare hanc vel hilum possit. Nimirum id est indubium ac in confesso, supremam superficiem columnae spissioris non posse vel tantillum deprimi, hoc est, totam columnam spissiorem non posse descendere, quin gracilior aquae columna attollatur eodem tempore ad altitudinem decuplam, adeoque (quum in utraque columna aequalis possit, debeatque concipi numerus orbiculorum aqueorum aeque altorum) dum singuli orbiculi columnae spissioris descendere conantur ad profunditatem talem simplam, singulos orbiculos columnae gracilioris debere elevari per altitudinem decuplam: & hoc unum est, quod fundamenti loco praemisit. Secundo loco (*dicit*) quum experientia testetur, ex alto delapsa gravia tanto celerius, tantoque majore impetu ruere in subjecta sibi corpora, quanto ex altiori loco lapsus ille contigerit; ejus rei ratio similiter ex illa de gravitate partium elementarium hypotheli clarissime sequitur: siquidem primus impulsus aetheris in corpus grave M. (vid. iconismum *cl. Sturmii*) factus, quo momento primo ab M. ad E. depellitur, etiamnum durat quum in via, & in E. novus accedit, cujus augmentum descensum corporis necessario accelerat, ut secundo momento ab E. ad F. majore impetu feratur, tertio momento adhuc celerius ab F. ad G. ob eandem rationem, hoc est ob novos aetheris impulsus prioribus subinde superadditos, &c. ita ut augmentis hisce celeritatis, & impetus secundum numeros impares quam proxime procedentibus intra quatuor temporis momenta 16. talia spatia emetiatur, quale primo momento unum decurrerat, quadruplicato sic impetu parique ratione intra 10. momenta decuplicato, &c. Hinc vero in proclivi est indicare, dum ex opposito corpus aliquod grave sursum protruditur, contra nisum illum aetherearum partium, hujus resistentiam atque adeo difficultatem ascendendi in corpore gravi etiam eadem proportione crescere, qua creverat ante ejusdem impetus descensorius: id quod iterum abunde comprobat experientia, dum projecta sursum ab initio celerrime, deinceps autem tardius difficiliusque in sublime niti videmus. Nunc ergo, quando cylindrus aquae AB. decluplus, atque adeo simul ejus singuli orbiculi antea concepti, non possunt descendere per spatium simplum altitudinis Aa. quin alter cylindrus CB. prioris pars decima solum, ejusque singuli orbiculi per spatium decuplum altitudinis CD. subleventur eodem momento temporis, vi fundamenti primi; per decuplum autem spatium aetheris obnitentis, & ascensum difficultas decuplicetur, juxta fundamentum secundum: fit inde necessario, ut quantum impetus aetherei quantitatem aquae decuplam detrudit per spatium simplum, tantundem ejusdem impetus aetherei resistat aquae parti decimae per spatium decuplum eodem temporis momento allevandae. Id quod clarius adhuc percipietur, si ponamus utrumque cylindrum in decem orbiculos aeque altos esse divisum, illorum autem orbiculorum unum in cylindro graciliore BC. complecti guttulas 10. quales orbiculus

unus

unus in cylindro spissiore complectitur 100. ita ut totus cylindrus BC. constet guttulis 100. totus autem cylindrus AB. earundem mille comprehendat. Sic enim, si guttulis singulis totidē aetheris impulsus assignemus, mille guttulae cylindri AB. per spatium simplum, quale est Aa. detrudendae singulae mille quoq; aetheris impulsus depressorios recipiunt; &, si eodem tempore 100. guttulae cylindri BC. singulae pariter per simplum solum spatium attollerentur, non paterentur, hae in illo ascensu plures ejusdem aetheris pulsus repressorios quam 100. eoque pacto necessum esset graciliorem cylindrum spissiori multum cedere. Nunc autem, quando 100. guttulae cylindri BC. eodem tempore quo illae per spatium deprimerentur, ascenderent necessario per spatium decuplum, decuplos etiam interea impulsus repressorios subirent, & ad summam mille similiter reciperent. Par itaque utrobique quum sit impulsuū numerus, quid mirum amabo, quod mille partes mille impulsibus depressae non valeant superare partes centū centies denis repulsibus oneratas.

Quae meo quidem judicio usque adeo clara sunt & manifesta, ut & intelligi, & fluidorum indoli applicari possint, quum Metaphysici illi conceptus principii hylarchici vel universalis spiritus naturae duo rerum genera evertant, nec rerum naturis conveniant. Neque video cur mechanismum tantopere fastidiamus, aut principia illa divina potentia indigna statuamus, quum majestas, & potentia Dei plus elucescat ex principiis vulgo mechanicis dictis, & ex legibus motus materiae inditi, quam ex principiis illis, vel propterea pro fictis habendis, quod nec possibilitatem prae se ferant; & nescio quibus, inanibus speculationibus, Physico plane indignis. Nunquam enim animum meum inducam, ut credat, Deum caussas phaenomenorum extra vel supra intellectus humani sphaeram posuisse, vel ponere voluisse. Hinc non vereor ea de formis substantialibus dicere, quae superius laudatus *Sturmius* alibi scribit de principio hylarchico & intelligentiis. Sicuti enim vile futurum esset, & contemtui omnibus horologium, quod horas ac tempora indicare non alia ratione posset, quam praesente semper artifice aut alio, qui ad illius praescriptum ac leges rotas circumduceret, aut compendiosius indicem ipsum ad clepsydram moveret: & econtra magni aestimemus ingenium & artem eorum, quorum fabricae istos similesque effectus edunt, istis non tantum non praesentibus, sed ne superstitibus quidem amplius. Ita indignum judico ineffabili divini Numinis & sapientia & potentia, ver. gr. corporum coelestium ordinariis motibus totidem Angelos motores, seu intelligentias praeficere, aut effectum quendam naturalem per intervalla suboriri solitum, ipsius Dei immediatae operationi tribuere, aut phaenomena per formas ignotas, & non intelligibiles explicare. Tantum nempe abest, ut unquam animo meo persuadere possim, opus esse in quibuscunque effectibus sublunaribus tali principio hylarchico incorporeo, aut forma substantiali inexplicabili, aut metu, vel terrore panico vacui, quod ver. gr. lapidem se invito in sublime projectum suo loco restituat, & quidem (prae indignatione forsan) cum impetu tanto majore, quanto fuerit repetendus longius; aut e filo vel funiculo suspensum restituere saltem conetur, jam non valens infirmum hujus nexum rumpere, quum alias immensam aquae molem leviculo ligno incumbentem valeat sufflaminare, ne pondere suo obstet illi ex imo etiam Oceani fundo ad summa tacito gressu enataturo.

Ad tertiam quaestionem, quam mihi proposui, tandem respondeo, quod arterias, & venas debeamus considerare, ceu totidem tubulos reclinatos, qui sanguine repleti sunt. Etenim his positis, aortae inferioris sanguinem a sanguine, quem cor in cavitatem illius recens immittit, pelli non posse facile concipitur, quin ille tantum versus venam cavam inferiorem progrediatur, quantum a corde recedit; ex quo fit, ut descendendo venae cavae inferioris sanguinem ascendere cogat; sicut una librae in aequilibrio constitutae lanx, dum ob impositum sibi momentum

aliquod, utut leve sit, demittitur; demitti nequit, quin lancem alteram sursum ferri cogat. Quod ad sanguinem aortae superioris attinet, is utpote in sinistro cordis ventriculo recens fermentatus, a centro motus communis recedere, atque adeo sursum ascendere valde nititur: praeterea via recta est, quam initurus est, ut a corde ad caput feratur: hinc fit, ut impulsus quem e corde & ab aorta recipit, huic, praesertim in animalibus caput pronum gerentibus, ad partes amandando sufficiat, per quas praedicta aorta disseminatur: ubi vero aortae superioris sanguis caput versus fertur sanguinem in venis illius contentum, nullo ferme negocio in venam cavam superiorem demittit; quum ille velut proprio pondere descendat, quod vis illius expansiva jam multum remissa sit, ac proinde potius deorsum, quam sursum sponte sua tendat. Quae omnia prolixius forte quam par erat enarravi; itaque missis his transitum nunc faciam ad practicas observationes.

Miratus sum saepius, qui fiat, quod Practici proscriptis in phthisi acidis salina alkalica & vulneraria aperitiva rarius adhibeant, quum tamen morbi hujus curatio non in glutinando & adstringendo, sed in lymphae stomachalis correctione consistat. Quidni ergo licebit phthisico dare spiritum cephalicum, essentiam absinthii, sal absinthii, sal armoniacum, infusum thee, veronicae, bellidis pratensis, nummulariae? Ego profecto plus pono fiduciae in infusum thee, succos traumaticos, & salina temperata, quam in dulcia, & lambitiva, quae fauces quidem titillant, sed lymphae sunt insensilissima. His pondus adjiciunt opiata horis vespertinis prudenter exhibita, quae cum salinis alkalicis omne in hoc morbo ferunt punctum.

Venaesectionis usus vulgo quinque recensentur. Nos statuimus, omnem venaesectionem esse imminuitoriam, sive evacuatoriam, unde eam in dysenteria, si dolores valde urgeant, admittimus, ut videlicet imminuta sanguinis copia tensio & pressio in parte inflammata imminuatur. Quod remedium infanti dysenterico auxilio fuisse novimus. Econtra pessime sibi consulunt, qui in affectu spasmodico & cruditate acida oriunda venaesectionem ob suffocationis, vel strangulationis periculum admittunt, quum periculum hoc non ex vitio sanguinis, sed ab hesternis assumtis oriatur, atque tutius avertatur absorbentibus, & misturis carminativis ex aqua aurantiorum composita, aqua mirabili, elixirio proprietatis dulci, & tinctura opii.

Saepius remanet dysuria post partum difficiliorem, quae ab exulceratione circa vesicae orificium ab imprudenti obstetrice vel succis acrioribus excitata oritur: atque saepius adeo contumax est, ut etiam exquisita eludat remedia. Tali in casu commendavi nuperrime decoctum flor. rosar. rubr. cum herba thee, & trochiscis de carabe per syringam ter de die injiciendum, idque ex voto honestae foeminae, quae inde brevi reconvaluit.

In inflammatoria obstructione, vel etiam abscessu mammarum cum febri, nihil hactenus inter interna deprehendi efficacius quam tincturam antimonii. Quum enim glandulae nihil aliud sint, quam continuatae arteriae a via recta in gyrum flexae, & admodum angustatae, facile apparet, quod pro angustissimis his tubulis reserandis ea propinari debeant, quae facile in minutissimas resolvi possunt atomos, atque ad profundiora loca ire apta nata sunt, qualia sunt Mercurialia & antimonialia, quae in affectibus glandularum caeteris omnibus palmam praeripiunt. Nullam autem inter glandulas agnosco differentiam, nisi eam, quae a magnitudine, figura & situ canaliculorum desumitur, quae sola in caussa est, quod diversos vehere soleant succos; unde meo quidem judicio privatum illud expirat glandularum praeparatorium officium, quum lympha nullibi in glandulis praeparetur, sed saltem segregetur, id quod respondi hisce diebus *celeberrimo Domino Brunnero*, communi nostro fautore & amico. Tincturae antimonii prae-

parationem nactus sum a beato *Geilfusio*, Medico immortali fama digno, & toto Orbe celebratissimo, meo dum viveret fautore & amico magno. Est autem haec:

℞. *Antimonii, sal. tartar. an. p. aequal. misc. f. l. a. regulus.*

Hujus scoriis adhuc calidis, & in mortario aenaeo pulverisatis ad unc. iv. affunde spir. vini non rectificat. unc. viij. extrahe tincturam. Sunt qui eam pro tartari sobole agnoscunt. Vide *Hoffman.* in *Schroderum.*

Nunc alia mihi occurrit difficultas circa veras caussas morborum, quos omnes ex visciditate, & acrimonia humorum circulantium oriri persuasum habeo. Quod si haec sententia firmo stare debet talo, videtur perinde esse, qualecunque exhibeas alkalicum, sive illud fixum fuerit, sive volatile, quum tamen ipsa nobis reclamet praxis, quae in hoc morbo salia fixa, in alio volatilia commendat. Et quis nescit, multos aegrotantes plane non posse ferre salia volatilia. Pro qua difficultate diluenda observari velim, quod salia volatilia plus aetheris sanguini inferant, quam fixa diaphoretica, quae aetherem per suos poros vehunt convenientem magis cum illo, qui regit massam nostram sangnineam (cum natura nostra) hinc sanguinem felicius in pristinum ordinem, situm, suarumque partium pristinam misturam reducere valent: quum econtra diaphoretica volatilia subinde nimium aetheris inferant, qui quaquaversum ruens aetheri consueto minus convenire videtur. Hinc ad visciditatem corrigendam mihi quidem magis placent volatilia, ad acrimoniam temperandam autem metallica & alkalica fixa. In morbis chronicis plus defero alkalicis volatilibus, quibus in acutis praefero alkalica fixa.

Quartanarii bene ferunt volatilia, quia ipsorum succi admodum sunt viscidi. Curavi nuper duos quartanarios spiritu cornu cervi composito, cujus praeparationem mutuatus sum ex observat. medicis *Nicolai Grumberg*, & pro meo scopo quaedam addidi.

℞. *Spir. corn. cerv. nasturt. febrifug.* āā. unc. ij. sem. *oliban. mastich. myrrh.* āā. drach. ij. *camph.* drach. sem. *destill. l. a.*

Cujus usum salutarem etiam deprehendi in hemicrania & defluxionibus arthriticis tum interne, tum externe adhibiti.

De acidis quaedam in ultimis meis dicta fuere. Puto acida plus nocere ventriculo jejuno & vacuo, quod sic facilius ad sanguinem deferantur, cui omnia acida infensa sunt; unde vinum jejuno ventriculo haustum variorum morborum auctor esse potest, quod inter comedendum assumtum forte esse innoxium. Ipsis gravidis acida admodum inimica sunt, quod ipsorum succi valde jam proclives sint ad acescentiam & visciditatem. Nosti, Vir celeberrime, quantum molestiae exhibuerit suppressio urinae in nobili foemina, quae ultimis gestationis mensibus & hanc & alias patiebatur molestias. Nosti etiam quae remedia communicato consilio commendaverimus, idque ex voto omnium. Illam urinae suppressionem ex compressione vasorum emulgentium, vel potius ureterum, & vesicae urinariae fieri statuimus; tumorem pedum autem a lymphae restagnatione oriri existimo, quia dum rami iliaci a pondere comprimuntur, simul quoque vim patiuntur vasa lymphatica illos hederae instar amplectentia, unde denegato ascensu lympha in omnibus vasis partium inferiorum restagnare, vel extravasari cogitur.

Sed dum hisce finem imponere satago, offeruntur mihi litterae *Dn. D. Valentini, Professoris Academiae Giesenae celeberrimi*, una cum dissertatione epistolica *ad generosum Dominum Robertum Boyle de* NATURA NATURAE: quam quum hodie fugitivo perlegerem oculo, vidi, quod naturam plantarum egregie explicet *per propriam & speciei suae convenientem texturam, qua singulas herbas & praesertim semina, sive tenerrima plantarum seminalium stamina gaudere dicit, inde fieri,*

ri, ut stamina illa non in omnem, sed in eam tantum, in quam fibrarum mechanismo tendunt, & inclinant partem sint flexibilia, illamque inclinationem esse ipsissimam naturam, cui actio haec vulgo attribuitur. Contra quae forte excipi posset, quod plantarum productio dependeat a motu, fatentibus omnibus; motum autem esse a materia subtili, quae quum agens universale sit, specialiorem merito desiderari arduo hoc in negocio caussam. Sed facile solvitur nodus, quia motus ab ipsius materiae actuandae dispositione & textura modificatur & determinatur, quam dispositionem seminalem alii fermentum, alii naturam, alii vim plasticam vocare solent. Quae prolixius & pulchrius explicantur a *Senguerdio lib. de viventibus.*

Progreditur *Domini Valentini* ad actiones brutorum, quae ab instinctu naturae proficisci vulgo dicuntur; nervose addit, quod si anima brutorum materialis sit, eam non nisi *ratione materiali* agere posse. Illum naturae instinctum autem radicatum esse scribit in *peculiari motus determinatione, dum pro varia spiritum animalium plica & textura ipsorum undulatio determinetur, ut in hunc potius, quam alium inclinent motum.* Multi equidem sunt, qui ob radicata praejudicia, & quod omnes actiones brutorum cum suis comparent, capere vix possunt, quomodo illae actiones sine principio cognitionis capaci explicari queant. Vellem ut tales accuratius attenderent ad τὸ cogitare. Nam cogitare est talem habere operationem, quae seipsam immediate manifestam facit, eo ipso momento, quo quis eam habet. Vi hujus vocis & significationis palam fit, quod omnes perceptiones, omnes cognitiones, conveniant in intima illa conscientia eo tempore praesente, quando quis percipit, cognoscit, cogitat. Absurdum profecto esset, dicere velle, rem aliquam percipere, & nescire quod percipiat: esse aliquid quod velit, sed quod nesciat se velle: te sentire & nescire quod sentias; imaginari, & nescire quod imagineris. Quippe sine illa conscientia perceptio non est perceptio: sensatio non est sensatio: cognitio non est cognitio: imaginatio non est imaginatio: voluntas non est voluntas.

Quid? tribuemus ne rei materiali sive extensae cognitionem? Sic enim fiet & spiritus, & corpus, quod contradictionem involvit: quia cogitatio totam essentiam spiritus constituit; & extensio constituit totam naturam materiae. Non poterit ergo corpus cogitare; nec spiritus poterit esse extensus. Si enim dicamus, dari in rerum natura corpus quod cogitet, dicimus, quod cogitationes sint divisibiles, figurabiles, & sic dabitur dimidia, vel quarta pars cognitionis: vigesima pars voluntatis: desiderium rotundum: tristitia quadrata: perceptio triangularis. Ratio, quia *extensio exhaurit totam essentiam corporis.* Sed manum de tabula. Vale Vir celeberrime, & salve. Dab. Marburgi Cattorum die 13. Martii, 1689.

Illustri Viro, Medico celeberrimo

D. JOHANN. JACOBO WALDSCHMIDIO, JOHANNES DOLAEUS,

EPISTOLA III.

QUAE IN ORDINE EST OCTAVA.

Ex arduo ſane labore Encyclopediae meae Chirurgicae rationali, & experientia ſtabilitae per totam hyemem impendendae nunc eluctatus, reſumſi, quem ad amicos feriari coactus fueram, calamum, omnium primo ſuaviſſimis ac eruditiſſimis tuis jam menſes ante aliquot ad me datis debitum exſoluturus reſponſum. Et certe ab omnibus gratiis alienus forem, niſi de tuo, Vir celeberrime, in me affectu tam niveo, tamque ſincero mihi prolixe gratulatus omni ope contenderem, qui coeptum nuper felicibus auſpiciis inter nos amicabile commercium litterarium nullo amplius intermoriatur ſilentio. At uti nemo tam eſt timidus offenſarum, quin in illas, dum vitare ſatagit, incidat, ita etiam mihi contigit. Jam aliquot menſes ad te, Patrone, ſcripturio, ſed interpellantium curſitationum & laborum Encyclopaediae Chirurgicae impendendorum invidia ſemper avocatus, quod mihi reſpondendi incumbebat officium, differre coactus fui. Ignoſce igitur tarde venienti, & cave ſi, rogo, ſequius quid, quam de conſtanti veneratione celeberrimi tui nominis ſuſpiceris, utpote quam non niſi cum vita deponam.

Pro noſtro ergo modulo pergamus inquirere in rerum quarumcunque cauſſas, & prius in ea, quae attuliſti de variolis feliciter curandis intimius inquiramus, experientia enim poſſum teſtari, me plus mille hominum liquore noſtro feliciſſime curatos obſervaſſe, & neminem ex iis, qui eo uſi ſunt, vita defunctum eſſe, interim liquoris hujus indoles eſt de claſſe ſubacidorum, quoniam affuſo alkali efferveſcit; quum autem conſtet ex hodierna theoria, acida ſuccis & fibris corporis noſtri eſſe infenſiſſima, imprimis ubi variolae cum epilepſia erumpere ſolent, ubi acidum jam adeſt peccans, quare hic alia ratio danda eſt, quomodo liquor hic ſubacidus felicem ſuum effectum edat. Num motum igitur inteſtinum ſpiritu ſuo ſalino liquor hic promovet, ut materia viſcida diſſolvatur, quo facto, & diſſoluto coagulo, etiam progreſſivus humorum in corpore motus promovetur, & acidum peccans ſimul deſtruitur, variolaeque facilius erumpunt? Notum enim eſt ex operationibus chymicis, ſalia ſalibus miſta ſe invicem ſaepe deſtruere, quod & hic contingere poteſt, dum liquor hicce noſter ſubacidus blandus ſpirituoſus tantum imminuit acido auſtero-acris iu ſuccis varioloſorum exiſtentis violentiam, quantum hoc liquori illi domando, & ſubtilitati ejus refraenandae virium ſuarum impendit, quod quum abſque motu reliquorum in vaſis exiſtentium ſuccorum fieri nequeat, ſuppreſſae particulae alkalicae ſimul ſuſcitantur ad eliminandum acidum illud ſibi hucuſque infeſtum, quapropter vitioſa illa ſuccorum miſcela penitus invertitur, & acidum peccans ſalutariter enervatus.

Geuderi tractatus *de fermentis* mihi, dum haec ſcribo, ex Batavia allatus eſt,

cui

cui in fine adjectus est alius *de ortu animalium*, in quo praedictus Auctor meam, quam de Regibus opinionem foveo, vellicat, existimatque, me Regibus hisce affingere aliquid immateriale, quum tamen non tantum in ipsa praefatione, quam ipse allegat, exprese ostendam, me per Reges in visceribus principalioribus constitutos non plures animas sensitivas designare, sed solum intelligere portionem quandam materiae subtilissimae accendentem ad naturam microcosmetoris, id est, spirituum animalium subtilissimorum, & congeriem quasi spirituum animalium in nobiliori tali viscere residentium. Hisce positis quilibet facile perspicere potest, me hisce vocabulis Microcosmetoris, vel Cardimelechis, vel Gasteranacis, vel Bithnimalcae, &c. nihil aliud innuere, quam spiritus prae aliis subtilissimos, & cohobatos, in tubulis istorum viscerum circa fibrulas viscerum quorundam commorantes. Hinc etiam in epistola prima mea ante biennium publico data, horum Regum mentionem injeci, & hanc meam de iis conceptam opinionem confirmavi, & quidem hisce verbis: ratio enim nostra facile admittit, dari discrimen & gradus quosdam inter spiritus sive liquorem nervosum, ita ut per repetitas circulationes rectificatus multo purior, & subtilior ad quemcunque motum subeundum, aut actionem in oeconomia animali praestandam, longe promtior sit aestimandus eo, qui ex massa communi jam primum egrediatur. A prioris itaque indole participare statuo nominatos nostros Reges, Cartesianorum materiae aethereae, & mentis imperio promtius obedituros, quam reliquos spiritus nondum ita depuratos. Annon ex his cuilibet patet mens mea de Regibus? Cur ergo non liceat mihi in his vel illis tubulis subsistentibus spiritibus animalibus singulare imponere nomen, quum non ita pridem B. D. Bontekoë spiritus animales succi nervei nomine audire voluerit; quot etiam venae, quot arteriae ab Anatomicis constituuntur? quum tamen sit una vel eadem, attamen peculiaria ratione partis, quam percurrunt, sortiuntur nomina. Cur itaque non aeque liquoribus canales hos perfluentibus nomen aliquod singulare indere liceat, quum veteres non aliter ac novis injectis nominibus, & vocabulis auxerint hactenus medicinam nostram nemine fere Medicorum contradicente. Quod vero Auctor hic existimat, me castra sequi Peripateticorum, & animam brutalem defensurum esse; in hoc valde errat, quum inter multa veterum praejudicia non e minimis censendam esse illam existimavi, quam de brutorum operationibus foverunt opinionem. Perspicientes enim bruta talia facere, quae ne homo quidem maxima industria efficere posset, merito se concludere putarunt, eadem aliqua cogitatione praedita esse, quam brutalem sententiam nunquam admittere potui; quapropter ut quilibet videat, quid de anima sentiam, nostram opinionem adjicere constitui. Non dubito, quin omnes nobismet ipsis conscii simus, duarum duntaxat rerum ideam nos excitare posse, *cogitantis* scilicet, & *extensae*, ex quarum compositione, & arctissima conjunctione oritur unum quid, quod vocatur *homo*. Mentem enim nihil aliud esse existimo, quam substantiam, quae sibi conscia est omnium rerum, quae in nobis fiunt, quatenus earum in nobis conscientia est. Indoles enim animae est non tantum cogitandi potestas, etsi fortasse eam in actum deducere haud posset, ob defectum materiae, aut spirituum animalium, aut propter animi deliquium, aut propter somnum, &c. sed esse *cogitationem*, & abstracta cogitatione, in mente nihil omnino posse concipi reputo. Ex quibus sequitur, animam prorsus immaterialem esse debere, quum cogitare nihil aliud sit, quam intelligere, velle, amare, odisse, &c. quae toto coelo a proprietatibus corporis discrepant. Corpus vero quod attinet, facile illud ostenditur, si modo exacte distinguamus attributa, quae a corpore abesse possunt, ab attributis inseparabilibus. In praefatione pro Aristotelicis locutus sum, & generalia argumenta, quae afferre solent pro sensibus & cogitatione in brutis animantibus examinavi, potissima enim Peripateticorum argumen-

gumenta, quibus homines brutis cogitationem tribuere moventur, duo sunt, quorum unum ab ipsis brutorum operibus desumitur, & inter multas bestias, quae pro ipsis argumentantur, apes primum ordinem occupant; imaginari enim sibi nequeunt, quomodo nulla cogitatione praeditae inter se eligant Regem, satellites, observatores, milites, &c. cellulas suas sexangulares tam geometrice aedificent, eas certis temporibus melle impleant, tandem & alia tam politica, quam militaria exerceant, sed haec omnia, me judice, si absque praejudicio pensitentur, nihil minus, quam eorum animam probare existimo. Illa enim vocabula, Rex, miles, &c. mera sunt hominum figmenta, quia contemplantes, eodem fere modo illa insecta commoveri, quo inter homines, Rex, miles, &c. moventur, ex illa analogia talia hisce bestiis nomina imposuere, ea enim non magis apibus, quam ligneis, quibus luditur latrunculis revera conveniunt. Omnia ergo horum quam stupenda opera tantum hoc probant, quod habeant motus aliquos nostris os, humerosque similes, nemo enim Philosophorum sequentem admittet conclusionem: apes moventur ut nos, ergo ut nos sentiunt, cogitant, &c. Alterum argumentum adhibent Peripatetici; si bruta non sentiant, non opus habeant sensuum organis nostris tam similibus. Sed responderi potest, quia in illorum machina similia munera obeunt. Sic, ex.gr. bestiarum oculi aeque ac nostri imagines recipiunt, particulae volatiles pari modo nares intrant, earum fibrillas vellicant, aliasque organicas actiones, ut nostro corpore, perficiunt, quod si sensum vocare velint, per me liceat, modo absit cogitatio. Nihil enim hic praeter corpus organicum & motum admittimus. Malui ergo mihi persuadere, bestias nulla anima, nulla cogitatione praeditas, omnes illarum actiones automaticas esse audacter statuimus; mentem enim humanam nimis diligo, & beatitudinem hanc bestiis tribuere impium, & contra sacrum codicem esset, anima enim brutorum vitae munera mechanice explicari posse, quis Philosophorum nunc dubitat? Plurima quidem restant, quae ex eorum structura explicari nequeunt, sed nec obstat, quo minus illis anima negetur, quemadmodum aliquis observans, etsi nesciat caussam, quod horologium portatile tam accurate horas indicet, attamen ex ejus parvitate rite concludere novit, hominem huic horologio non inesse, caussamque ejus motus existere. Sic etiam quamvis ignorem, cur bestiae tales operationes efficiant, possum temen negare illorum effectuum caussam animam esse. Ponere enim, bruta cogitare, & tamen a nobis realiter distingui, aeque contradictorium, quam horologio hominem inesse existeret. Sed ne diutius hisce tibi jam sufficienter cognitis te detineam, ad alia pergo, nec possum quin tibi scrupulos quosdam ex lectione epistolae tuae quartae obortos communicem, super quibus celebris quidam Professor Rinthelensis, tibi notissimus, optavit erudiri. Scrupuli vero sunt sequentes.

Σὺν τῷ Θεῷ.

Fuisse Nobilissimum Renatum des Cartes admirandi ingenii, acerrimique judicii, virum, uti nemo, cui sinciput non aegrotat, non fatebitur libere, & aperte: ita tamen simul etiam de hoc tanto viro, quod de caeteris quoque, accidit, ut ipsius doctrina non omnibus equidem viris doctis aeque sit grata; indeque a prima sententiarum Cartesianarum publicatione *Alius* identidem *Aliud* desiderare coeperit. Etsi enim ut plurimum haec sors contingat novitatibus, ut mox alios in sui primum admirationem, dehinc & amplexum trahant: id tamen probe simul curandum censetur prudentioribus, ut nil serviliter, & sine delectu credentes temere, libertatem sui ipsius judicij prostituant. Quem in finem apprime de Naturae Mirabil. scribit cl. Erasmus Bartholinus: *quum defficile sit factu, me id sentire, quod alius voluit. Communis Naturae ratio est, non ex gratia Auctorum,*

sed

sed ex vero, dubitationum disceptare momenta: siquidem requiritur a doctoribus, ut quid quaque in re sentiant, non in auctoritate, vel Platonis, vel Epicuri, vel Aristotelis, vel Cartesii esse putent, sed in ipsa natura, & veritate. Et ipsusmet des Cartes apertis verbis super hoc ipso protestatur dissert. de meth. inquiens: *ne quis putet, me hic traditurum aliquam methodum, quam unusquisque sequi debeat ad recte regendam rationem, quum hic nihil aliud promittam, quam historiae, vel si malitis, fabulae narrationem*. Et post pauca dicit: *nunquam ulterius cogitatio mea profecta est, quam ut proprias opiniones emendare conarer, atque in fundo, qui totus meus est, aedificarem. Et quamvis quia meum opus mihi ipsi satis placet, ejus exemplar hic vobis proponam, non ideo cuiquam Auctor esse velim, ut simile quid aggrediatur.* Imo Princip. Philos. part.4.§.ccvii. aperte dicit: *haec omnia prudentiorum judiciis submitto, nihilque ab ullo credi velim nisi quod ipsi evidens, & invicta ratio persuadebit*. Ex qua etiam, hujus tanti viri, modestia provectum est hoc, ut vel ipse diss. de meth. polliceatur: *pergratum sibi fore, si principia sua examinentur*. Cujus equidem pollicitationis fiducia, magni viri, quae sibi in hac philosophandi ratione displicerent, in forma epistolarum orbi detexerunt, eoque insimul, eadem sub forma, ut mentem suam latius explicaret des Cartes, obtinuerunt. Atque haec eadem ratio, placide ac sine bile, conferendi inter se diversarum sententiarum, de variis rebus momenta, quum novissime, per viros quosdam celeberrimos, & Hassiae nostrae facta fuerit familiaris, meque simul allexerit, ut scrupulos quosdam super lectione unius ex istis epistolis enatos, in chartam conjecerim obiter; haud vulgari mihi hoc cessit gaudio, quod adeo non fuisse ingratos hos meos conatus, senserim, ut potius, facta mihi novae alicujus in lucem emissae epistolae amica communicatione, quid de quavis in illa ventilata materia sentiam, libere ut pronunciarem, amice sim rogatus; unde & hos placide movere scrupulos placuit, super quibus erudiri cupio.

1. Pag. 136. De Acidulis in universum minus honorifice sentire videmini: id quod contrariatur quotidianae experientiae; cui, quantum ex recentioribus tribuat Harveus ille ab ipso vestro Cartesio tract. de methodo adeo commendatus, videre est ex exerc. de gener. animal. quando nimirum p. 92. dicit: *ratio omnis conticescat oportet, ubi experientia refragatur*. Cui laudatae experientiae superaddo testimonium immortalis Rolfinckii, *acidulas anchoram sacram repraesentare, & fere solum desperatis rebus in usum trahi* pronunciantis. Neque illa in epistola adducta exempla probare videntur, enarratos illos effectus a frigore acidularum profectos, quin potius, caussam morbificam expellendo, acidulas, ipsum morbum sustulisse: licet acrimonia pravorum istorum succorum in transitu molestias quasdam simul crearit partibus, brevi remissuras, humore expulso: unde huc applico sensum eorum, quae dicuntur paulo post, pag. nempe 138. *de potus thee innocentia*.

2. Quae de frigore actuali, vulgaribusque Peripateticorum qualitatibus hoc etiam capite concluduntur, velim conciliari cum sententia vestri Antesignani cartesii, quando dissert. de meth. dicit: *qualitates illas, de quibus in Scholis disputatur, non esse in materia*. Unde desumtum videtur cl. Heerbortii Philos. Nat. cap.5. sub sententia Cartesii inductum conclusum hoc: *formas elementorum agnoscunt nullas, ut nec qualitates, nec motrices, nec alteratrices, nec primas, nec secundas*.

3. P. 137. in fine: potus frigidus, si nusquam non nocet, cur ergo in febribus ardentibus, experientia teste, tantopere prodest? Et quid non, secundum Maronem, fessis messoribus gelida fert opis? Exemplum assertioni huic quod superadditur aërem potius frigidum, poros cutis constringentem, & insensibilem transpirationem intercipientem nocuisse, quam cerevisiam frigidam inferre videtur. Taceo,

nunc

nunc, quod, omne nimium licet vertatur in vitium, numquam tamen rerum abusus tollere debeat salutarem usum. Quin insuper dici potest: si potus calefiat, in tantum ejus mutari particularum figuras, ut ad occupandos poros linguae atque salivae, pro levanda siti non amplius sit aptus; quum vulgariter calida exsiccent, frigida vero humectent.

4. P. 138. Quum vita nostra in continua, & continuata persistat fermentatione, sine acido autem nulla fiat fermentatio; quomodo acidis carere queamus, non capio: nisi iterum indigitetur abusus.

5. P. 139. Ficta si sunt illa, quae de *calido innato* vulgo dicuntur: optarim solide refutari argumenta, quae pro spiritu insito adfert cl. Ettmuller. Physiol. cap. 3. §. 14. 15. 16. & 17. Interea demiror, quod ipsa hac in epistola p. 149. *Spiritus innati* fiat mentio: quem a calido innato diversum quid esse, vix esseret quispiam.

6. P. 140. Mirari subit summopere, adeo miserrime exagitari vocabulum NATURAE: quum vel nemini vocabulum hoc sit frequentius, quam ipsi Cartesio, qui (ut alia nunc taceam loca) vel centies in suo illo tractatu de methodo, suisque meditationibus, illud vocabulum diversos in scopos (ut Boyle verbis utar) usurpat. Quod si vero vocabuli hujus ignobilitas ex eo derivanda venerit; quod non nisi semel in sacra Scriptura legatur: Bone Deus, quid tunc fiet de *Cartesii globulis, particulis, striatis, elementis invisibilibus, multiplicibus vorticibus*, aliisque entibus rationis, a quibus ille Philosophiam suam auspicatur: que nec ab ipso demonstrata sunt, nec demonstrari a quodam possunt, etiamsi vim intellectui inferamus! Quorum ne semel quidem fit mentio in S. Scriptura. Imo ipse eorum Auctor hoc sibi gloriae ducit, quod a nemine ante se haec talia fuerint usurpata.

7. P. 146. Spiritus animales, & liquor nerveus sumuntur pro uno: si ergo (quod dictum est supra p. 137.) succus seu liquor nerveus est LAC, sequetur, & *animales spiritus esse lac*. Quae loquendi formula an placuerit, dubito.

8. P. 145. & seq. ad 153. Quae adferuntur, & tandem ad forum Medicum transferuntur, fateor fore egregia, si iis Natura respondeat: ast vereor, ut, quod supra dictum p. 141. Aristotelem in sua Philosophia vacuas attulisse voces, illud idem dicatur de materia primi elementi, similibusque a Cartesio pro lubitu aut necessitate effictis, aut nullibi probatis aut demonstratis; nisi suppoNERE sit demonstrare. Unde haud sine mente in simili caussa jam ante scripsit perspicacissimus Bartholinus hodie coeles: *non placent haec somnia Cartesii petito*. Et paulo post: *excusari possent ingeniosa commenta, si de ipsis certa nobis experientia constaret*. Quidni ergo, & huc referamus, quod pag. 162. hujus epistolae dicitur: *materiam primi & secundi elementi, similiaque, esse vocabula eleganter sonantia, quorum vi Physicus ignorantiam suam obvelare, & incautam Juventutem occulte emungere potest*. Si enim est integrum Cartesianis, sine ulteriori argumento, quam quod sumunt ex suis ideis, Peripateticos irridere: idem juris statui posse in ipsos, summae videtur esse aequitatis.

9. P. 158. Cogitatio dicitur substantia: de qua assertationis ineptitudine, quum aliorum varia typis expressa prostent argumenta; mihi saltem jam scrupulum movet hoc, quod apud Cartesium invenio med. 2. quando dicit: *Res cogitans. Quid est hoc? Nempe dubitans, intelligens, affirmans, negans, volens, nolens, imaginans quoque, & sentiens*. Lubet ergo nunc argumentari: Entia imaginantia, & sentientia sunt Entia cogitantia, hoc est Mente praedita. Elephas, simia, canis, vulpes, & alia bruta sunt entia Imaginantia, & Sentientia: ergo sunt Entia cogitantia, & per consequens mente praedita. Consequens est absurdum. Ergo & antecedens. Major est Cartesii. Minor est Digbyaei, aliorumque a vobis ipsis commendatorum Auctorum, imo ipsius experientiae.

Sed jam manum de Tabula!

Missis hisce ad practica accedam, & sequentem tibi communicabo casum, perquam rarum. Illustrissimi cujusdam Ministri, communis nostri Patroni, filius & filia, eheu! jam demortua, undecimum annum nondum egressi, constitutionis, & texturae tenerrimae, jam, a triennio & ultra, in singulis manuum ac pedum digitorum apicibus tubercula nacti sunt instar clavorum, vel verrucarum, vel cornuum, quae spatio 14. dierum exsiccata decidunt, post aliquot vero septimanas iterum repullulant, in superficie videntur constare quasi foliis, ramulis aut squamulis, radicibus & petiolis longioribus pluribus, & crassioribus usque ad os pertingentibus. Excrescentiae hae verrucosae magnitudinem avellanae haud excedentes primum digiti articulum tantum occupant, attactaeque instar glaciei frigidissimae sunt, in pedibus gressum impediunt, &, quod asterisco notandum est, ungues, existentibus hisce excrescentiis, nunquam crescunt. Tubercula haec ortum sumere existimo (salvo tamen aliorum Medicorum judicio, a papillarum cutanearum sub cute, & contextu reticulari easdem obvelante longiore diductione, a succo chyloso, vel nerveo, crassiore & salsiore eos per obstructionem factam expandente inducta, lympha enim, & succus nutricius a liquore acido facile coagulari possunt, qui inspissati a novis succis versus papillas illas digitorum propelluntur, hae fortiter erectae, & invicem copulatae contextum etiam reticularem elevant, & ad novum suscipiendum succum expansae prominent, qui quum assiduo subsequatur, & a particulis angularibus inter papillas commorantibus in motu impediatur, & ad subitaneam redigatur quietem, magna cum tempore ibidem colligi puto copia, & duram proferre eminentiam. Et quum papillae cutaneae versus unguium principia ita sint disposita, ut succum ungues nutrientem majori excipiant abundantia, necessario sequi debet, ungues nunquam recrescere posse.

Ad has eminentias verrucosas, vel si mavis, cornutas tollendas, plura & generosa adhibita fuere remedia, purgantia scilicet additis quibusdam simplicibus sanguinis purificationi alias destinatis. His subjunximus absorbentia ac sudorifera, ut in papillis cutaneis digitorum haerens succus in alimoniam cornuum cessurus attenuetur, ac resolutus per apertos poros evaporetur, & tubercula haec duriora nutrimento suo privata post rarefactas radices decidant, & non amplius repullulent, quo nomine decoctis lignorum, & essentiis antiscorbuticis, tinctura Mercurii, &c. per temporis spatium frustra usi sunt. Externe thermas sulphureas, & aluminosas (quo nomine celebres sunt Embsenses) frustraneo cum effectu admisere, quibus alias non modo duriores eminentiae circa radices emolliuntur, sed pori etiam cum papillis cutaneis constringuntur, & succi superflui absumuntur, ut excrescentiae alimonia defraudatae decidant. Emplastra ex gummi, Vigonis cum quadruplo Mercurii, spiritus aromatici, aliaque absque ullo effectu imposita fuere. Imo Empiricus quidam temerario ausu ad corrosiva, scil. oleum Mercurii accessit, & ad fundum usque tubercula haec eradicavit, itidem irrito cum effectu, statim enim post repullularunt.

Mercurialibus non semper esse fidendum, sequens comprobat historia. Sub finem anni nuper elapsi a Chirurgo ad misellum quendam sartorem, quem sub cura habebat, adductus fuit D. la Serre, Medicus ac Practicus hisce in locis ordinarius. Aeger statim de faucium maxillarumque dolore cum salivatione conquestus est, caussam horum malorum dentem avulsum accusans, sed rem serius apud se considerans Medicus, ptyalismum jam ab aliquot diebus durantem a dente avulso prodire nequaquam credidit, quare a patiente illico sciscitatus est, num aliquo unguento Mercuriali usus fuisset, quod pertinaciter negavit, sed crebrius repetita eadem quaestione tandem confessus est, se pauco unguento Neapolitano

sese inunxisse jam ante quinque septimanas; ex quo statim conjecit praedictus Medicus, ptyalismum a Mercurio excitatum fuisse, & in ea sententia confirmatus fuit, detectis ulcusculis in orificio ductuum salivalium sub buccis prodeuntium, volatilia, & absorbentia acidumque infringentia ipsi praescripsit, ut obtunderentur, atterentur aculei salium corrosivorum a Mercurii particulis cum sanguinis acidis combinatis progenitis, & ab iisdem per poros deinceps expellerentur. Ulcuscula Lanfrancci collyrio tangi jussit, & os decocto adstringente, & detergente collui imperavit; sed quum Medicus ob negocia nec Chirurgum, nec aegrotum per integram septimanam viderit, ipsius saluti consulere nequaquam valuit, illum tamen demum revisit, eumque in agone reperit, miserrimeque excruciatum, ex oris ipsius sinistro latere manabat puris rivulus, genae mirum quantum erant tumefactae & durae, gingivae erant erosae, & albo colore tinctae, ante biduum vix jusculi aquae guttulam deglutiebat, occupatis nimirum faucibus copiosis ulcusculis, & inflammatione, quod idem buccis contigerat. Haec autem contemplari Medico non licuit, quum tum temporis dentes ejus adeo arcte essent stricti, ut nulla vi os aperiri posset. Utriusque oculi palpebrae inter se cōglutinatae erant, tumidae, moles, & inflammatae, ac ex majori utriusque oculi cantho pus defluebat: attamen demirandum est, quod Mercurius ea, qua dixerat aeger, quantitatete tantas in corpore strages inferre valuisset. Sed interrogato super hac re quodam ejus contubernalium ab eo audivit, aegrotantem per plures noctes cubitum eundo, pectus ad collum usque, brachia, crura & tibias unguento hoc Neapolitano illivisse.

Dum haec scribo, sequens obtigit mihi casus. Filia lanionis hujus civitatis nonum nondum annum egressa, ante aliquot annos vermem octo praeditum pedibus per umbilicum excrevit, quo facto filia sat pancratice vixit, praeter quod decrepita bruma de tumore abdominis conqueri coeperit, tandem ex parvulo umbilici foramine manabat puris rivulus, imo ipse chylus, non aliter, ac si emingeret filia, quam materiam effusam in urna collegerunt parentes, quae implebat quatuor mensuras, qua effusa maxime contabuit filia, externe vero applicato spiritu matricali, vino camphorato, cum emplastro consolidante, interne usurpato lacte, aliisque medicamentis traumaticis a me praescriptis optime convaluit.

Et ut alia mea, quae in praxi hactenus observaverim, tecum dividam: Filia 8. annorum, D. Haumanni, civis, & hospitis hujus civitatis, laborabat Chorea S. Viti, continuo enim saltabat, brachia ac pedes indesinenter elevando. Plura adhibui tum interna, tum externa remedia antiepileptica. Sequenti vero vino medicato optime habuit, & inde convaluit: ℞. *Herb. salv. chamaedr. beton. fol. rorismar. visc. quercin. flor. til. cheir. hyperic.* add. *pulv. gross. c. c. phil. pp. cran. human. eodem modo parati, castor. succin.* &c. de quo vino mane, meridie, & vesperi vitrum hausit, externe antispasmodica spirituosa adhibui.

Inter rarissimas sequentem accipe observationem. In ephippiario aulico sene 68. ni fallor, annorum: diabetem observavi, in qua urinae fluxus valde copiosus erat, cum siti intolerabili, & summo virium lapsu, imo non urina tantum, sed potus, & is parum, vel nihil immutatus excernebatur tanta copia, ut quovis die 18. libram lotii emitteret, quum ipse duntaxat cum potu, & cibo non plus 2. cum semiss. libras assumserit, quae mictio copiosa per 30. dies perseverabat, & sic per hoc tempus emisit ultra cibi ac potus quantitatem 370. lib. quod pondus longe excedebat pondus viri illius macri, etsi in urinam fuisset conversus, quia senex non plus 160. libris ponderabat, omnia enim assumta exacta trutina examinata fuere, una cum urina emissa, tandem post mensem convaluit. An ex aëre in corpus humor translatus, & rursus excretus fuerit, tu judices, Vir ingeniosissime. Post morbum tantum 6. librae a pondere praedicto viro desuete. Quod vero

dia-

diabetes rarus sit affectus exinde patet, quod Galenus in tam ampla, & larga praxi duos tantum casus se notasse referat, & Rabbi Moses in toto Oriente nec diabetem observavit, nec ab omnibus Medicis visam fuisse narrat. Hollerius vidit quendam quotidie sex pintas Lutetianas minxisse, & Dodonaeus alium conspexit, uno die ultra 40. lib. mingentem; praeter alia exempla, quae omnia hic allegare non libet, clarum tamen est, hunc morbum plane singularem esse, & ex rarissime contigentibus, quos vero affligit, emaciantur, debilitantur, & prae siti ardoreque viscerum vix se continent, & urinam cohibentes mox sentiunt lumbos, coxas & testes cum ardore, & gravitate intumescere.

Nos hic egregium Lithotomum, nomine David Cordier, habemus, qui 28. Octob. anni decrepiti puerum ex profugis Gallis 12. annorum cultro suo subjecit, & quidem optimo cum successu, exemit enim lapidem 2. uncias pendentem.

Hac data occasione, sententiam meam, quam de Calculi generatione foveo, forsan tibi haud displiciturum, explicaturus sum. Calculus, me judice, ex tartaro lapidescente generatur, quod inde certum est, quia lapides seu calculi, quos repererunt in corpore seu vivo, seu mortuo, quum in retorta ad ignem uruntur, in oleum foetidum, & salem, ut tartarus cum vino, convertuntur, sed hoc differunt a communi tartaro calculi in corpore nostro geniti, quod hi lapidei ex magna parte fuerint, illud verò potius sal acido pingue, ita ut declaremus calculi in corpore generationem tanto labore ab omni aevo quaesitam, sed frustra, & hactenus non modo repertam, sed quam putant reperiri non posse, statuere oportet, prima initia generationis calculi tartarum esse, qui alicubi in crystallos concrescit & haeret, dum ex liquoribus, qui pertranseunt, nec eum propellere aut dissolvere valent, aliquae particulae adhaerent, donec ita auctus calculus, & etiam solidior factus, etsi valde fuerit parvus, & fere invisibilis, quasi granulum arenae, tandem incipiat lapidescere, id quod ab arena fit, quae in aqua ex caeteris liquoribus, quos assumimus, imo & in cibis existit, quaeque huc illuc cum succis nostris libere pertransit, sed nunc calculo illi ex tartaro concreto agglutinatur, eique soliditatem & duritiem ratione particularum terrestrium conciliat. Ut ergo initium calculi a tartari concreti, & subsistentis particula vel minima est, tum ejus perfectio ab arenulis parvis cum aqua mistis, & jam illi particulae se apponentibus proficiscitur; ita pari modo formatus jam calculus vel minimus deinde concrescit, quia tartarus, & arena itentidem ad superficiem ex succis pertranseuntibus agglutinantur: quare calculi ex laminis constare comperiuntur, uti saepe ex pelliculis aliis impositis; hinc inter externas caussas vina consistunt acida, & multum habentia tartari, sed cerevisiae, & alii liquores, cibi quoque non pauci tartari, imo & aquae arenulis refertae in corpore generationem juvant, & in cerevisia potibusque mira saepe virtus offenditur, ut vel calculum generent, vel impediant, id quod a duplici caussa eveniet, vel quod tartarum, vel quod arenam in vasa nostra comportent: atque ita procul dubio calculus generatur, & in vanum est, tot ac tanta fabulari, ut rem simplicissimam, intellectu claram aenigmatis involvamus. Jam an in vesica calculus gignatur, an in renibus conceptus, deinde ad vesicam delapsus, velut foecundum ovum ab ovario in uterum descendit, hic nutriatur, non facile dicemus, plures tamen suspiciones pro renibus urgent, siquidem in angustiis initia tartari jaci solent, at vero tartaro, & arenis calculi generationem deberi, id etiam alia inter evicerit observatio, qua constat, podagricos utplurimum calculo laborare, & modo podagram, modo calculum pati, dum in articulis, aut in renibus tartarus magis coacervatur, hine etiam qui calculo laborant, urinam habent plerumque tartaro plenam, & arena seu pulvere quasi a lapidibus coctis abraso, & podagrici non modo tophis articulorum, in quibus tartarus colligitur sed iis quoque torquentur nonnunquam, unde calculi

plane similes renum aut vesicae prodeunt, haerentes aliquando medio in tartaro, ut vel oculo discerent Magistri, leve discrimen tartarum inter & calculum intercedere. Itaque a tartaro principium, ab arenulis lapidea durities est, ut nunc non difficile sit intelligere, cur ubivis, & cur praecipue in renibus, & in vesica calculi proveniant, nam ubique tartarus colligi potest, sed renes & vesica loca sunt, ad quae velut ex destinato confluit, ut cum lotio amandetur. Verum quia a tartaro calculus fit, ut hujus caussam plane intelligamus, illius quoque pervideamus. Itaque tartarus in succis nostris canalibusque, quorum hi velut dolium seu vas, isti vinum referunt, gignitur plane ad eum modum, quo vulgo in vino, cerevisia, aliisque liquoribus, aut ubi crystalli salium cum humiditate non solvuntur; nam salia quaevis sicca sunt, & consistentia, nisi aqua vel igne ad fluorem cogantur; quo vel minimum destillata mox in crystallos abeunt, implicantur ac inter se cohaerent. Quod si igitur multo sale imbuuntur succi, facile fiet, ut non modo acres fiant, & quasi muria, verum hinc inde ob defectum aquae concrescunt crystalli seu granula, maxime iis in locis, ubi secretiones fiunt, humore scilicet ultro per colum penetrante, dum sal seu tartarus in angustiis haeret, & colligitur adeo, ut ibidem tractu temporis minera salis fiat, quae a succis aliquando solvitur tolliturque, deinde mox acescit, aut alio transfertur, modo major, modo minor est. Proinde a multo sale, eoque tam copioso, ut succi id dissolvere, & deferre secum nequeant, tartarus generatur, at vero nisi hoc sal fuerit acidum, tartarus non generabitur, qua de caussa vinum generosum, uti Hispanicum, aliaque, vix tartari quidpiam habent, sed, qui nimis acidi liquores sunt, acres quidem erunt, sed non tartarei: adeo ut certum sit, ex acido multo, ex sale itidem volatili, ex oleo & arena ipsum tartarum componi, & compingi, ceu analysis chemica probaverit. Sed de his satis, ne post Homerum Iliada scribere videar.

In Historia operum Eruditorum reperitur epistola viri cujusdam artem Hermeticam colentis, ad amicum de tinctura lunae conscribentis, cujus fragmenta quaedam tibi, Vir celeberrime, communicaturus sum, quum noverim. Te ejusmodi tincturas solis, ac lunae haud multum aestimare. In limine Auctor statim inficias it, non solum eam esse medicamentum specificum, & indubitatum ad epilepsiam, verum etiam illam fictitiam esse asserit, nec unquam fore, ut Chymici veram tum lunae, tum aliorum metallorum tincturam eliciant. Juxta illum autem omnes metallicae tincturae merae sunt metallorum dissolutiones in menstruis salinis, e quibus facili Marte metalla denuo erui possunt. Statuit enim, aquam quandam coeruleam ad amicum missam nihil aliud esse, quam argentum in spiritu vini, & urinae solutum, ex quibus periteratas evaporationes, & crystallisationes ipsissimum educi potest, injectis omnibus crystallis cum sale quodam reductivo in crucibulum igni fusorio impositum, in cujus fundo reperitur argentum fusum. Negat autem, ullum Epilepticum a tali medicamine a sexcentis Auctoribus depraedicato, & jamdudum in usu recepto, fuisse curatum. Illud vero ortum suum debere ait Paracelsistarum imaginationi, qui juxta ridiculum falsissimumque suum systema ipsum fabricarunt. Ii scilicet supponunt, corpora sublunaria a superioribus regi, septem metalla a septem Planetis in terrae penetralibus produci, & dominium in septem praecipua Microcosmi (hoc enim nomine hominem designant) viscera ipsis tributum esse, miram quandam analogiam, mirumque consensum inter tria ista subsistere, & unumquodque metallum Planetae sui in viscus sibi designatum determinare valere. Inde affirmant, cor ab auro, cerebrum ab argento, cystidem felleam ferro, &c. corroborari, & consequenter epilepsiam inter gravissimos cerebri affectus locum habentem sanari. Vera haec sunt somnia atque figmenta, ad ipsorum hypothesin stabiliendam ineptissima, & refutatione plane indigna. Nullum itaque ex hisce metallis, adstipulan-

pulante experientia (quae & noſtro judicio aliquando rationi praeferenda eſt) hanc potius, quam illam ex iis partibus curat. Aurum ver. gr. cordi potius, quam cerebro non eſt adjudicandum, quum major adſit ſimilitudo inter ſolem, & cerebrum, a quo manant ſpiritus, quam inter cor, quod verus eſt muſculus, veraque antlia impulſiva, illud omne, quo pollet robore, a nervis & cerebro mutuans, uti paſſim hiſce temporibus demonſtratur. Inter Paracelſi aſſeclas vix convenit de ſtanni ac plumbi fato, quae juxta ipſorum ſuppoſita jecori, & ſpleni inſervire deberent, ad quorum tamen uſus nunquam uſurpata fuere. Ferrum vero, quod veſicae felleae adjudicatur, hepatis, lienis, meſenterii, aliarumque omnium partium nutritioni dicatarum obſtructiones pariter ſolvit. Mercurii ſors ipſos immane quantum angit, & quum nullum aliud viſcus illi committendum ſuperſit, pulmonem illi concedunt, qui neutiquam ad ipſum referri poteſt; illique potius quam cupro partes genitalet impertiri debebant, quum ipſe luem Veneream deleat, nullaque inter partes iſtas, & cuprum interſit relatio, & ſimilitudo, praeter eam, quae a Veneris nomine, quo ab Aſtrologis inſignitum fluit, ſidus cum ipſo comparatum derivatur. Tandem vero omnia iſta ſuppoſita ſimplices ſunt comparationes, & mera mentis figmenta potius, quam verae atque conſtantes ſympathiae. Deinceps Auctor epiſtolae aſſerit, etiamſi futurum fuiſſet, ut genuina argenti tinctura extracta fuiſſet, illam tamen non futuram fuiſſe ad epilepſiam ſpecificum; poſtea tamen affirmat, nulla hucuſque ſeparari potuiſſe ex metallis principia interna, nec ex minus ſolidis quidem, ac minus perfectis, & ea omnia, quae ad hoc uſque tempus extracta fuerunt, fucum tantummodo fuiſſe, atque commiſtionem particularum principiorum diviſarum, & ſuſtentatarum a ſalibus in liquore menſtruorum vel ab iiſdem ſalibus in formam ſolidam redactis retentarum, nec a plumbo quidem juſta Chymicos, omnium metallorum minime cocto atque compacto quicquam extractum fuit, & copioſum illud ſal, quod deſtillatum a minio vel ceruſſa elicere videtur, nihil aliud eſt, quam ſal aceti particulis plumbi, quod ad priſtinam formam facili negocio reduci valet, impraegnatum. Spicula illa ſalina particulis plumbeis infixa linguam amplius, ut antea, non pungunt, at eam e contra titillant, & ſaporem ſaccharatum pro acido in illa procreant, ac mire confirmant, aeque ac aliae omnes operationes chymicae, mechanicam, & principia Carteſii. Nequaqam tamen inficiatur, metallicas iſtas tincturas, utut falſas atque fucatas, magni eſſe uſus in Medicina, ſaliaque volatilia vini, & urinae ex ſe ipſis jam aperitiva atque penetrantia particulis argenti inſuper ſtipata, in humores obſtructiones facientes impingere, illoſque excutere poſſe, quod a tinctura Martis potentius multo, quam a Marte ſolo aperiente peragitur.

Non dubito, quin jam tibi, Vir excellentiſſime, nota ſit tinctura lunae Helvetii, Medici Amſtelodamenſis celeberrimi, quae magni penditur in epilepſia, aliiſque capitis affectibus pertinacibus, quae ſequens dicitur. Sal armoniacum, & vitriolum detonentur in crucibulo, & dein affundatur vini ſpiritus, & tum fit viridis, ſin ei affuderis aliquot guttulas olei tartari per deliq. erit coerulea. Sed nolo nunc pluribus te a negociis gravioribus detinere. Vale, Vir excellentiſſime, & mihi favere perge. Dabantur Caſſellis prid. Calend. Maji, Anno cIɔ Iɔc XXCIX.

P. JOH.

Dn. JOH. DOLAEI, EPISTOLA IV.

Quae in ordine NONA est.

DOMINO JOHANNI JACOBO WALDSCHMIDIO

JOHANNES DOLAEVS.

Vir Celeberrime.

QUum in rebus pluribus, iisque difficillimis artem nostram concernentibus, omnes, etiam indignos, indiscriminatim hactenus erudiveris tot, tamque elaboratis ingenii tui divini certe monumentis, inter quae excellunt epistolae tuae hactenus ad me exaratae, imprimis vero Institutiones tuae, publico jam de novo communicatae, quae ab eruditis adeo desideratae fuere, ut in Belgio iterum de novo recusae fuerint; non possum non diligentiam tuam, & accuratum judicium (non blandior) maximopere depraedicare, & facta illa bona utroque laudare pollice, paucisque simul hortari, ne tanti aestimes, Vir celeberrime, si unus vel alter maleferiatus, aut obscuriore mente dotatus, de rebus istis, quas pernoscere ei non licet, Midae sententiae similem proferre videatur. Uti vero omnibus placere difficile est, ita generosae menti minus convenit, si exinde in tramite coepto dilassari, & in rebus arduis eruendis, aut veritate firmanda incipiat esse segnior; tu contra audentior ito, & ad invidiam malevolorum bene locatum urge propositum, tandem contra gratiam propriam veritati victas dare manus cogentur. Haec te aeternae laudis Phyllida manet, quam nec imber edax, aut aquilo impotens possit diruere, aut innumerabilis annorum series, & fuga temporum. Nec est, quod invidiam, virtutis pedissequam, Zoileum flagellum, & improbos sauciantis linguae susurros extimescas eorum, qui domi suae, Lamiarum more, coeci, foris supra milvinam, & centoculi Argi aciem sunt oculati. Quotusquisque enim est, quem non videat crasso Calphurnius ore? Commune fatum, & sic, ut cum Tacito loquar, ceu sterilitas, imber aliaque naturae malo tolerandum est, ut omnes, qui aliquo laudis genere florere incipiunt, undique venenatis calumniarum telis incessantur, & quasi turbine quodam malevolentiae quatiantur, improbo furentium Momorum agmine, ob exuberantem nigrae loliginis succum acerbitatis virus serpentis instar effundente. Sed ne in his ultra limites movear, & crabrones irritem, ad alia me conferam.

Maxime mihi ea, quae refers de motu cordis ex Vieussen, arrident, quoniam juxta principia mechanica sunt deducta. Et sane caussa motus cordis sanguis, spiritus, & aër omnino sunt statuendi. Nam horum uno deficiente, motum cordis peragi non posse videmus. Cuilibet notum est, sine sanguine nullam spirituum fieri separationem. Et quum omnes motus in machina nostra a spiritibus fieri con-

constet, certum est, sanguinem ad motum cordis omnino requiri. Ab influxu autem spirituum motum cordis promoveri illis constat, qui spirituum ad cor influxum impediverunt ligando, vel discindendo nervum cordis, eo ipso enim motum cordis imminui, & cessare deprehenderunt. Symbolum suum ad cordis motum addere aërem, nemo erit qui neget; quippe si aspera arteria ita obturetur, ut aëri omnis ingressus prorsus denegetur, statim motum cordis sisti cuilibet experiri licet. Quinimo aërem ad pulsum cordis tum promovendum, tum conservandum multum facere, sequens experimentum confirmabit. Alacri manu solvatur & removeatur ita sternum, ut thoracis interiora plane in conspectum veniant, sic cor adhuc arietare conspicietur: quod si non facit, instigetur acu, & statim recuperabit motum. Ut autem hic motus per dimidium diem & diutius conservetur & continuetur, interceptis vicibus per asperam arteriam pulmones inflari debent. Nam dum vesiculae pulmonum ab aëre expanduntur, sanguis exprimitur & versus cor propellitur: quibus iterum laxatis, sanguis ex corde in vasa pulmonum refluit, & ita circulatio sanguinis in his partibus, licet in aliis a corde remotis sufflaminata sit, servatur. Atque ita saepius jucundo satis spectaculo animalis vitam ad longum tempus protraximus. Quod autem illam difficultatem, quare cor corpore extractum adhuc pulset, attinet, censeo, caussam omnino quaerendam esse in spiritibus nervis istis insidentibus, qui quum ob valvulas regredi nesciant, motum suum tamdiu continuant, donec ab alia caussa impediantur. Animadvertimus enim istos motus, qui in tali corde exempto observantur, non adeo vehementes, nec ita constrictorios, sed leves saltem contracturas esse, quale quoque in musculis bovum recens mactatorum cernimus quotidie.

Proverbium Chirurgorum est, hominibus non manus ac digitos crescere, prout cancris; attamen contrarium ex sequenti patet casu a Viro celeberrimo Domino WALDMANNO, Medico Schmalcaldiensi, cōmuni nostro amico, viro fide digno, communicato. Puer adhuc Schmalcaldii superstes 6. vel 7. annorum, asciam male tractans tertium indicis articulum ita sibi totum amputarat, ut de ungue vix quicquam apparuerit. Pater infortunio hoc perterritus, statim Chirurgum accersere jubet, & de amputata parte rursus agglutinanda, ne digitus, vel manus mutilus fiat, consilium petit; Chirurgus vero accersitus de sanguine sistendo, & non de parte agglutinanda jam cogitandum esse respondet, impossibile enim fore, ut digitus praecisus justam suam rursus acquirat longitudinem. Sed quid fit? Vulnere ex arte consolidato, pueroque in dies incrementum sumente, & index cum nutrimento suum quoque pedetentim acquirit augmentum, ita quidem, ut jam digitus hic a reliquis nec longitudine, nec alia forma distet, externe novus unguis, interne novum renatum est os, imo vix vestigia cicatricis in superficie apparent. Ossa esse renata Scultetus, Marchettes, aliique Chirurgi celeberrimi notarunt, imo praelaudatus celeberrimus *Waldmannus* cujusdam cranium ex vulnere laesum possidet, cui novum ad claudendum foramen subnatum est cranium, sed novum digiti articulum cum ungue unquam fuisse renatum nullibi vel legisse, vel audivisse memini, nisi *Lycosth. de prodig. & ostent.* historiam huc trahere vellem de homine, cujus sinistra manus ferro amputata post annum pene ad integrum ei dormienti restituta, sed quum portentum magis (si fides Auctori adhibenda) quam Chirurgicam sapiat observationem, ejus diutius meminisse nolo. Dum vero haec Chirurgo nostro castrensi, Domino Johan. Julio Branbardio narrassem, ipse testatur, se in filia 18. annorum ulnam brachii ob cariem, per incisionem exemtam, intra biennium renatam observasse. Tubuli enim & fibrae ossium possunt in longum extendi, & succi mediante circulatione ibidem allati in deperditae substantiae reparationem coagulando transformari.

Celeberrimus *Nuckius* Lugdunensis pergit industrie in detegendis novis du-

ctibus

ctibus, & demonstrandis novis glandulis, circa enim articulos, ver. gr. cubiti, genuum, &c. plures observavit glandulas. Itidem ex celeberrimi Domini D. *Bohnii*, Professoris Lipsiensis, Anatomici ac Philosophi egregii, communis nostri amici, habeo, quod bini ipsius amici Gedanenses in tribus luporum ventriculis inter tunicam carneam & nerveam viderint glādulas satis ingentes, & soliditate fere cartilagineas, in quibus haeserint lumbriculi exiliores, quos stimulatores totidem voracitatis hujus generis animalis summae augurantur; imo & ipse praelaudatus *Bohnius* in canibus aliquoties simile paradoxum se observasse scribit, ita tamen, ut ostiolis exilioribus pervia viderentur haec animalculorum receptacula, crediderit que, hoc semper aliquid extraordinarium esse, quum non in omnibus comparuerit.

Praelaudatus Dn. *Nuckius* demonstravit Lugduni Batavorum sinus cerebri a celeberrimo Vieussens, Professore Monspeliensi, inventos, qui nihil aliud sunt, quam sinus laterales, exitum suum habentes in sinus quatuor ordinarios tibi, Vir celeberrime, jam notos. Ipsorum usus adhuc est ignotus, quem tamen plures cum reliquis communem esse dicunt. Demonstratum etiam est, glandulam pituitariam nihil ad nares amandare posse, unde praedictus celeberrimus Anatomicus, Dn. *Nuckius*, humores oculorum a glandula pituitaria ortum suum habere arguit. Hactenus observavi, omnes glandulas lympham suam vel derivare ad vasa lactea, vel ductum thoracicum, vel ad ipsas venas, quum vero nullus ex primis duobus vasis in cerebro reperiatur, verisimile est, glandulam pituitariam lympham suam in novos excernere sinus, qui nihil aliud sunt, quam venae jugulares. Certissimum est, quod asseris, nullam inter glandulas esse aliam differentiam, nisi eam, quae a magnitudine, figura, & situ canaliculorum desumitur, quae etiam sola in caussa est, quod diversos vehere soleant succos: nec nos admittimus privatum glandulis praeparatorium officium, quum nulla opus sit praeparatione, sed saltem segregatione.

Totus jam sum occupatus in phosphoro parando, quem mihi ex Anglia attulit cl. Dn. Kursnerus, communis noster amicus, & potentissimi Principis nostri exercitus Medicus ordinarius, asserens illustrem Dn. Boylaeum, & celebr. Dn. Slare (qui posterior pro Auctore Phosphori habetur) ex urina ipsum laborare. Accipe descriptionem.

℞. Urin. incoq. in olla, massam crassiorem inde retortae, & destill. spiritum, & oleum rubrum, exime cap. mortuum, & superfund. aq. pluviatil. & detrahe sal, residuum exsicca, & in pulv. reductum inde retort. ut tantum dimidiam impleat retortae partem, & recipientem applica etiam semiplenum, l. a. luta, & per gradus destill. ad 10. horas, donec omnis fuerit destillatus, recipiens aqua potest refrigerari. Helmontius junior in Anglia vivens sequentem communicavit. ℞. urin. coq. ad consistentiam mellis, add. aren. part. 3. destill. per retortam. recipiens sit magnum, & aqua repletum, da ignem fortem. Sed celeberrimus Weidenfelsius mihi aliam promisit descriptionem, quam tecum, Vir celeberrime, tum dividere non recusabo.

Medicus quidam, qui aegro cuidam colica cum ictero laboranti medicinam fecerat, cursum chalybeatum cum medicamentis antictericis amaris sc. interpositis per biennium praescripsit, nullo tamen cum levamine, tandem mortuus est aeger, & in vesicula fellis quinque calculi reperti sunt, qui in aqua injecti fundum petiere, contra naturam aliorum ejusmodi lapillorum in vesicula fellis repertorum, hos ulteriori examini subjicientes invenerunt eos omnino ex ferro conflatos esse, nam rubiginem repraesentabant, & magnetis attractionem vulgo ita dictam obsequebantur. Existimamus ergo, particulas ferri, accedente acido in machina nostra facile posse counire, & instar calculi concrescere.

Aliam

Aliam accipe observationem. Mulier quaedam 32. circiter annorum, sex ab hinc annis semel gravida fuit, ab illo autem tempore se gravidam esse judicavit; menstrua enim 2. vel 3. menses emanserunt, abdomen intumuit, appetitus depravatus, saepius mane vomitu correpta fuit, alia ingravidationis signa sensit, & habuit, sine ulla tamen foetus, vel alicujus excretione, ter ita decepta, tandem gravida facta fuit, & ad septimum mensem durarunt haec symptomata, quo tempore haemorrhagia correpta est, remanente tamen motu foetus, quamvis debili. Varia contra haemorrhagiam usurpata sunt, suadente ita & jubente aegra, quae putabat se esse gravidam. Octavo autem mense (hoc affectu adhuc durante) in partum incidit, & foetum mortuum sine ullo dolore, antequam obstetricem accersere potuit, sponte enixa est, nullis, aut paucis admodum fluentibus lochiis, tandem usu chalybeatorum, & antiscorbuticorum ad pristinam salutem intra quatuor menses restituta est. In hoc casu medio gestationis tempore venaesectio proficua fuisset bis vel ter instituta, vasa enim uteri fuerunt a sanguine nimis distenta; hinc tecum in hoc casu perquam utilem venaesectionem institutam reperi.

De venaesectionis utilitate ex historia eruditorum Gallice conscripta sequentem tibi legendam tradam observationem. Dominus Bayle, Medicus, Doctor, & artium liberalium in Universitate Tolosana Professor; venaesectionis utilitate multis argumentis stabilita, eam penitus confirmare conatur, experientia e machina Papiniana ossa emoliente deducta. Ex machinae istius, quam mihi celeberrimus Dominus Papin hodie, dum haec scribo, monstravit) descriptione a Dn. Bayle nobis exhibita patet, carnium coctionem, ossiumque dissolutionem tardius, promtiusve in ea perfici, juxta minorem, vel majorem aquae in ipsa pressionem. Nullus phaenomenon istud mirabitur, si animadverterit dissipationem partium insensilium corporum calidorum eorundem agitationem dilucide probare, ipsaque agi motu verticoso vel vibratione, quo se mutuo extrudere, & a vicinis secedere conantur, manifeste statuere. Tali motu insensilium particularum corpora calida vicina praesertim corpora concutiunt, suamque agitationem illis communicant. Inde subsequitur, corpus condensatum citius excalefacere corpore rarefacto, etiamsi utrumque ab eodem igne calefactum fuerit, quoniam corpus condensatum copiosioribus, iisque adunitis particulis munitum operatur. Eadem de caussa ferrum candens carbone vehementius calefacit. Sic etiam aqua in machina Papiniana compressa corpori, quod attingit, motum impertitur validiorem eo, quem illi conciliaret, si minus compressa foret, utut eodem caloris gradu donata: id est, aquam condensatam particulas numerosiores, quam aquam rarefactam sub certo spatio continentem, in vicina corpora pluribus particulis confertim agere debere: haec insuper affertur caussa majoris activitatis corporum calidorum liquidorum, quum scilicet compressionis vi ad angustius spatium redacta fuere: quia tum temporis corpora liquida corporis solidi particulas vehementius confricant. Apud omnes constat, liquores esse compositos ex particulis insensilibus motu perpetuo eoque omnivario praeditis, vasorumque latera illas continentium indesinenter decurrentibus. Facillime autem elucet, compressionem efficere debere validiorem mutuam particularum illarum collisionem, illiusque ope ipsas in corpus solidum violentius ferri, unde contingere potest, ut corpus liquidum calore destitutum nihilominus excalefaciat, solius compressionis ministerio, corpus durum, in quo compressionem partietur; ita quoque fit, ut aër in catapulta pneumatica apprime compressus illius tubum excalefaciat, & ex tali calore liquet, sufficientem aërem in illa contineri, & aëris staterem eam assecutum esse tensionem, quae exoptato affectui ab ipso producendo necessaria est. Ex iis observationibus venaesectionis necessitas percipi potest, nam, inquit D. D. Bayle, nisi aperiatur vena aegri, cujus sanguis a febre ardente excandescit, cruor iste majorem patitur in venis

compressionem, quam si a venaesectione rarefieret, sanguis nimirum compressus sanguifera vasa, fibrasque partium, quas alluit, excalefaciet, inflammationemque in illis pariet: praeterquam quod sola vasorum repletio independenter ab extraordinaria febris effervescentia multa detrimenta inferre valet. Auctor argumenta sua observationibus suffulcit, asserit enim, se in corpore humano pectoris inflammatione laborante, nulla celebrata venaesectione defuncto animadvertisse, cor tantopere a sanguinis excandescentia concussum fuisse, illiusque fibras valide adeo fuisse divulsas, ut ipse a se invicem penitus essent sejunctae. Ex his omnibus colligit, sicuti in machina Papiniana caloris effectus aqua effluxa imminuitur, ita etiam sanguinis impetum remitti, ipsiusque motum sisti, cujusdam portionis illius eductione. Hinc tu quoque, Vir celeberrime, in institutionibus tuis medicis doctissimis recte inquis: lac subinde ita augeri potest in sanguine, ut magna inde totius massae sanguineae turgescentia, ac rarefactio exoriatur: hinc quum moles illa pari alacritate ab ipsis spiritibus animalibus ad reditum versus cor urgeri nequeat, plethorici magis prae aliis rubent, vasa sanguifera distenduntur, corpus obesum fit & carnosum, praesertim si ocium & quies accesserint. Hinc venaesectionem optimam esse imminutoriam, seu evacuatoriam asseris, unde eam in dysenteria approbas eum in finem, ut videlicet imminuta sanguinis copia tensio & pressio in parte inflammata imminuatur.

Hic Marburgi, ut scis, haereo, & Serenissimae Principi nostrae in puerperio medicinam facio, quae, Deo O.M. sit laus, Principem sat formosum enixa est, & optime se habet, tu interim in castris prope Moguntium vivis, quae in arte nostra observas, mihi ut communices, obnixe rogo, propediem & mihi eundum est in castra. Dum haec scribo, litteras accipio Ferraria ex Italia a celeberrimo Domino *Lanzono*, quarum copiam tibi transmittere lubuit.

Al multo Illustrissimo, Excellentissimo Signor & Padrone colendissimo, il Signor Dottore Gioanni Doleo, Medico del Serenissimo Landgravio d'Assia.

Praestantissime Vir, ac Domine Excellentissime.

Saepe in ambiguitate meus animus est versatus, an scilicet meae ad te litterae gratae futurae essent, verum quum animadverterim, sapientes viros animo candido ornari, statim calamum ad chartam hanc tingendam tradidi. Unde tuam pluries litterariam contemplatus beatitudinem, ac eximiam admiratus eruditionem, coactus fui tibi inter Medicos maximo, meam licet inter Medicos minimam servitutem patefacere. A tuis enim optimis operibus agnovi, quantum tibi debeant omnes medicinae Cultores, inter quos ego minimus. Scripsi & ego discendi non docendi ergo animadversiones medicas, & scholia ad observationes D. H. a Moinichen, nec non Zoologiam, quae opuscula nuper typis tradita tibi libenter transmitterem, dummodo scirem, gratam tibi meam servitutem fore futuram. Te interim precor, ut me doceas, quomodo tibi tuto tradere possim chartaceos meos fasciculos, ut a te aliquid in re medica novum discam, quod summopere expto. Nunc ego construo ephemerides Litteratorum Ferrariae, unde de aliqua tua rara observatione in eis inferenda ad publicam utilitatem te rogo; si aliquos pariter habes libros medicos hac in urbe de recenti editos, vel tuos, vel aliorum, eos ad me ut celeriter tradas, vel saltem eorum nomina, vehementer rogo, & ego nostros hic impressos, ac imprimendos tibi transmittam, ut ex hoc semper crescat meum erga te obsequium, & tuum erga me dominium. Vale, & me ama.

Dominationis tuae Excellentiss.

Addictiss. & obsequentiss. servus
Josephus Lanzonus, Med. Doct. ac in patria Universitate Professor Botanices.

Ferrariae die 2. Maji 1689.

Hasce

Hasce litteras tibi, Vir amplissime, eum in finem communicare volui, ut si unam, vel alteram curiosam observationem ephemeridibus istis inserendam habeas, mihi transmittere velis, proxime enim celeberrimo huic Viro responsurus sum.

Vidi, Vir amplissime tractatum tuum elegantem anchorae salutis nomine insignitum, de potu theae lingua vernacula conscriptum, eumque singulari perlegi attentione, qui potus laudatur ab his, culpatur ab illis. Stat adhuc mea sententia, potum hunc in nimia quantitate assumtum mihi suspectum esse, quoniam herba haec ad leges & resolutiones chymicas rite examinata in se continet sal alkali nimis acre, hinc facile tubuli & vasa sanguifera laedi possunt, imo in pluribus excitatur raucedo, ceu plura mihi constant exempla, ex quibus unum tantum recensebo asterisco notandum. Vir ille multum Reverendus Dn. Psorrius, Inspector Smalkandiensis, qui nescio cujus suasu potu theae abutebatur, & singulis diebus ultra mensuram sorbillabat, idque per annum & ultra continuabat, unde ipsius succus pancreaticus acris acidusque redditus fuit, econtra bilis destituta particulis benignis volatilibus oleosis, hinc quoque chylus in ipsis intestinis tenuibus infectus, & particulae acres non modo abrasere mucum intestinorum necessarium, sed glandulas etiam ipsas erosere, fibrillasque pungendo distenderunt, unde cum dolore ad ejectionem viscidi succi intestina lubricantis, & eadem adversus pancreatici liquoris, aliorumque succorum peccantium acorem munientia stimulabant, & quod per poros intestinorum, & vasa lactea mesaraica in chyli receptaculum transmittitur, pessimo infectum est fomite, & chylus ad nutrimentum partium existebat ineptus, imo ab acri erosae arteriolae intestinales, sive fuerint duodeni, sive ilei, sive recti, cruentam continuo fere emittebant materiam. Quando hanc propter rationem ad particulas acres muco intestinali involutas exturbandas per exhibitum pharmacum lenitivum, seu mediocriter purgans nidus cum hoste ejiciebatur, remisit per tempus aliquot dolor, at quum hic pharmacandi modus nulla constitit peccantis humoris correctione, novus assumtus potus theae spiculis suis fibras denuo vellicavit, & inde concitata intestina ejecere chylum cum mucho, sive misturam quandam variorum liquorum non bene inter se mistorum, quorum partes scindentes arteriolarum extremitates intestini recti adstrictivis facili Marte vulnerare queunt, ut stillis quibusdam cruentis mucus ille pingatur. Quamvis a me opponerentur acido acri alkalica mucilaginosa spiculas non modo absorbentia, sed inviscantia quoque & frangentia, semper tamen irrite cum effectu ista adhiberi experiabat. Si adstrictio & alvus durior laxans reposcere videbatur, exhibui ol. amygd. dulc. unc. j. cum ocul. cancr. pp. drach. sem. sal. volat. cor. cer. gr. vj. ol. stillat. anis. gut. iij. Tempore intermedio propinabantur vel pulveres, vel misturae liquidae acidum dissolventes ex aq. menth. camomill. flor. nimph. foenicul. tinctur. anodyn. spir. sal. armoniac. anisat. spir. nitri valde dulcificat. marg. pp. magister. Saturni, cor. cer. phil. pp. sal. volatil. ejusd. lap. ceratit. cum granis aliquot laudani opiat. & gum. tragacanth. pulv. ex ocul. cancr. sperm. ceti, sale volat. corn. cer. & opio correcto, sir. de alth. menth. gelatin. cor. cer. cum guttulis tincturae terrae Japan. balsam. Peruv. rectificat. ad 2. guttas in jusculo carnis animalium juniorum, spec. diarhod. & diatr. santal. vel rosat. novell. cum sale volat. mandibul. lucii, tal. lepor. & simil. thermas artificiales aliquantum sulphureas, additis herbis aromaticis externe tentavimus ad mitigandas fibras abdominis & intestinorum, in quantum volatile aliquid per poros apertos venulas cutaneas ingredietur capillares, e directo enim viam per cuticulam, cutem vascularem, musculos abdominis, peritonaeum, ad intestina per triplicem tunicam non reperiunt, nisi quod succi in extremis tubulis mitigati cursu suo circulari successive quidem, sed satis saepe cito ad stomachum cum liquore dissolvente, & in

intestina cum succis consuetis revertantur. Thermae spontanae aestu ignis centralis tellure ejectae saepe sunt violentae, misturae enim earum variae sunt, benignas tamen utroque approbamus pollice. Omnia haec frustra tentabantur in praedicto viro, & animam Creatori sui reddidit lubens. Nullus dubito ergo, potum theae huic viro noxium fuisse, & quũ sal illud acre in herba theae in minore mole existens haud consideretur, asterisco tamen notandum, modum esse servandum in potibus diluentibus aquosis, ne per diuresin vel transpirationem sanguis depauperetur potiori sua parte, ol. scil. & sale volatili, unde, Vir experientissime, ne in charybdim hanc incidamus, optime mones, ut potui interponatur essentia nostra de thea, quae constat ex sale volatili oleoso ad damnum hoc resarciendum. Potum ergo Coffee, quod tamen tua pace dictum volo, potui theae eapropter praefero, quoniam fabae hae gaudent sale quodam blando volatili oleoso, exinde enim sanguinis & humorum guttae aequalem ad invicem retinent particularum ipsas constituentium convenientiam, succi redduntur fluidiores, coagulati vi hujus salis volatilis oleosi magis resolvuntur, hinc Coffee vires in calculo pellendo majores sunt, quam theae. Ne existimes, Vir celeberrime, me potum theae ad Indos relaturum, & plane rejecturum, sed eum, certis & pluribus tamen in casibus, magnifacio, & in Encyclopaedia Chirurgica saepius commendavi, non enim usum, sed abusum culpo.

Jam ab anno ultimo elapso hocce in districtu nostro Cassellano grassatur inter exules nostros morbus quidam epidemicus singularibus symptomatis stipatus. Aegroti de repente, & quasi fulmine tacti decumbere coguntur, vires ipsorum penitus exsolvuntur, pulsus debilis, tenuis ac oppressus percipitur, universa membra doloribus pungentibus vexantur, & in plerisque dolor pleuriticus alterutrum vel utrumque pectoris latus occupat, sed in omnibus tussis utplurimum sicca, aliquando sanguinolentis sputis comitata, pulmones a prima invasione affligit. Capitis anterior pars dolore pulsante excruciatur, totum corpus acri calore exardescit, & febris ab horrore initium habens, nunc cum nunc absque purpureis maculis, & cum inordinatis exacerbationis initiis accenditur: subsequitur tamen diarrhaea biliosa, sitis intensa, linguae ariditas, & scabrities, delirium, & gravis auditus, in omnibus pulmones inflammatione corripiuntur, quae tandem in abscessum cedit, cujus materia si consistentiae, colorisque laudabilis fuerit, facile & aegri salute per sputum excernitur, si vero spissior, tenacior, cinereique fuerit coloris, vel si justam non assequatur coctionem vulgo ita dictam (quod nonnunquam evenit ob fermenti venenati ferociam) indubitatam aegri necem praesagit. In quibusdam clam & in latebris efformatur abscessus, nulla tussi, alioque signo praeter aliqualem respirationis difficultatem, sui suspicionem perhibens, tandem vero puris ejectione conjecturae veritatem confirmans. Raucedo aliquoties suppurationi succedit, & in nonnullis adeo gravis reperitur, ut vix verbulum quoddam pronunciare valeant, adstantesque eorum ori incumbentes mentem eorum percipere queant; tale vero symptoma uti & gravis auditus, vel cum morbo, vel brevi post illius ablationem evanescit: utplurimum aut nono die morbi isti judicantur, per puris excretionem, quidam etiam decimo tertio die fato funguntur, sed nullum vidimus post vigesimum primum periisse, optimum fere semper, & quod rarissime nos fefellit, nobis fuit omen, si aegroti in morbi principio sanguinem exspuerint. Sed etiam certum utplurimum fuit proximi finis indicium, si brachiorum tendines interpolatis iisque moderatis motibus convulsivis post 7. diem afflicti fuerint. Morbos illos contagiosos observavi, eosque communicatos vidi a viro uxori, a parentibus liberis, a liberis parentibus, & in quibusdam aedibus ab uno aegroto septem aliis. Caussam talis affectus in aëre subsistere videtur, quum ipse absque ulla caussa evidenti, atque occasionali passim impetat,

petat. Nec solum enim miseri, artifices, durisque laboribus addicti homines in hunc morbum incidunt: verum etiam divites, laute viventes, ociosam, ac tranquillam agentes vitam, vestibusque contra frigoris acerbitatem corpus munientes ab illo corripiuntur. Pauca eaque selecta medicamenta ad hunc morbum debellandum sunt adhibenda, pectoralibus enim temperatis insistendum est, iisque admiscenda veniunt cardiaca, alexipharmaca, & diaphoretica omni volatilitate exuta: quum ab experientia constiterit, spirituosa, & volatilia hisce in occasionibus esse maxime nocua, illaque intensas phlogoses excitare. Omnia acida utut dulcificata, aeque ac universa medicamina frigida dicta hic sunt proscribenda. Venae-sectiones etiam, & clysteres hinc exulare debent Sed supra laudatis remediis associari debent absorbentia, quae mirum juvamen hic conferunt, & cura post efformatum abscessum, & inceptam sputationem lactis usu cum theae potu est perficienda.

Plures hoc tempore aestivo me suasore acidulas calide hauserunt meliori cum effectu nam actuale frigus maxime in acidulis nocet, ceu mille experimentis comprobare potero. Hinc aquae calidae potus pluribus convenit, quem etiam in mensa jam diu assumsit Serenissimus ac Potentissimus Princeps ac Dominus Rudolphus Augustus, Dux Brunsuicensis, & Luneburgensis 64. annum agens optime sanus. Calidae aquae usum satis frequentem fuisse apud nonnullos populos, tum quod gratam illam, tum quod ventriculo non inutilem esse deprehenderent, innuere etiam hoc ipsum videtur Horatius Od. 19. l. 3. quaerens:

Quis aquam temperet ignibus?

Et cum illo Juvenalis Sat. 5.

Quando vocatus adest calidae gelidaeque minister.

Actualis enim calor in potu juvare potest, & hic illum praestare effectum, quem ubique edit, ut scilicet attenuet, rarefaciat, visciditates succorum corrigat, eosque in fluiditate conservet, & a coagulatione, & concretione praeservet, uti contra actuale frigus succos nostros, & sanguinem imprimis incrassando, coagulando, & condensando motum eorum impedit, & tandem plane tollit. De aquae hujus calidae potu meretur legi disputatio Medica, nuper Helmstadii a Dn. *Brandan Dieterico Behrens*, Celeb. Dn. *Behrens, Consiliarii, & Archiatri Guelferbitani filio, paternis virtutibus ornato*, cum laude habita.

Dum haec scribo ad Illustrem quendam Senem arthritide fixa laborantem vocor, cujus atrocis mali symptomata pensitans in caussam ipsius intimius inquisivi, & non amplius dubito, quin arthritidis ratio formalis consistat in obstructione partium menbranosarum, nervosarumque circa articulos propter tensionem, & acrimoniam particularum obstruentium eas vellicantium, dolorem motumque impeditum &c. conjunctos habens. Adesse in arthritide acre quoddam, & viscosum obstructionem hanc pariens nullus dubito, quomodo vero acres, & viscosae hae particulae in articulos deponantur, haud cuilibet constat: Nos non alium fontem praeter sanguinem his tribuimus intemperie acri, & viscosa acrimoniam corrosivam conjunctam habente inquinatam, a quo vehementius (data quacunque caussa) incitato hae particulae per arterias in articulis vicinas partes propulsae, earum tubulos porosque (firmae texturae) quos alias non ita libere ingrediuntur, superveniente subitaneo frigore, fluidarum diluentium incrassatione defectu &c. non difficulter obstruunt, quippe acres ut rigidae ad variis figuris se accommodandum ineptae per corpus non sine certo vehiculo moveri, huic facilius ab aliis praecipitari situ inconvenienti poris transfretandis occurrere, & firmius inhaerere posse concipiuntur. Acrium porro quasdam pro multiplici, & vix determinabili earum ratione molis, figurae, & rigiditatis differentia potius, quam illarum haud inficias imus. Dubium non est quin internarum structura externarum

varie-

varietati, & lineamentis parum admodum cedat, ac proin alii nanciscantur tubulos ampliores porosque patulos, alii strictiores & angustos, quibus in angustiis viscosum, & tenax facilius haeret, quibusdam laxiores, flexiliores, magisque obsequiosi, nonnullis rigidiores, constantes, minusque ductiles existunt, in quibus scabre irregulares, & acres rigidae facilius commorantur, difficilius elutriantur. Haec autem constitutio siquidem nativa in primordiis generationis particularum seminis efficacia motui sanguinis, succorumque parentum consimili, si non adaequata, & non exercitiis, immoderato aromatum, vini, venerisque usu &c. inducta, atque ejusmodi in parentibus arthritidem passis dispositio fuerit, rationem existimandi nonnullis dedit, morbum iis esse, vel imminere, haereditarium; praesertim si eadem sanguinis succorumque temperies per semen, & alimentum pridem propagata communicataque eodem vivendi genere continuata fuerit. Omnia enim quae sanguinem acriorem, & viscidiorem reddunt, particularum debita ad invicem proportione sublata, ad arthritidem disponunt, quia robur fermentationis labefactant, ut adeo legitima in eo non fiat attenuatio; ut sunt omnia alimenta duriora, crassa, salsa, acida & austera, fumigata, piperata, aliaque aromatibus acrioribus condita, liquores spirituosi (ut aquae vitae, potius mortis) nimis copiose, & iterate assumti, aqua nostra Cassellana calce referta, ut & vina nonnulla acida &c. Horum enim usu plures me judice evadunt Arthritici ac Nephritici, cumque in his urinosa putrilago obstructis renibus vix sufficienter a sanguine depurgetur, ut ad alias partes, sic versus artus delato obstructionum Auctor saepe fieri potest. Sic quoque Veneris praematurus, & immoderatus usus balsamicas, salino-volatiles, & spirituosas auferendo sanguinem relinquit effoetum, & non raro acerrimum, imo saepe conjunctus Bacchus in tubulos a Venere dilatatos deponit acria, & viscosa. Nimiae vigiliae suum quoque addunt symbolum corpusque reddunt exsuccum, sic quoque ex vita sedentaria sanguis remanet torpidus. Ex vehementioribus animi passionibus, ira, terrore, moerore, &c. aliquando producuntur obstructiones vehementiores, quibus calcar addunt vitia in excretis, & retentis. Diuturnioribus aëris, & aquae frigidiorum injuriis expositae corporis extremitates; itidem a corde remotiores, quaeque vividum adeo sanguinis succorumque influxum accipere nequeunt, has saepe luunt paenas, unde quoque inferiores partes prae superioribus invadi toto conspicimus die. Quem vero semel invasit hic hostis, saepius ipsum infestare solet, tum quia tubulorum a priori paroxysmo certa manet dispositio, porique detorti ordinariae magnitudini, & figurae vix omnino restitui possunt, ut adeo pro tempore cessans obstructio facile postea redeat, tum quia difficulter haec totaliter solvitur, ac proin particulae haerentes acquiescentes vel viscidis irretitae non omni tempore impetum in fibrillas faciant, sed per intervalla in motum suscitatae exercitiis, certis cibis, vino &c. a quibus copia particularum inconvenientium modo imminuta, iterum in sanguine adaugetur, omnia enim mutabilia sunt in corpore nostro. Quum therapeja hujus mali certe Medicorum opprobrii consistat praecipue in obstructionum reseratione, & in temperiei sanguinis correctione, duplici procedimus via, alia in, alia extra paroxysmum: in casu acri praestans reperimus decoctum ex rad. chin. sarsaparill. bardan. sassafr. item continuus usus c. c. cujus rasura potui additur ordinario, potum theae cum lactae prae aliis reperi proficuum per longum tempus continuatum, quae acredinem involvunt. Demum doloris vehementia remittente spe felicis eventus diaphoreticis non nimium acribus obstructionum reseratio tentanda venit, & quidem talibus, quae fermentationi sanguinis robur constanter addunt in forma conditi, boli, misturae &c. coactis: est vero, me Auctore, abstinendum a valde volatilibus praesertim diu, & intempestive adhibitis sine sufficiente humidi vehiculo. Ubi vero intemperies obtinet magis

crassa

crassa, viscosa, decocti aliqualis fiat mutatio, substitutis paulo magis attenuantibus, ut lign. guajac. etiam similia sudorifera ratione intemperiei nonnihil sunt mutanda, prout sal vel acidum, viscosum vel terrestre &c. praedominium obtinuerit in sanguine, cujus emissio hoc in casu potius negligenda est, aegri, frequentius senioris viribus satis debilitatis, doloribus, vigiliis &c. Purgatio itidem validior praesertim omittatur, quia praeter alia incommoda humores hic illic stagnantes in majore sanguinis agitatione varie, & diversimode moventur, qui sanguini redditi facile ejus misturam turbant, unde symptomata exacerbantur, obstructiones multiplicantur, alvus vero si adstricta sit enemate emolliente subducatur.

Extra Paroxysmum corrigendae sanguinis intemperies, & fermentationibus ejus restituendis occasionem largiuntur: eidem scopo Antivenereorum decoctorum usus prodest, non exulante diaphoreticorum, & diureticorum exhibitione, quorum ingredientium aliqualis fiat variatio quum repetēda veniunt, ne sanguini eorum aether consuetus fiat, sicque nihil fere efficiant, quippe eximium quid possunt, pollentque ordo, prosecutio, series & vicissitudo artificiosa. Ut obstructionum reliquiae auferantur, etiam externe afflicta pars tegatur, & ab externis injuriis praeservetur, hanc ejus roborationem nonnulli pellibus animantium intendunt. Nos addimus inunctiones cum spir. vin. camph. matrical. elix. vitae n. d. cum aqua flor. sambuc. vel vin. rubell. pro re nata temperato, aliisque fomentis, balneis vel etiam & frictionibus modicis partem praeservare satagimus immunem novis ab insultibus, quorum saepe quum maneant nodi tophique, eos adhuc recentes impositis unguento ebuli empl. de ranis cum Mercurio, nec non amalgamate Mercurio, & Saturni gumm. ammon. & emplastro de thea incorporato resolvere. Sed ne, Vir celeberrime, Noctuas Athenas, plura de his addere erubesco.

Ex his dictis notandum est, quod non in omnibus morbis purgantia conveniant, quibus non semper fidendum, ceu saepius monui, nec iis in totum carere possumus, in praxi ergo mea hactenus notavi ea in primis viis ubi saburra viscida haeret elutriandis maxime necessaria esse, & sine iis in pluribus morbis vix sanitatem felicem reparare valemus, modo non vehementia sint, & ad sanguinem delata necrosin producant.

Non possum mihi temperare quin, & reprehendam usum vel magis abusum salis volatilis c. c. in mensa cum vino majore quantitate, quam par est assumti, qui mos etiam in Magnatum aula invaluit, sed multorum cum sanitatis detrimento, plures enim novimus, qui omnem amiserunt appetitum, & inciderunt in febres, dysenteriasque malignas, vomitus, cardialgias &c. ratio haec est, quia volatilia, ut & spirituosa nimium assumta balsamicas salino-volatiles particulas auferendo, sanguinem reddunt effoetum, volatiles in succis existentes secum abripiunt per poros in auram relicto viscido, & sic evacuando particulas volatiles corpus reddunt fere exsuccum, robur fermentationis labefactant, aliaque plura incommoda struunt. Caute ergo hisce volatilibus incedendum esse, & medice hoc est modice exhibenda esse Auctor sum.

Celeberrimus Dominus *Reiselius*, *Consiliarius & Archiater Wurtenbergicus, Amicus noster communis*, praeter alia curiosa siphonem suum Wurtenbergicum per majora experimenta non tantum confirmat, sed ut in vertice effluat, meditatur, si hoc fieri possit, maximum certe inde resultabit commodum.

Praeter liquorem meum Mercurium in luna mutantem, & fixantem; alium jam novi in momento aurum a luna separantem, & praecipitantem, ex dimidio enim floreno Luneburgico decem grana auris vidi praecipitata.

Nobilis nostra ars per plura nova principia a reformatoribus nonnullis hactenus adeo

adeo intricata est, ut vix Tyro Medicinae quo se vertat, sciat, nonnulli eorum fuere qui etiam omnia acida e foro medico proscribenda esse contendunt, ast quum quotidie in praxi observemus acida in morbis multum praestare commodum, non video quomodo illis carere possimus, de quibus, ut & de viribus Tunarum Dutlac, item de specifico antiepileptico ex vitriolo de cypro parato, de antiquartanario ex sulphure elicito, nec non de antidysenterico Martiali, aliisque, proxima occasione addam, quoniam jam epistolae limites transgressus sum.

Ego interea aeternam, & omnipotentem Trinitatem devotissimis inclamabo precibus, ut te ad annos longinquos, & innummerabilem dierum seriem in omnigenia felicitate, pace & rerum affluente copia servet, morbus quoscunque a te, & aula nostra arceat, & tum animi tum corporis robur largiatur; & cum in castris, loco certe pluribus periculis exposito commoreris. Deum veneror, ut tibi sit comes, & praesidium ac Medici Medicus, ut propediem victoriosus ac sanus redeas, tuisque mihique ac Reipublicae imprimis Litterariae bono, quam diutissime maneas superstes. Vale, Vir excellentissime, ac porro me, ut facis, ama.

Dabam in Arce Marburgensi Calendis Julii MDC. LXXXIX.



PHI-

PHILIPPI FRAUNDORFFER,

Ph. & Med. Doctoris, & in Marchionatu Moraviae Physici Provincialis

TRACTATUS DE MORBIS MULIERUM,

Ad

Mentem Recentiorum constructum, & pluribus selectioribusque Hippocratis textibus munitum.

AD LECTOREM.

SIsto tibi L. B. compendium curationum morborum muliebrium fere omnium, ad mentem Recentiorum constructum, & selectioribus Hippocratis textibus, quoad fieri potuit, munitum. Si utilitatem inde hauseris, habeo quod intendo, si quaedam minus probaveris, cogito quod Hipp. lib. de arte argum. 16. scriptum reliquit: *sunt enim his, qui hanc artem probe norunt morbi partim non in obscuro positi, & non multi, partim non in manifesto loco haerentes, & multi sunt*. Et de veteri Medicina Argum. 16. *Quanquam ego etiam eum Medicum vehementer laudarim, qui parum delinquat, certitudinem autem exactam videre, raro contingit*. Mordacia malevolorum dicta nec ipse Hippocrates, Medicorum Princeps, effugere potuit, unde sequentes ipsius querelae: *artis Medicae recte facta o Democrite plerique e vulgo hominum non omnino laudant, verum Diis saepe attribuunt, si vero natura reluctata perdiderit eum qui curatur, Medicos reprehendunt, Numen praetereuntes, & ego sane mihi videor majorem reprehensionem, quam honorem artis me assecutum esse*, ita scribit ad Democritum. Vale & posthac melius aliquid expecta.

INDEX CAPITUM.

1. *De Chlorosi.*
2. *De Mensium suppressione.*
3. *De Mensium nimio fluxu.*
4. *De Fluore albo.*
5. *De Partu difficili.*
6. *De Secundina retenta.*
7. *De Foetu mortuo.*
8. *De Abortu.*
9. *De Torminibus post partum.*
10. *De Nimio lochiorum fluxu.*
11. *De Lochiorum suppressione.*
12. *De Mola.*
13. *De Passione hysterica.*
14. *De Sterilitate.*

CAPUT PRIMUM.

De Chlorosi.



CHLOROSIS, alio nomine febris amatoria, est totius fere habitus corporis, praesertim tamen faciei, praeter naturam pallidus color, cum gravitate & levi intumescentia partium, lassitudine, difficultate spirandi post qualecunque etiam leve exercitium, dolore capitis, palpitatione cordis, inappetentia, aut certe appetitu depravato, pulsu celeri & frequenti, unde febris nomen accepit, suppressione mensium &c. Hipp. *Quibus colores, dum Juvenes sunt, pravi sunt ad multum tempus & continenter, non tamen morbi regii modo, hi sive viri sint, sive foeminae, caput dolent, & lapides ac terram comedunt, & haemorrhoides habent.* l.2.praedict.argum.37.

Caussa hujus mali est crassa, viscida, effoetaque sanguinis, lymphae, aliorumque circulantium humorum constitutio, a vita sedentaria, somno diuturno, solicitudine, tristitia (praesertim apud quas nubendi occasio tardat) frigore, aquae potu, alimentis crudis, frigidis, insolitis, vel alias difficilis concoctionis, plus debito, vel saltem indebito tempore, puta immediate ante vel post somnum, vel antequam priora concocta sint, ingestis, oriunda, siquidem ab hac omnia memorata symptomata commodissime deducuntur.

Et quidem primo pallidus color: nam si vividus & rubeus color a sanguine bene constituto, & particulis sulphureis, volatilibus, energeticisque turgido, pallidus certe a viscido, crasso, effoetoque resultet necesse est.

Secundo, partium gravitas & intumescentia: nam sanguis dicto modo constitutus respectiva sua immobilitate motum circularem tardat, tardando in vasis plus minus stagnat, stagnando vero gravat, & fibras carneas plus debito replendo, partes attollit in tumorem.

Tertio, lassitudo ab hac ipsa modo dicta partium gravitate est partim, partim a defectu spirituum animalium, quibus in debita quantitate generandis sanguis iste existit ineptus.

Quarto, spirandi difficultas post leve exercitium corporis fit, quia ad motum corporis augetur etiam circularis motus sanguinis, aucto hoc, sanguis, sicut per omnes reliquas partes corporis, ita etiam per pulmones, in majori copia cogitur, ibi ob sui consistentiam crassiorem, & venarum angustiam non nihil haesitat; hinc venarum, & arteriarum dilatatio, radicum vero tracheae compressio, & exinde aëris consequitur interceptio; ut nihil dicam de obstructione, & intumescentia glandularum inferioris ventris, quae etiam motum diaphragmatis reddit difficiliorem.

Quinto, ex simili sanguinis in capillaribus cerebri venis haesitatione, & inde oriunda membranarum tensione, contingit dolor capitis.

Sexto, cordis palpitatio, quum nihil aliud sit, quam ejus variis modis inordinata, vehemens & coacta pulsatio, ad motum convulsivum referenda, qui motus convulsivus, quia fere a stimulo dependet, mirum non est, si a dicto sanguine producatur, qui non solum sua ob crassitiem & visciditatem diuturniore in ventriculis cordis mora, illud ad inordinatum motum irritare potest, verum etiam sua aciditate, quam ex eo acquirit, quod sulphureo-volatilibus particulis omne acidum magnopere contemperantibus plus minus sit privatus.

Septimo, ciborum inappetentia, a fermenti ventriculi debilitate est, quod debili-

bilitans, partim ob activarum particularum defectum in ſanguine, ex quibus ſcilicet partialiter generatur, partim ob crudos ſenſim in ventriculo collectos humores, quibus involutum ulterius in actione ſua impeditur.

Octavo quandoque appetitus depravatur, hoc eſt, ad inſolita incomeſtibiliaque terminatur; quia ſicut ad appetitum naturalem excitandum, ſpecifica & homini connaturali aciditate impraegnatum requiritur fermentum ventriculi, ita poſt concoctionem dicto modo laeſam, aſſumta alimenta variis modis corrumpuntur, & exinde etiam fermentum ventriculi tandem ſpecifica quadam alteratione, ad peregrinum appetitum excitandum, aptatur.

Nono fit pulſus celer & frequens; celer: quia ſanguis ob particularum activarum defectum, magnam in corde effervescentiam non ſubit, unde diaſtole, quae alias longior foret, brevior evadit, hinc pulſus celeritas; frequens: quia partim propter craſſitiem & viſciditatem, partim propter ſpirituum cor moventium penuriam, totus ſanguis in diaſtole cor ingreſſus, per ſyſtolen in arterias non propellitur, unde fit, ut etiam modico in nova diaſtole, cor intrante ſanguine, cordis ventriculi mox iterum impleantur, impleti ad novam ſtimulentur ſyſtolen ſeu contractionem, hinc pulſus frequentia.

Decimo, menſium ſuppreſſio, vel ab obſtructione vaſorum uteri eſt, cui generandae dictus ſanguis eſt aptiſſimus, vel vero ab ipſius ſanguinis craſſitie, & viſciditate, propter quam penetrandis uteri venis eſt ineptus.

His tamen non obſtantibus, per ſe communiter periculoſus morbus non cenſetur; niſi neglectus, valde radicatus, & concoctionis viſcera nimium debilitata eſſent.

Curatur primario alterantibus ſeu ſanguinem reliquoſque humores volatiliſantibus, ſecundario alvum laxantibus, additis ſuo tempore ſtomachalibus, & corroborantibus, ſeu ſanguinis vigorem, & activitatem reparantibus, ſive illa medicamenta ſint, ſive alimenta, ſint exempli loco ſequentes formulae.

Pulvis alterans.

℞. *♂tis cum ſulphure praep.* ʒß. *ſalis tartari, centaur. min.* ā ā. ʒ ij. *ſacch. alb.* ʒj. *ol. cinnam. caryoph.* ā ā. gut. x. miſ. f. pulvis.

Doſis ʒß. ad ʒj. in juſculo fol. meliſſae, agrimon. & ſcolopend. alterato.

Electuarium alterans.

℞. *Conſerv. artemis. capill. ven.* ā ā. ʒj. *magiſt. aperit. ♂tis Mynſ.* ʒß. *faecul. bryon.* ʒ ij. *elaeoſacch. cort. aurant.* ʒ ij. *ſir. de artemis* q. s. miſ. f. elect.

Doſis nucis moſchatae quantitas, bis, ter, in die.

Potio purgans & alterans.

℞. *Fol. artemis. puleg. rutae murar. meliſſae* ā ā. p. I. *ſennae ſ. ſt.* ʒ. iij. *rhab. el.* ʒ j ß. *crem. tartari* ʒß.

His affunde aq. cichor. bullient. q. s. ſtent in infuſione per noctem, mane facta una vel altera ebullitione, in colaturae ʒ iii ß. diſſolve *mannae Calab.* ʒ x. *ſir. roſ. ſolut. cum ſenna* ʒ vi. *ſpir. macis* gut. xxx. m. f. potio.

Vinum ſtomachale, & corroborans.

℞. *Rad. enul. campan. calam. aromat.* ā ā. ʒß. *fol. menth. criſp. chamaedr. puleg. betonic.* ā ā. *m.* ß. *ſem. foeniculi* ʒ. ii. *caſſ. lig. nuc. moſchat.* ā ā. ʒ j. *tartari chalybeat.* ʒ ij. Conciſ. ac contuſ. & in nodulo ligatis, affunde vini generoſi, & antiqui q. s.

Doſis bonus hauſtus in prandio, & coena,

Interea vitanda erunt omnia, quae craſſam, viſcidam, effoetamque ſanguinis conſtitutionem inducere ſupra notata ſunt, & contraria omnia, praeſertim corporis exercitia ſtudioſe quaerenda, quin & coitus ſi honeſto modo poſſit, tanquam utile remedium crebrius celebrandus.

CAPUT II.

De Mensium suppressione.

Mensium suppressio est ab anno fere decimo quarto, ad quinquagesimum circiter, extra graviditatis aut lactationis tempus, sanguinis ex utero varie interceptus menstruus fluxus.

Primo, in uteri clausura Hipp.l.1.de morb.mul.arg.3. *Hoc autem contingit, si uterorum os conclusum fuerit*; idque vel per membranam obductam in prima conformatione, vel per partium coalitum, aut in prima conformatione, aut post ulcus excoriationemve inductum.

Secundo, in vasorum sanguiferorum per uterum disseminatorum speciali angustia, seu profundiori situ, propter quam sanguis nonnunquam aliis viis ut haemorrhoidibus naribus, aut etiam pulmonibus effertur. Hipp.l.1.de morb.mul.arg.8. *Quibusdam mulieribus menses bimestres in utero existentes, multi per pulmonem procedunt.*

Tertio, in sanguinis crassitie, visciditate, & inde nata vasorum obstructione. Hipp.l.cit.arg.11. *Si vero omnino non procedunt prae morbo, aut crassi & viscidi aut glutinosi fiunt.*

Quarto, in sanguinis defectu ex fame, aut alia evacuatione enormi.

Quinto, in sanguinis nimia copia, vi cujus prae plenitudine exitum invenire non potest.

Sexto, in subitaneo terrore, consternatione, aut frigore admisso.

Qualia, & quam periculosa symptomata hic morbus pro varia sui caussa, & duratione, miseris mulierculis inferat, in variis locis describit Hippocrates, & quidem:

Quibusdam mulieribus menses bimestres in uteris existentes, multi ad pulmonem procedunt, & ubi recepti fuerint, omnia patiuntur, quae in tabe dicta sunt, & non est possibile ipsam superesse. l.1.de morb.mul.arg.8.

Si vero fluxus ipsi non fiat, continget ut praegnans esse videatur, & dum cum viro coit, doleat, ut putet quid incumbere velut in ventre habeat, & stomachi dolore afficitur, maxime ubi quinquaginta dies praeterierint, & dolor alias atque alias habet ventrem, & partem circa umbilicum & collum & inguina & lumbos, & postquam menses duo aut tres praeterierint, quandoque menses ipsi acervatim in pudendum erumpunt, & quae prodeunt velut carnem esse putat, quemadmodum ex foetus corruptione & nigra. ibid.arg.11.

Si vero non contingat ut menses ipsi in pudendum procedant, suppurati facti ad partem supra inguen, juxta lateris mollitudinem erumpant citra tuberculum, utpote pure rupto, & illa parte purulenta graveolentia procedunt. l. 1. de morb. mul. argum.9.

In tertiis porro mensibus optime afficietur, si quae prius insunt progressa fuerint educta, sin minus, mulier haec patietur; suffocatio alias atque alias in ipsam irruet, & febris alias atque alias corripiet, ac horror ac lumborum dolor; haec patietur in tertiis mensibus, si ipsi non prodierint; in quartis vero si non egressi prioribus exitum fecerint, etiam tunc tertii mensis afflictionibus omnibus magis affligetur, & maxime tempore mensium, deinde minus, saepe etiam a dolore libera sibi esse videbitur; erunt autem in quartis etiam haec signa; urinam multam ac crassam ejiciet alias atque alias, & venter ipsius durus erit, & major quam prius, & dentibus fremet, & cibum aversabitur, & vigilabit, haec patietur in quartis mensibus, si vero curetur etiam in his, sana evadit; & in quintis, si non multi menses descenderint, dolor adhuc fortior acci-

accidit, in sextis vero jam est incurabilis, & juxta priora quidem signa magis dolebit &c. l. modo citato arg. 5. & 6.

In Abderis Phaëthusa Pytheae Uxor, priore quidem tempore foecunda erat, quum autem maritus ipsius in exilium abiisset, menses multo tempore suppressi sunt, postea dolores, & rubores ad articulos oborti sunt, haec autem ubi contigissent, & corpus virile factum est, & hirsuta penitus evasit, & barbam produxit, & vox aspera facta est, & quum nos omnia tentassemus, quae ad menses detrahendos conferre visa sunt, non prodierunt, & mortua est, quum non ita multo tempore postea vixisset; idem hoc contigit etiam Namysiae Gorgippi Uxori in Thaso. Hipp. l. 6. de morb. popul. sect. 7. in fine.

Caeterum *mulieri mensibus deficientibus sanguinem ex naribus fluere bonum est.* Hipp. sect. 5. aph. 33.

Cura hujus affectus variat secundum caussas, a quibus ille producitur.

Si ab uteri clausura dependeat, fere manu chirurgica absolvitur.

Si a vasorum uteri naturali angustia sit, incurabilis judicetur, excepto quod symptomata alias superventura, menstrua venae-sectione praeveniri, sanguisque per pulmones aliasve vias erupturus, sic compesci possit.

Si a sanguinis defectu; victus plenior sensim juvat.

Si a nimia copia sanguinis; tenuiori diaeta, & venae-sectione removetur.

Si a subitaneo terrore, consternatione, aut frigore admisso; sudoriferum ex volatilibus porrectum prodest.

Si denique quod frequentissimum est, a crassitie, viscididate ac glutinositate sanguinis, indeque nata vasorum obstructione malum dependeat, diuturnus quidem saepe remediorum usus requiritur, curatur tamen, nisi nimium jàm inveteratum esset.

Remedia potissimum duplicia sunt, alterantia & purgantia; alterantia, quae nimirum sanguinem attenuare, vasorumque obstructionem reserare, purgantia, quae eundem sanguinem a partibus heterogeneis ex mala ventriculi concoctione collectis liberare valent.

Potio purgans & alterans.

℞. *Fol. sabinae, rutae āā. p. ii. dictam. Cret. rad. rub. tinct. āā.* ℨß. *fol. Or. s. st.* ℨ ii ß. *epithymi* ℨiii. *cort. myrobal. Ind. emblic. āā.* ℨ j ß. *cinnam. acut.* ℈ j.

His omnibus affunde aq. artemis. bullient. q. s. stent in infus. per noctem, mane facta una ebullitione in colat. ℨiiiß. dissolve. *sir. ros. solut. cum helleb.* ℨvi. *salis artemis. tartari āā.* ℈j. *aq. cinnam.* ℨß. mis. f. potio.

Nodulus alterans expertus.

℞. *Rad. levist. galang. min. angelicae āā* ℨiii. *ering. ireos flor. āā.* ℨii. *fol. matricariae. sabin. rorismarin. serpelli. puleg. āā. m.* ß. *baccar. junip. recent.* ℨ j. *cinnam. acut.* ℨiii. *croci* ℨj. *salis tartari* ℈iiii. mis. & concisa ac contusa includantur nodulo, s. q. vini albi generosi infundendo.

Pulvis alterans.

℞. p*Borrac.* ℈ j. *cinnam. acut.* ℈ß. *myrrhae, croci āā. gr. vii. castor. gr. iii. ol. spicae gr. ii.* mis. f. pulvis in aqua puleg. propinandus, & pro necessitate repetendus.

Electuarium alterans.

℞. *Fermenti veteris* ℨß. *rad. asarii pulv. cinnam. acut. āā.* ℨii. *gummi ammoniac.* ℈ iiii. *magist. ♂tis aperit. Myns.* ℨii. *salis card. bened. artemisiae āā.* ℨ j ß. *conserv. betonicae* ℨ j. *elaeosacch. succin.* ℨ ii *sir. artemisiae* q. s. m. f. electuarium.

Dosis ℨß. ad ℨ j. & ultra bis in die. Vel

Taedam pinguissimam in vino albo coquito, & trium cyathorum mensura utatur. Hipp. de steril. arg. 21.

His vel similibus internis jungi etiam possunt externa.

Sic menses ducit aromatum suffitus. Hipp. sect. 5. aph. 28.

Idem

Idem facit suffitus ex urina veteri, scoriis ferri candefactis affusa.

Pessus.

℞. *Rad.helleb.nig.rub. tinct.* ana. ℥ii. *fol.melissae, sabinae* ana. ℥i. *castor. semin. rutae* ana. ℈i.

Redigantur in pulverem, & cum succo artemisiae. f. pessus syndone alba involvendus. Possunt & fomenta fieri & similia, sed ut omnia cum certiori effectu adhibeantur. juxta Hippocratem, tempore quo menses alias fluere solebant, adhiberi debent; *Fomenta vero & subditiones medicamentorum facito, conjectura facta, ut omnia fiant & pro ratione adhibeantur, quo tempore menses prodeunt.* l.1.de morb. mul.arg.25.

CAPUT III.

De mensium nimio fluxu.

MEnstruus sanguinis fluxus ex utero naturalis est, qui extra graviditatis aut lactationis tempus in mense semel, & temperamento, staturae, generique vitae mulieris commensuratus fit, idque per 4. 5. 6. 7. vel 8. fere dies; caeterum si vel frequentius recurrat, vel semel quidem recurrens, diutius perseveret, aut copiosior sit, ut hinc virium lapsus, faciei pallor, inappetentia, febricula, pedum intumescentia &c. accidant, morbus est, de quo in praesenti.

Caussa formalis & proxima est vasorum sanguiferorum uteri, vel nimia, vel contumax, vel facile saltem recrudescens apertio.

Caussarum remotarum communior, est constitutio sanguinis acido-acris, & scorbutica, quae quomodo corrosiva sua qualitate vasa uteri aperire, maturumeorum coalitum impedire, quin & uterum ipsum ad frequentem egestionem stimulare queat, explicatione non indiget; prodit autem se vel in excretione sanguinis dolorifica, vel in consistentia illius serosa, vel in nigricantibus grumis, in quos excretus sanguis concrescere solet.

Sed contingit quoque, ut sanguis per iram, insolationem, exercitium corporis, victum calefacientem, potum spirituosum, coitum immoderatum &c. praeter naturam calefactus, fermentativo ac expansivo suo motu malum hoc inducat; sed haec caussa rarior videtur, siquidem debita quantitate evacuata, reliquus fere sponte refrigeratur, & sistitur.

Denique vasorum uteri per contusionem, casum, saltum, ponderis gestationem, clamorem vel similem violentiam ruptio aut vulneratio nonnunquam accidit, sed admodum raro.

Ex his caussis minimum periculum portendit vasorum uteri a calidiore sanguine apertio, majus, eorundem per externam violentiam ruptio aut vulneratio, maximum, ab acriori sanguine erosio; universaliter *in fluxu menstruo, si convulsio accedat, aut animi defectio, malum est.* Sect.Hipp.5.aph.56. Pro cura in omni casu quies conducit ad sanguinis impetum infringendum; *Supina dormiat, & immota maneat*, ait Hipp.l.2.de morb.mul.arg.77. conducit & venae-sectio praesertim in brachio instituta, ut sic evacuato in superioribus partibus sanguine, reliqui per uterum effluxuri motus facilius cohibeantur; ex eo etiam fine *mulieri menses si cohibere voles, cucurbitam quam maximam ad mammas appone.* sect.5.aph.50.

Caeterum remedia pharmaceutica, si morbus a sanguinis aestu proveniat, sunt refrigerantia, si a venarum violenta ruptione, adstringentia & vulneraria, si a sanguinis constitutione acido-acri & scorbutica, absorbentia, & dulcificantia, sed praemissis purgantibus, juxta illud: *mulieri menses decolores, & non eodem tempore semper prodeuntes purgatione opus esse significant.* sect.5.aph.36.

Mistura refrigerans.

℞. *Aq. acetosae, portulac.* ā ā. ℔ß. *succi limon.* ℥ß. *nitri corallat.* ℈ ii. *sir. papav. errat.* ℥ j.ß. mis.

Alia.

℞. *Succi millesol.* ℥ iv. *aq. urticae* ℥ viij. *sir. semper vivi simpl.* ℥ ii. mis.

Mistura adstringens.

℞. *Aq. plantag. centumnod.* ā ā ℥ j ß. *pulv. lap. haematit.* ℨß. *sang. dracon.* gran. xv. *laud. opiat.* gran. j. *diacod. simpl.* ℥ vj. mis.

Decoctum adstringens.

℞. *Rad. bistort. tormentillae* ā ā. ℥ß. *fol equiseti, bursae pastoris* ā ā. m. i. *millefol.* m. ß *flor. ros. rubr. balaust.* ā ā. p. ii. *cort. granat.* ℨ ii. *aq. fol. quercus, pyrolae* ā ā. q. s. f. decoct. ad ℔ j. in colat. dissolve *trochisc. de carabe* ℈ iiij. *sir. myrtin. de pilosella. de mentha min.* ā ā. ℥ j. mis. *dosis* ℥ iij *ad* ℥ vj.

Ad nonnihil adstringendum sanguinisque acrimoniam absorbendam, *spongiam combustam ac tritam vino odorato dilutam bibendam dato.* Hipp. de nat. mulier. arg. 63. vel *Muli stercus comburito, terito, ac cum vino dato.* l. 2. de morb. mulier. arg. 71. *Cancros fluviatiles in vino suffocato & vinum bibendum dato.* de nat. mul. arg. 63. convenit & sequens pulvis.

℞. *Fol. menthae crispae chamaedrios. consolidae saracen. botryos* ā ā. ℨ j. *crystal. praep.* ℨ ij. *succini praep.* ℨ j. *rubricae fabril. cretae Colon.* ā ā. ℨß. *elaeosacch. nuc. moschat.* ℨß. mis. f. pulvis. Dosis ℨ j. pro necessitate.

Inter externa commendat Hippocr. pro pessario *stercus asini*, de nat. mul. arg. 61. Item *capraecornu & gallam suffito & sistetur fluxus.* l. 2. de morb. mul. arg. 74. *Sulphur & mandragoram in vino macerato, terito, & lana excepta apponito.* ibid. arg. 77.

CAPUT IV.

De fluore albo.

Fluor albus ad contradistinctionem a fluxu menstruo sic dictus, est vel continua vel per vices recurrens stillatio per locos muliebres, humoris modo albidi. Hipp. lib. 2. de morb. mulier. arg. 9. *Fluxus albus fluit velut alba asini urina*; modo flavi: idem ibid. arg. 13. *fluit subluteum velut ex ovo viscosum*, modo foetidi: ibid. arg. 8. *Fluxus fulvus fluit velut ex ovo vitioso multus & graveolens*; modo corrosivi: ibid. arg. 14. *purgatur velut a carnibus assatis humor. & pudendum exulceratur, & ad quamcunque aliam corporis partem destillarit.*

Symptomata quibus pro varia sui intensione, vel duratione interdum stipatur, potissimum haec sunt? *in facie sunt tumores albi, & partes ambae sub oculis tument, & hydropi formes, ac non valde bona specie praediti sunt oculi, ac hebetes, & color corporis subalbidus, ac pustulosus, & venter imus tumidus, & in maxillis pustulae paulatim rubentes, parvae, aquosae, ac malignae, & in cruribus tumores laxi, & si presseris digito, notae imprimuntur velut in fermento, & os saliva repletur, & stomachi morsus percipiunt, quum jejunae fuerint, aut etiam vomuerint velut acidam aquam, & si ad acclivem locum procedunt, anhelatio citius corripit, & strangulatio, & crurum perfrigeratio, & genuum impotentia, & in ore ulcera fervida, ac superficiaria, & uterus praeter naturam aperitur, &c.* Hipp. ibid. arg. 9. caeterum nonnullas etiam hydrope vel tabe consumi certum est.

Hujus morbi duplices caussae considerandae veniunt, illae nempe quae serosos, pituitos, & acidos tales humores in corpore cumulare, & illae, quae cumulatos per uterum potius, quam per aliam viam dimittere aptae sunt.

Primae classis sunt vita sedentaria, somnus longus, aër nebulosus, pluviosus, cre-

crebriora balnea, immoderatus aqueorum liquorum potus, fructuum recentium, & fugacium esus, & omnis repletio ex crudis, frigidis, & acidis saepius repetita.

Secundae classis est glandularum, per uterum, illiusque vaginam disseminatarum nimia laxitas, ductuumque excretoriorum amplitudo, quin & sphyncterulorum, quibus hi ductus claudi, recludique solent, major, minorque resolutio, vel a frequenti difficilive partu, vel coitu immoderato, vel longo copiosoque mensium fluxu, vel ipsa peccantium humorum copia producta.

Fluxus albus in senioribus mulieribus magis fit, quam in junioribus. Hipp. loc. cit. arg. 1. Curatur duplicibus remediis, evacuantibus; ut humor peccans vel per alvum, vel per vesicam, vel per poros cutis a sanguine separetur; alterantibus, ut qualiscunque illius vitiosa qualitas convenienter corrigatur, ac perversus uteri tonus quoad fieri potest, emendetur.

Potio purgans & alterans.

℞. *Rad. cyperi rot. angelicae* āā. ℨj. *fol. puleg. calaminth.* āā. p. ij. *summit. centaur. min.* p. j. *semin. anisi* ℈j. *fol. sennae s. st.* ℨiij. *mechoacan. alb.* ℨij. *turbith. gum.* ℨß. *crem. tartari* ℈ij. Infund. in aq. comm, per noctem, mane bulliant parum, in colat. ℥ ij. dissolve *sir. de rhab.* ℥. j. *spir. tartari comp.* gut. xx. mis. f. potio.

Potio diuretica.

℞. *Rad. apii, eringii* āā. ℨij. *fol. eupator. aquat. chaerefol.* āā. m. j. *bacc. junip. recentus.* ℨiß. *sem. saxifrag. sesel.* āā. ℨj. coq. in aq. *asparag. ad* ℥v. colat. sine expressfactae adde *sal. volat. succin.* gr. vj. *sir. de* 5. *rad.* ℥ß. mis. pro dosi.

Pro sudorifero serviet decoctum ligni sancti, vel theriaca, vel mistura sequens:

℞. *Aqu a foeniculi, scordii* āā. ℨvj. *theriacal simpl.* ℥ß. *ocul.* ♋. *praep.* ℨß. *bezoar. min.* gr. xij. *salis ebuli, sarsaeparillae* āā. ℈ß. *sir. card. bened.* ℨij. mis. pro dosi.

Electuarium alterans in fluxu non corrosivo.

℞. *Conserv. betonic. sambuci* āā. ℥j. *rad. helenii, acori, cort. aurant. omnium condit.* āā. ℨij. *nuc. moschat. in Ind condit.* n. j. *boli Armen. terrae sigil.* āā. ℨiß. *cor. cervusti praep.* ℨj. *ol. cinnam.* gut. xv. *sir. cort. citri q. s.* mis. f. electuarium.

Electuarium alterans in fluxu corrosivo.

℞. *Conserv. viol. nimphaeae* āā. ℥iß. *gum. Arab. tragacanth.* āā. ℨiß. *chalyb. cum sulph. praep.* ℨiß. *crystal. praep. coral. rub. praep. lap. haemat.* āā. ℨj. *cum sir. de symphyt. Fern.* f. electuarium. Dosis ℨß. ad ℨj. mane & vesperi.

Ad eundem scopum valet etiam lac, aut ejus serum, per plures dies continuatum, quod in pluribus locis, praesertim lib. 2. de morb. mulier. arg. 14. Hipp. valde commendat his verbis: *postea per dies 40. lac bubulum calidum bibat, & per diem nihil edat, ut ita dicam, optimum enim hoc est, nam & purgatur, & nutritur, & fluxus obtunditur ab ejusmodi lacte.*

Si praeterea ad noxam uteri corrigendam etiam injectione uti volueris, *myrti folia, & lauri, & hederae in aqua coquito, & cum hac tepida colluito*. Suadente eodem ibidem. argum. 73.

CAPUT V.

De partu difficili.

Partus difficilis est, qui aut temporis, quod insumit, longitudine, aut symptomatum, quae inducit gravitate, jam foetui, jam matri, jam utrique periculum minatur. Hic quatuor potissimum modis fit.

Primo, si membranae, foetum involventes crassiores sint, ut a foetu vel nullo modo, vel non sine difficultate rumpi possint: *nam quando mulieri partus ap-*

propinquat, tunc puero se movente, & manibus, ac pedibus calcitrante, pelliculam quandam internam rumpi contingit, rupta autem una, etiam aliae debiliorem vim habent, & rumpuntur, primum quidem illi contiguae, & cohaerentes, postea externae, quum autem ruptae fuerint pelliculae, tunc foetus a vinculo solvitur, & agitatus foras procedit. Hipp. de natura pueri arg. 37.

Secundo, si foetus grandior, vel geminus existit, vel *si obliquus procedat, difficilis fit affectio*, lib. 1. de morb. mul. arg. 47. Item si alias vitiosa figura, puta manu, pede, naribus, &c. orificio uteri se offerat, *quod interitus periculum subit, quum in utero vertitur.* Idem de octimestri partu arg. 2.

Tertio, si ipsae viae naturaliter angustiores sint, ut in primiparis, aut statura parvis, vel propter plethoram, pinguedinem, tumorem, molam, faeces alvi, calculum vesicae, &c. angustentur.

Quarto, si parturientis vires a morbo aliquo praegresso, aut conatibus parturitionis ante tempus editis, vehementius sint attritae.

Sicut eventus hujus affectionis pro caussarum diversitate variat, ita etiam cura pro earum varietate non nihil est diversa.

In membranarum foetum involventium crassitie conveniunt, quae ad foetum pellendum, eumque & matrem in suo labore debite roborandum communiter pro expertis habentur, ut ex formulis mox sequentibus patebit, caeterum his nihil juvantibus, artificiosa membranarum ungue obstetricis dissectio, negocium feliciter absolvit.

Si foetus grandior, aut geminus fuerit, praeter modo laudata foetum pellentia, etiam emollientia, & vias dilatantia, extrinsece adhibita, conducunt.

Quicunque vero duplicati complicantur, & in osculo uterorum incumbunt (idem de quavis alia vitiosa figura intelligendum) *eos, sive vivi fuerint, sive mortui, rursus retro protrusos vertere oportet, quo secundum naturam in caput exeant.* Hipp. lib. 1. de morb. mul. arg. 86.

In viarum angustia naturali, aut a pinguedine, tumore, calculo vesicae, mola, &c. producta, praeter dicta emollientia vix aliud superest remedium, a plethora tamen, vel alvi faecibus si fiat, ibi sanguinis missio, hic clysteres purgantes ad votum erunt. Caeterum confortantia, & foetum pellentia ubique valent, praesertim in parturientis debilitate, item *sternutatio accedens bono est.* Sect. 5. aph. 35. Sequuntur formulae:

Mistura pellens & roborans.

℞. *Aq. puleg.* ℥j. *benedict. serpil. Mynf. cinnam. cum vino dest.* ā̄ā. ℥ß. *trochisc. de myrrha* ʒj. *extract. croci.* ℈ß. *ol. baccar. laur. dest.* gut. iv. *sir. e succo borrag.* ʒvj. mis. pro dosi.

Pulvis ejusdem facultatis.

℞. *Rad. dictam. alb.* ʒj. *fol. marrub. rutae, sabinae* ā̄ā. ℥ß. *flor. centaur. min. cheiri, lavend.* ā̄ā. ℈j. *visci querc.* ʒß. *cass. lign. myrrhae, borrac. castor. ossis de corde cervi, nucis moschat.* ā̄ā. ℈j. *ol. cort. citri* gut. xv. mis. f. pulvis in sex doses dividendus, & in vino Hispanico propinandus.

Insessus vias dilatans.

℞. *Herb. artemis. puleg.* ā̄ā. m. iß. *mercurial. malvae, altheae. branc. ursin.* ā̄ā. m. ij. *rad. bryon. alb. lilior. alb.* ā̄ā. ℥ij. *sem. lini, foenigraec.* ā̄ā. ℥j. *hord. mund.* m. jß. f. decoct. in aq. comm. pro insessu.

Clyster purgans.

℞. *Rad. althaeae, bryon.* ā̄ā. ʒvj. *herb. parietar. atriplicis, artemis.* ā̄ā. m. j. *pulpae colocynth. croci metall. in nodulo ligator.* ā̄ā. ʒj. coq. in aq. font. ad ℥x. In colat. dissolve, *Elect. diaphaen. diaprun. solut.* ā̄ā, ℥iij. *sal. gemmae* ʒj. mis. pro clystere.

Pulvis sternutatorius.

℞. *Rad. helleb. alb. herb. majoran. salviae, flor. lilior. convall. sem. nigellae, piper. alb.* ana ℈j, *ol. cinnam. cort. aurant.* ana gut. iij. mis. f. pulvis.

CAPUT VI.

De secundina retenta.

Retentio secundinae est placentae uterinae, & membranarum foetum involventium, quin & partis ipsorum vasorum umbilicalium diuturnior post partum in utero mora.

Hujus prima caussa est, quam Hipp. lib. 1. de morb. mul. arg. 64. notat: *si per vim ruptus fuerit umbilicus, aut ab obstetrice umbilicoseca per imperitiam resectus, quae videlicet umbilicum prius incidit, antequam secunda ex uteris exiisset, & uteri sursum retrahunt secundam utpote lubricam, &c.*

Secunda, est placentae uterinae cum parietibus uteri firmior connexio, propter quam difficilius ab eo divelli potest.

Tertia, superveniens post exclusum foetum terror, timor, aut frigus, quae omnia uterum in egestione sua interturbare, ac orificium illius arctius constringere valent.

Quarta, puerperae a laborioso partu insignis debilitas, propter quam necessarios conatus amplius edere non potest.

Eventum Hipp. lib. cit. arg. 65. sic describit: *si mulieri secunda relicta fuerit, si non ampli fuerint uteri, purgatio ipsa minus procedit, quam oportet, & venter durus fit, ac magnus, & frigus detinet, & febris acuta, & dolor per totum corpus, & ventris maxime partem eam, quae est infra umbilicum, & gravitas fit in uteris, & tormen velut foetus insit, & curata secundam brevi ejicit putrefactam, & sana evadit.* Secus convulsiones, lipothymias, refrigerationes extremorum, sudorem frigidum, quin & mortem ipsam saepe subsequi, docet rerum omnium magistra, experientia.

Pro curatione *praestat dare ea, a quibus maxime purgantur puerperii purgamenta.* Idem loco cit. arg. 63. Idem injectionem in uterum hoc modo describit: *crocum leviter tritum drachmae unius pondere, cum adipe anserino infundito, & ad plurimum tempus finito*, ibid. arg. 107. *sic ut secundae excidant, sternutatorio indito, nares, & os apprehendito.* ait sect. 7. aph. 49.

Proderunt item sequentia:

℞. *Aqu. meliss. cum vino dest.* ℥iß. *cinnam. cum vin. dest.* ℥j. *extract. artemis.* ʒß. *myrrhae gr.* xij. *croci* gr. vj. *priapi cervi pulv.* ʒß. *ol. sabin.* gt. v. *sir. de artemis. comp.* ʒß. mis. pro dosi.

Vel ℞. *Testicul. equin. pulv.* ʒß. *rad. levist. borrac. glaciei Mariae* ana ℈ß. *cass. lig. croci Aust.* ana gr. v. mis. f. pulvis, propinatur in vino Hispanico.

Vel ℞. *Rad. Aristol. rot. helleb. nig. myrrhae, galban.* ana ʒj. *colocynth.* ʒß. cum felle bovis f. pessarium.

Quibus tamen vel similibus, quin & peritae obstetricis, aut chirurgi manu adhibita, si nihilominus secundina in utero putrescat, putrilago per injectiones detergentes evocanda, & supervenientia symptomata propriis remediis demulcenda erunt.

CAPUT VII.

De foetu mortuo.

FOetus in utero moritur, vel ante partum, vel in partu.

In partu, quando caussae difficilis partus, suo loco enumeratae, sunt graviores, & majores.

Ante partum, quando vel ictu, vel casu praegnantis vehementius colliditur, vel ob febres, alvi fluxus, haemorrhagias, uteri inflammationem, hydropem, &c. convenienti alimento privatur.

De hujus diagnosi Hipp. lib. de superfoet. arg. 8. sic scribit: *si qua partui vicina sit, & oculos cavos habet, & facies intumescat, & ipsa tota, itemque pedes tument, ut velut a pituita alba apprehensa appareat, & habeat aures albas, & summum nasum album, & labia livida, ea ipsa mortuos gestat, quos pariet, aut vivos prave & non vitales, & exangues, utpote morbosos.* & ibidem arg. 6. *Quum puer immortuus fuerit, tum aliis signis conjecturare id licet, tum jubere, ut aliquando in dextro latere jaceat, aliquando in sinistrum transmutet, translabitur enim in utero puer, ex quo mulier se vertit, veluti lapis, aut aliud quiddam, si mortuus fuerit, & pectinem frigidum mulier habet.*

His accedit, quod nihil in ventre amplius moveatur, mammae flaccescant, tractu temporis halitus cadaverosus, vel etiam sanies per vulvam exeat, febris lenta, animi deliquia, & convulsiones, &c. superveniant.

Educitur foetus mortuus, vel pharmacia, vel chirurgia.

Ex pharmacia serviunt omnia, quae ad partum difficilem, aut secundinam, retentam proposita sunt, quibus apud robustiores hoc solum addere libet:

℞. *Rad. asari* ʒj. *mei* ʒß. *myrrhae* ℈j. ☿*rii vitae gr.* iij. vel iv. *facch.& sir.de cinnam.q.s.* mis. f. bolus.

Chirurgiam hodie varii varie exercent: placet hic methodum antiquorum ex Hipp. annectere, quam lib. 1. de morb. mul. argum. 87. sic describit: *dissectum per scalpellum caput cum contusorio instrumento, ne in ramenta findatur, contundito, & ossa per ossium volsellam, aut tractorium instrumentum juxta claviculam immissum, prout habuerit, extrahito, non multis simul, sed paulatim exemptis, ac rursus ablatis, quum vero haec foras extraxeris, & in ipsis humeris fueris, ambas manus in articulis cum ipsis humeris secato, & ubi haec extraxeris, siquidem fieri poterit, ut exeant, etiam reliqua facile extrahito; si vero non obediant, totum pectus usque ad jugulum findito, verum caveto, ne in ventrem seces, & aliquid de intestino denudes, exit enim venter, & intestina, & stercus, si vero horum quid excidat, majoris negocii jam res sit, contundito autem costas, & scapulas contrahito, & facile postea reliquum foetus procedet, nisi jam ventrem tumidum haberet, si enim tale quid fuerit, melius est ventrem foetus leviter perforare (flatus enim a ventre exit) sic facile prodibit, &c.*

Idem ibidem: *quicunque vero foetus crus, aut manus foras protendunt, quicquid sane foris fuerit, quantum potes, penitissime resecato, & reliquum profunditate intus explorata protudito, & foetum in caput vertito; quum autem vertere, aut secare puerum voles, ungues de manibus tuis resecato, scalpellum vero, quo dissecas incurvum potius sit, quam rectum, & hujus caput occultato per indicem digitum, eodemque interna explorato ac deducito, ita ut caveas ne uterum attingas.*

CAPUT VIII.

De Abortu.

OMnis immaturi foetus violenta ex utero exclusio dicitur abortus, & fit variis de caussis.

Primo, quando eidem, quocunque modo, debitum alimentum subtrahitur, ut in mensium fluxu. Hipp. lib. 1. de morb. mul. arg. 43. *Si enim in ventre habuerit, & apparuerint menses, aut abortus fiunt, si fuerint plures, & male olentes, aut foetus morbosi fiunt.* In venaesectione largiori; idem sect. 5. aph. 30. *Mulier in utero gerens, secta vena, abortit, eoque magis, si sit foetus grandior.* In alvi fluxu: idem sect. 5. aph. 34. *Mulieri utero gerenti, si alvus multum fluat, periculum est ne abortiat.* In inedia, aut aliunde nata gracilitate: idem sect. 5. aph. 44. *Quae praeter naturam tenues uterum gerunt, abortiunt, donec habitiores fiant.* In uteri denique inflammatione, abscessu, ulcere, hydrope, &c. idem lib. 1. de morb. mul. arg. 40. *Sed & ipsi uteri naturas habent, quibus abortum faciunt, quum sunt flatuosi, &c.*

Secundo, quando foetui sufficiens in utero spatium negatur, in usu vestium arctiorum, mola, foetu duplici, triplici, aut uno grandiore, mala uteri conformatione, & in specie nativa angustia. Hipp. lib. de superfoet. arg. 12. *Mulier, quae concipit quidem, perdit autem foetus bimestres exacte in eodem tempore, & neque prius, neque posterius, atque hoc iterum, atque iterum perpessa fuerit, imo si etiam trimestres, aut quadrimestres, sive vetustiores perdiderit, juxta eundem modum, talibus uteri (puero augescente & bimestre, aut trimestre, aut quantumcunque tempus transgrediente, si quando etiam alias augescit) im majorem amplitudinem non porriguntur, ita ut non amplius sufficiant capiendo foetui, sed propterea perditur eodem tempore.*

Tertio, quando uterus, aut totum corpus vehementius commovetur, agitatur, & concutitur, in terrore, casu, saltu, levatione ponderis, vomitu, tussi, coitu immoderato, ictu, alvo adstricta, tenesmo, quae & alia plura Hipp. lib. 1. de morb. mul. arg. 40. his verbis comprehendit: *multa vero etiam alia sunt pericula, in quibus foetus corrumpuntur, nam si mulier in ventre habens aegrotarit, aut debilis fuerit, aut onus levarit, aut percussa fuerit, aut saltarit, aut cibum fastidierit, aut animi deliquio correpta fuerit, aut amplius aut minus nutrimentum accipiat, aut timeat, aut consternetur, aut vociferetur, aut intemperanter vivat, foetum corrumpet.*

Diagnosis abortus duplex est, probabiliter futuri, & jamjam instantis.

Abortum probabiliter futurum praeter unius pluriumve dictarum caussarum praesentiam indicat mammarum extenuatio Hipp. sect. 5. aph. 37. *Si mulieri utero gerenti mammae subito extenuantur, abortus sequitur.* Item lactis copiosus e mammis fluxus sect. 5. aph. 52. *Mulieri uterum gerenti, si lac copiose e mammis fluat, foetum imbecillum indicat.*

Abortum jamjam instantem primo accedens inferiora ventris insolita gravitas, corporis horror, vel rigor, mox dolores fortes & frequentes, a regione renum ad os sacrum & pubem exporrecti, quum quodam ex utero egerendi conatu manifestant.

Praecavetur abortus remote futurus, caussas ejus intrinsecas superius enumeratas, si tolli possint, in tempore tollendo, & extrinsecus, si vitari queant, studiose vitando.

Instans vero, nisi jam foetus inversus esset, vel internum uteri orificium pateret, aut denique jam demortui signa adessent, impeditur, aegrotam in debita quiete servando, venam brachii, si plethora urgeat, secando, ac dolores, [reli-

quaque

quaque symptomata his, vel similibus remediis compescendo:

Mistura, dolorem sedans, & foetum debilem roborans.

℞. *Aq. anethi, chamom.* ana ℥j. *balsam. embr.* ℥ß. *coral. rub. praep. ebor. praep.* ana ℈j. *laud. opiat.* gr. j. vel ij. *sir. gran. Kerm.* ʒij. mis. pro dosi.

Clyster dolores cohibens.

℞. *Rad. althaeae, lil. alb.* ana ℥ß. *fol. malvae, parietar.* ana m. j. *flor. melilot.* m. ß. coq. in lacte vaccino ad ℥x. in colat. dissolve, *phil. Rom.* ʒiß. *ol. anethini* ℥j. *vitel. ovi* n. j. mis. f. clyster.

Sacculi dolores demulcentes.

℞. *Fol. mercurial. hyosciami: sanguisorbae, bursae pastor.* ana m. iij. *flor. nymphaeae. papav. sativi, malvae, melilot.* ana m ß. *hord. mund.* m. j. mistis & simul incisis, impleantur tres sacculi in lacte coquendi, & lumbis, atque regioni pubis tepide imponendi.

Vel hae ipsae partes sequenti unguento ungantur.

℞. *Ung. Comitissae, anodyn.* ana ℥j. *extract. opii* gr. vj. mis. f. unguentum.

CAPUT IX.

De torminibus post partum.

Postquam nullus facile humanus partus adeo facilis est, quin tam in illo, quam post illum sua in utero tormina persentiat puerpera (sed quae post aliquot horas, vel biduum saltem, sponte disparent) hic ea tantum intelligenda, quae solito, aut acutiora, aut diuturniora sunt.

Necessitas torminum istorum est placentae uterinae necessaria ab utero divulsio, in qua contingere non potest, quin major, vel minor fiat vasorum laceratio, parietumque uteri excoriatio, unde dolor, praesertim si etiam partem laesam necessario alluens, lochiorum sanguis serosior, acriorque existat.

Ubi proinde dolores isti solito graviores, aut diuturniores, & per consequens, manu medica auferendi veniunt, id vel ad lacerationem, excoriationemque uteri majorem, vel ad sanguinem solito acriorem, & serosiorem, vel ad utrumque referendum est.

Undecumque fere oriantur, plus molestiae, quam periculi afferre solent, quandoque tamen ubi vigiliae accedunt, non immerito convulsio, & exinde periculum timetur.

Cura tota anodynis, & sanguinis acrimoniam temperantibus absolvitur, a quibus tamen ea, quae humores incrassare, & sic lochiorum fluxum impedire possent, excludenda sunt.

Hipp. lib. 1. de morb. mul. arg. 66. ait: *si ex partu doleat, resinam, terebinthinam, & mel, & vinum tepidum sorbenda dato.* Ego sequentia non inutilia esse puto:

Mistura.

℞. *Aq. menthae* ℥j. *levist.* ℥ß. *coral. rub. praep. cor. cer. usti praep.* ana ℈j. *ol. nucist. dest.* gut. iij. *laud. op.* gr. j. vel ij. *sir. hypericon.* ʒij. mis. pro dosi.

Unguentum.

℞. *Ungu. dialth. simpl.* ℥j. *opii Thebaic. spir. vin. dissol.* gr. xv. *ol. lil. alb.* ℥ß. mis. & hypogastrium calide inunge.

Clyster.

℞. *Herb. mercurial.* m. iijß. *menthae* m. ß. coq. in s. q. *aq. comm. ad* ℥viij. colat. adde *ol. amyd. dul.* ʒiß. *vitel. ovor.* n. iij. mis. f. clyster, qui pro necessitate injiciatur.

CAPUT X.

De nimio lochiorum fluxu.

NOmine lochiorum intelligitur apud Medicos ille sanguinis fluxus, qui naturaliter omnem partum, vel abortum comitari, ac per dies plures, vel pauciores subsequi solet; nam ut Hipp. lib. 1. de morb. mul. arg. 89. notat: *post partum plerumque sanae mulieri contingit, ut post puellae partum in quadraginta duobus diebus diuturnissima purgatio fiat, extra periculum autem est etiam, si viginti quinque diebus purgetur, post masculi vero partum purgatio diuturnior fit in triginta diebus, extra periculum etiam est, quae viginti diebus contingit.*

Fiunt autem lochia copiosiora, vel diuturniora, si puerpera cibum, vel potum assumat multum calefacientem, si ob partum difficilem adhibuit medicamenta valde spirituosa, si ex natura sua sanguine tenuiori, calidiorique est turgida, potissimum tamen juxta Hipp. loco cit. arg. 58. *Contingit hoc, si uteri amplioris osculi fuerint, & venae quaedam ruptae sint, quae sub uteros tendunt, prae violentia egressus ipsius foetus.*

Inter caetera symptomata, quae sibi conjuncta habere solent, *febris, & rigor habebit ipsam tenuis, & calor per totum corpus, aliquando etiam horror, & cibi fastidium, & omnino abominabitur, & tenuis erit, ac debilis, & pallida, & tumida.* Idem ibidem. Quibus, si animi deliquium aut convulsio accedat, res in angusto est.

Occurritur in tempore convenienti situatione aegrae. Hipp. de locis in homine arg. 63. *Lecti autem partes a pedibus altiores esse oportet, ut ne declinatio fluxui facilitatem praebeat.* Deinde venaesectione in brachio celebrata, ut ratione vacui in partibus superioribus facti, sanguinis ad uterum impetus cohibeantur; tandem medicamentis incrassantibus, & adstringentibus, vel intro assumtis, vel forinsecus applicatis, quae talia esse possunt:

Mistura.

℞. *Aq. bursae pastor. plantag.* ãã. ℥ß. *centumnod. equiseti* ãã. ℥j. *magnet. praep.* ʒß. *sang. dracon. lap. haemat.* ãã. gr. vij. *laud. opiat.* gr. j. *sir. de pilosella* ℥iij. mis.

Vel ℞. *Aq. rub. idaei, papav. errat.* ãã. ʒj. *lactuc.* ℥ß. *tinct. ♂tis adstring.* ʒß. *diacod. simpl.* ʒijß. mis.

Epithema pro regione pubis:

℞. *Fol. quercus millefol.* ãã. m. iß. *myrtillor. nast. santal. rub.* ãã. ℥ß. *flor. balaust. rosar. rub.* ãã. m. jß *aluminis rochae* ʒiß. coq. in aq. comm. ad medias.

Pessus.

℞. *Rad. symphyt. maj.* ʒij. *trochisc. de carabe* ʒj. *succi hypocist. flor. balaust.* ãã. ℥ß. *cum alb. ovi*, f. pessus panno serico involvendus.

CAPUT XI.

De Lochiorum suppressione.

QUemadmodum lochia subinde copiosius justo prorumpunt, sic nonnunquam etiam parcius fluunt, aut in totum supprimuntur, idque potissimum ex duplici caussa.

Primo, quando sanguis crassior, aut glutinosior existit, & sic vasa uteri obstruendo sibi ipsi viam praecludit.

Secundo, quando ipsa vasa, & uterus, vel propter subitaneum terrorem, vel frigus admissum, sese corrugant, contrahuntque arctius, & hoc modo contenti sanguinis effluxum intercipiunt.

Quidquid horum fiat, symptomata haud levia subsequi certum est ex Hipp. lib. de natura mul. arg. 9. *Si ex partu non fuerit purgata, tumet venter, & crura, & rigor, ac dolor imum ventrem ac lumbos tenet, quandoque etiam ad viscera ascendit, & animo linquitur, atque haec patitur incipiente morbo.* Et lib. 1. de morb. mul. argum. 20. *Quum mulieri aut partus purgamenta non fuerint purgata, aut menses non prodierint, aut etiam uterus durus fuerit, dolor habet lumbos, & lateris mollitudinem, & inguina, & femora, & pedes amare dolet, & venter attollitur, & horrores per corpus discurrunt, ex talibus autem fiunt febres acutae.* Item eodem lib. arg. 50. *Si vero processerit ad caput, thoracemque ac pulmonem, fit enim & hoc, moriuntur saepe statim, si detineatur ac firmatur, si vero probe exeat per os, aut per nares sane evadit.*

Verum non haec sola, sed & plura alia mala accedunt; nam sicut lochiorum sanguis in utero praeter naturam subsistens, abdomen tumidum relinquit; sicut idem fermentativo & consequenter expansivo suo motu, membranas uteri, & vicinarum partium tendens, dolores varios excitat; sicut heterogeneitate sua totam massam sanguineam praeternaturaliter effervescere faciens, febrem continuam accendit; sicut ruptis venis sese in tracheae ramulos effundens, hemoptoën producit; sic etiam quatenus corruptis suis effluviis fermentum stomachale inficit, nauseam, & inappetentiam generat; quatenus vapores acres & adustos ad fauces, & os transmittit, sitim caussat; quatenus acidis suis particulis fibras nerveas vellicat, atque contentos in iis spiritus in motus inordinatos cogit, convulsiones accersit; quatenus tandem temporis tractu totum sanguinis alveum varie depravando, innato cordis igni, debitum pabulum eripit, animi deliquia, & mortem inducit.

Quoad remedia, si morbus a frigore, aut terrore provenit, nihil aptius est, quam sudorifera ex volatilibus parata; caeterum conveniunt pleraque, quae supra ad menses movendos laudata sunt, & sequentia.

Mistura.

℞. *Aq. serpilli, origani* ãã. ℥j. *matricariae, hysteric. c. castor.* ãã. ℥ß. *extract. melissae* ℥ß. *sal. junip.* gr. xxv. *ol. myrrhae* gt. iij. *sir. de cinnam.* ℥ß. mis.

Decoctum.

℞. *Rad. vincetox. cyperi. rot.* ãã. ℥ij. *fol. agrimon. artemisiae, melissae, puleg.* ãã. m. ß. *sem. ammeos, rutae* ãã. ℥ß. *flor. chamom. matricariae* ãã. p. ij. *caryoph. macis* ãã. ℈j. coq. in s. q. *vini albi ad* ℥iv. vel ℥vj. in colatura dissolve, *extract. castor.* gr. vj. *sacch. alb. q. s.* mis.

Sacculi.

℞. *Rad. althaeae, malvae, aristol. rot. angelic.* ãã. ℥j. *fol. puleg. sabinae tanaceti, mercurial.* ãã. m. ij. *sem. lini, foenigraec.* ãã. ℥j. *flor. chamom. sambuci*, ãã. p. ij.

Conscindantur omnia, & contundantur, ac duobus sacculis interpassandis imponantur, qui in aequali parte vini, & aquae coquantur, & hypogastrio calida superponantur alternatim.

Commendat idem Hipp. lib. 1. de morb. mul. arg. 101. pessaria his verbis: *mercurialem tritam in lana apponito, aut artemisiam tritam similiter subdito.*

His accedit venaesectio in pede instituta, imo ego in binis mulieribus, aliis omnibus nihil proficientibus, per venaesectionem eamque largam & repetitam in brachio celebratam, lochiorum fluxum feliciter supplevi, quae proinde prae reliquis locum habere potest, & debet, ubi jam praesens febrilis calor ulteriorem calidorum usum dissuadet.

CA-

CAPUT XII.

De mola.

MOla, quam alii a voce graeca μύλη deducunt, quae inter alia carnem informem, & inutilem in muliebri utero conceptam significat; alii a Persico vocabulo Molin, quod carnis parturitionem denotat; stricte accepta est massa carnea modo sic, modo aliter figurata, non post quamcunque excoriationem, aut exulcerationem, sed post carnalem cum viro copulam, in utero muliebri enata.

Sic docet Hipp. in tribus locis. Nam lib. 1. de morb. mul. arg. 88. & lib. de steril. arg. 20. ait: *molae porro conceptus caussa haec est, quum multi menses modicum, & morbosum semen conceperint, neque foetus rectus fit, & venter plenus est, velut praegnantis.* & lib. 2. de morb. mul. arg. 62. *Si mola innascatur a crassa genitura intus retenta, &c.*

Caussae proinde illius potissimum videntur esse sequentes: prima, particularum praecipuarum ad foetus formationem (*ovi muliebris foecundationem*) in semine requisitarum defectus, aut ab aliis heterogeneis irretitio, quod Hipp modo citatus per semen paucum & morbosum innuit. Altera, textura seminis (*ovi muliebris*) vel densitate, vel alia particularum componentium prava situatione perversa, & irregularis, atque hactenus perversae tantum, & irregularis nutritionis capax, quod Hipp. in secundo textu per genituram crassam intelligere videtur.

Est in suo principio cognitu valde difficilis, quia verae impraegnationi multum assimilis, progressu tamen temporis, si solitaria est (conjungitur enim interdum etiam foetui) sequentibus signis discerni poterit: 1. Quod menses plerumq; fluant, licet diminute. 2. Quod fere dolorem punctorium, circa regionem uteri, comitem habeat. 3. Quod pressa cedat, & sibi relicta in consuetum locum redeat. 4. Quod instar globi versus pubem potissimum vergat. 5. Quod mammae prius turgeant, genuinum lac vero non producant. 6. Quod non moveatur, nisi forte ex accedenti ad motum praegnantis, unde quidem aliquando de motu somniant prolis avidae mulieres, sed ubi alius ventri manum imponit nihil deprehendit. 7. Quod accedente partus tempore, nullus partus sequatur, quin saepe ad plures annos, imo dies vitae gestetur, saepe etiam in atrophiam, vel hydropem aegram praecipitet.

Audiatur Hipp. lib. 1. de morb. mul. arg. 88. & lib. de steril. arg. 20. supra citatus sic pergens: *nihil aliud in ventre movetur, neque lac in mammis generatur, mammae autem turgidae sunt, haec itaque ad duos annos, saepe etiam tres, sic habet, & si quidem una caro fiat, mulier perit, neque enim fieri potest, ut superstes maneat, si vero plures, erumpit ipse per pudendum sanguis multus, ac carnosus, & si hoc moderate fiat, servatur, sin minus a fluxu correpta perit, & morbus quidem talis est, judicare vero oportet ex plenitudinis mole, & quod in ventre non moveatur, nam mas trimestris, foemina quadrimestris motum habet, postquam igitur tempore hoc praetergresso non movetur, nimirum hic morbus est, est autem hoc magnum signum, quod lac in mammis non generetur. Hanc igitur maxime quidem non curato, aut certe cum praedictione; & primum quidem totum corpus foveto, deinde per sedem clysterem adhibeto, quo sanguis multus erumpat, fortassis enim quod compactum est commoveris (id quod foetus esse putatur) muliere a pharmaco calefacta, sed & utero colluito, quo sanguinem educas, sin minus, subdititiis utatur e bupresti, & dictamnum Creticum in vino bibat, sin minus castoris testem, & retro cucurbitam ipsi ad laterum mollitudinem affigito, & plurimum sanguinem detrahito; atque hoc maxime conjectura virium ipsius facta.*

Ex his praeter prognosin etiam remedia patent, nimirum fomenta (quibus aequiparandi insessus & balnea) clysteres acres, & calefacientes, injectiones emmenagogae in uterum, pessi emmenagogi, emmenagoga per os assumta, & larga sanguinis detractio, de quibus omnibus passim in hoc libello dictum.

CAPUT XIII.

De Passione Hysterica.

NOn tantum a Veteribus, sed plerisque etiam Recentioribus adnumeratur uterinis passionibus etiam illa, quae a speciali symptomate strangulatoria seu suffocatoria appellatur, & dicitur per excellentiam Passio Hysterica seu uterina, quamvis ὑστέρα apud Graecos potius secundinam, quam uterum significet.

Ab aliis quidem, quod a semine retento, & corrupto eam produci credant, immemores, quod plurimae corripiantur etiam in matrimonio positae, ac frequenti coitu omne (si quod ipsis inest) semen superfluum effundentes, & contra saepius non afficiantur virgines, & viduae vitam vere castam agentes.

Ab aliis, quia sanguinem menstruum retentum, & male affectum accusant, non observantes promiscue hoc malo laborare, & quibus menstrua naturaliter fluunt, & quibus non fluunt, quibus ob teneram aetatem nondum eruperunt, & quibus completis annis jam penitus disparuerunt, quin & viros, sanguine menstruo utique totaliter carentes.

Ego ad epilepsiam non inepte reduci posse judicarem, tum ob symptomatum, quae inferre solet, cum illis, quae sunt epilepsiae, similitudinem, quam pridem agnovit Hipp. l. 1. de morb. mul. arg. 18. dicens: *Ubi vero ad hepar & praecordia fuerint uteri, & strangularint, mulier albus oculorum partes subvertit, & frigida fit, sunt autem & quae lividae fiunt, quaedam etiam dentibus frendent, & salivae ad os fluunt, & similes sunt his, qui ab Herculeo morbo detinentur*. Tum quia melancholicas fere invadit, at secundum Hipp. l. 6. de Popul. sect. 7. in fine: *atrabilarii etiam comitiali morbo corripi solent plerumque, & vicissim comitiales fieri solent atrabilarii.* Tum quia omnia remedia, quae epilepticos juvant, hic quoque prodesse observantur, & vicissim.

Hujus paroxismum aliquando praecedunt oscitationes, pandiculationes, mentis torpor, murmura abdominis, ructus, nausea &c. Aliquando ex improviso ingruit. Hipp. de nat. mul. arg. 3. *Si uteri ad hepar accesserint, muta derepente fit, & dentes conserit, & color niger, patitur autem haec derepente quum sana est*. Sed & in terram prolabitur, sensus tam externi quam interni deficiunt, oculorum partes subvertit, sensus strangulationis adest, & in variis abdominis locis globi cujusdam perceptio, adest & sopor, spuma in ore, saepe respiratio ad sensum abolita, pulsus obscurus, & insensibilis, motus convulsivus, cordis palpitatio, interdum deliria, vomitus, capitis & colli dolor, extremorum refrigeratio &c. quae tamen omnia multum variant, pro caussae morbificae varia intensione, copia, ac indiversis corporis partibus praesentia.

Est autem caussa hujus mali humor acidus, in hac vel illa abdominis parte collectus, & vel propria, ut ita dicam, maturatione, vel a caussa aliqua externa in motum actus, quo aut emissis ad varias, & praesertim nervosas partes acidis effluviis, aut ipse cum lympha aut sanguine eo raptus, enumerata symptomata producat.

Per quod tamen uterus quasi semper, & omnino insons non excluditur, quin imo fieri potest, ut in substantia sua laxa ac spongiosa glandulosaque, sicut sangui-

nem menstruum, ita humores alios vitiosos, & acidos frequenter accumulet, nec etiam obstare quidquam videtur, quin sicut in aliis corporis partibus, puta ventriculo, pancreate, hepate, liene, &c. ita etiam in utero, epilepsia, interdum suam habere possit; quin nec retentum ac male affectum sanguinem menstruum aut semen ex caussarum numero rejicio (post inventa ova mulierum, de liquore seminali vaginam uteri in coitu humectante intelligi potest) quae variis modis etiam corrumpi, & acescere posse non dubito; ast universalis uteri culpa tum ob rationes insinuatas, tum quod in sectione cadaverum saepius secundum omnes suas partes sanus, & illaesus inventus sit negatur.

Humorem acidum autem peccare, ex sequentibus probatur.

Primo ex Hipp. de natura mul. arg. 18. docente: *quum vero ad praecordia uteri allapsi fuerint, suffocant, & ubi frequenter acida evomuit, ad modicum tempus melius habet.* & l. 2. de morb. mul. arg. 20. *& quum ad praecordia allapsi fuerint, strangulant, & vomit pituitam acidam, & dentes stupescunt, & ubi vomuerit, melius habere videtur.*

Secundo, quia remedia passim adhiberi solita, velut *ung. alc. cran. human. coral. margarit. ebur. c. c. lap. bezoar, succinum, ♂tialia*, quae singula sunt absorbentia; *rad. arist. rot. paeon. zedoar. levist. valerian. lig. guajac. visc. quercin.* fol. *meliss. artemis. menth. salv. majoran. lavend.* Sem. *paeon. nigel. rutae, raphan. cymin. foenic. anisi.* Item *nux moschata, macis, caryophylli. cinnam. castor.* quae sunt mera aromatica, & sale volatili abundantia, omnia ad humorem acidum infringendum directa sunt. Et Hipp. de nat. mul. arg. 3. ait: *postquam autem resipuerit, pharmacum deorsum purgans bibendum dato, & lac asininum postea bibendum exhibeto.* Et lib. 2. de morb. mul. arg. 20. *Serum caprinum coctum*; quid autem acidum magis temperat quam lac aut ejus serum?

Tertio, quia sive consideremus dentium consertionem, quae a convulsione musculorum oculos moventium; sive sensum strangulationis, qui a convulsione musculorum laryngis; sive respirationem abolitam, quae a convulsione musculorum pectoralium, & diaphragmatis; sive globi in abdomine perceptionem, quae a convulsione intestinorum aut mesenterii; sive vomitum, qui a convulsione ventriculi; sive cordis palpitationem, quae itidem ab illius convulsione fit; primaria symptomata omnia a convulsione dependere videmus; ad hanc autem inducendam quid aptius humore acido? postquam particulis pungentibus constat, quibus ad partes nervosas stimulandas, & spiritus in motus inordinatos agendos nihil est efficacius.

Et hinc est, quod frequentius foeminas invadat, hae enim quum plerumque magis pusillanimes, moestae, sedentariae, timidae, ac crudorum, frigidorum, acidorumque ciborum amantes, imo naturaliter viris fere frigidiores sint, humorem acidum sibi accumulant prae istis.

Medicamenta partim superius insinuata sunt, partim ex sequentibus Hippocratis textibus desumi possunt: *aperto ore vinum odoratissimum infundito, & graveolentia naribus admoveto, sub utero vero* (si caussam in utero latere suspicio sit) *beneolentia, postquam autem resipuerit, pharmacum infra purgans bibendum dato, & lac asininum postea bibendum exhibeto.* de nat. mul. arg. 3. *Si uteri ascendentes suffocarint, funiculum lucernarium accensum extinguito, & naribus adhibeto, quo fumum attrahat.* ibid. arg. 62. *Mulieri, quae ab uteri strangulationibus vexatur, aut difficulter parit, sternutatio accedens bonum.* sect. 5. aph. 35. *Si ad cor allapsi uteri strangularint, viticis & paeoniae semen in vino bibendum dato.* de nat. mul. arg. 32. *Castoreum bibendum dato.* ibid. arg. 18. *Sed & id quod urinam ciet,* lib. 2. de morb. mul. arg. 83. juxta quae in paroxysmo tales vel similes formulas componere non abs re erit.

℞. *Aq. menth.* ℥ j ß. *epilept. Lang.* ℥ß. *c. c. usti praep. mast. ung. alcis* āā. ℈ j. *essent. castor.* ʒ j. *ol. succin gut.* iij. *sir. de artemis. comp* ʒ ij. mis.

vel

℞. *Aq. cinnam. cum vin. hyst. cum castor.* āā. ℥ j. *cret. con.* ʒ j. *laud. op. gr.* j. *sir. de melissa* ℥ß.

vel ℞. *Aq. puleg. matricar.* āā. ℥ j. *theriacal. simpl.* ℥ß. *magist. cran. human. succin. alb.* āā. ℈ j. *extract. myrrhae, visci querc.* āā. ℈ß. *ol. caryophl. carvi* āā. *gut.* ij. *sir. de cinnam.* ʒ iij. *mis.*

vel ℞. *Rad. aristol. rot. levist.* āā. ℈ j. *sem. viticis, paeon.* āā. ℈ß. mis. f. pulvis detur cum vino Hispanico.

Extra paroxysmum purgantia, diuretica, & acidum emendantia insinuata (inter quae magni nominis decoctum lig. guajac. ♂tialia, & lac) usurpanda erunt, quorum formulae passim in hoc libello extant; si vero aliquando a retentione atque corruptione sanguinis menstrui, aut liquoris seminalis morbus proveniat, modo enumeratis medicamentis, ibi quae menstrua pellunt, hic quae seminalis materiae generationem remorantur, vel evacuationem promovent, addenda erunt.

CAPUT XIV.

De Sterilitate.

Sterilitas mulieris est ejusdem in aetate ad generationem habili constitutae, & consuetudine viri sani, & foecundi debite utentis, in utero concipiendi incapacitas.

De hac, siquidem per se morbus dici vix possit, sed potius aliorum morborum soboles, sufficiat pro coronide praecipuos Hippocratis textus adducere, inque illis caussas, & signa solummodo recensere, his enim intellectis, cura sese sponte insinuabit.

Si gedituram non suscipiat mulier, mensibus secundum naturam prodeuntibus, membrana praeposita est (fit etiam aliis de caussis) cognosces autem, ubi digito obicem contigeris. l. 1. de morb. mul. arg. 35.

Et si omnino occlusum fuerit os uterorum, neque sic concipiet. de sterilitate arg. 1.

Neque si recens conclusum magis fuerit, quam oportet, ibid.

Et si magis quam convenit uteri hidrint, neque sic praegnans fit. ibid. arg. 3.

Et si os uterorum ex pudendo exciderit, neque sic concipit. ibid. arg. 5.

Si os uterorum omnino aversum fuerit a pudendo, non concipiunt. ibid. arg. 1.

Si vero praeter naturam mulier fuerit crasse facta, in ventre non concipit, nam omentum crassum ac multum incumbens os uterorum deprimit, & genituram non suscipiunt. ibid. arg. 15.

Quamdiu sane ulcus in ventre habuerit, non concipit. ibid. arg. 2.

Si vero pauciores, quam debeant, menses prodeant, neque sic praegnans fit. ibid. arg. 4.

Et siquidem natura mulier multos menses demittit, sterilis fit. ibid. arg. 5.

Imo quidquid in mensibus mali inest, haec aufferre oportet, quum videlicet pituitosi sunt, & pelliculosi, & saniosi, & tenues, aut albi, & grumosi, & quum nigri sunt, & carbunculosi, aut caliginosi, aut acres, salsi, turbati, purulenti: hae omnes caussae tollendae, prohibent enim in utero conceptum. l. 1. de morb. mul. arg. 24.

Concipit autem in ventre, neque ea, quae humiditatem habet, neque quae resiccata est. de superfoet. arg. 33.

Si leves fuerint uteri, contingit autem hoc & ex natura quibusdam, & si ulcera innata

nata magnas cicatrices reliquerint, si leves igitur fuerint uteri, mulier in ventre non concipit. de steril. arg. 1.

Caeterum si mulier non concipit, scire autem expedit; num conceptura sit, vestibus undique obvolutae per inferna suffitum apponito, & si odor quidem ad nares, & os usque per corpus tibi pervadere videtur, ipsam non ex sese infaecundam esse scito. sect. 5. aph. 59. *Vel allii caput integrum derasum appone, & vide an per os oleat.* l. 1. de morb. mul. arg. 105.

Butyrum & lac mulieris masculum alentis bibendum dato, & si eructaverit, concipiet, sin minus non. de steril. arg. 6.

Porro ex mulieribus, quae magis aut minus in utero concipere solent, ita considerationem facere convenit: primum quidem specierum, parvae enim ad conceptionem praestantiores sunt majoribus, tenues crassis, albae rubicundis, nigrae lividis; quae item venas conspicuas habent meliores sunt, quam quibus non apparent, carnem autem uberiorem habere aniculae, malum est, mammas autem tumidas & magnas, bonum. l. 2. praedict. arg. 31.

FINIS.

O. A. M. D.

INDEX
Rerum & Verborum.

* Signat. vid. in Epist. & tract. seq. de Mulierum Morbis.

A.

* ABortus 471. caussa ibid. progn. ibid, curat. p. 472
* Acidis an carere possimus? 418
* Acidulae. 378. noxa, 417
Acidulae quare hisce temporibus male cedunt. 32
Aëris correctione multi magni morbi curantur. 4
Aër frigidus a vulneribus arcendus. 10
Aër sale abundat. 20
* Aether. 387
* Anatomica experimenta. 402
* Anima vegetativa. 435. brutorum. ibid.
* Arthritidis caussa. 453. Cura. ibid.
Acidularum origo. 295. sapor acidus. 295. qualitas. ibid. cui aetati proficuae 296. in quibus morbis ibid. Modus utendi 297. Cura ibid. Operatio 301. Virtus 303. Diatriba 297. status naturalis, & praeternaturalis in machinam humanam 298. legitima administratio 304. Observatio circa usum fontium. 310.
Arbor Dianae sive Philosoph. 282
Argenti sive Lunae ortus 279. depuratio 280. ☿tio. 28. caussa ibid. Tinctura 281. Bezoardic. 282. Crystalli ibid. Lapis infernal. 282. Arbor Dianae seu Philosoph. ibid.
Aurum seu Sol quid 273. pulvis Antonii de Pozes 274. fulminans 274. Tinctura 275. Potabile 275. 276. conducit in Cancris, scrophulis 278. Philosophicum sive lapis Philosophicus. 277
Angina 161. species 161. caussa proxima ibid. malignitas unde ibid. divid. in malig. contagiosam ibid. prognosis 262. curatio 262. purgantia nocent indicat. curat. ibid. diaeta. ibid.
Aethiopes unde ortum suum habent. 233. 234. caussa naturalis Aethiopum nigredinis 234. 235. 236. Caussa formalis 237. materialis. ibid.
Anima vegetativa distribuit succum nutricium. 182
Anima, de omnibus motibus non judicat. 241
Anorexia 142. caussa immediata 142. mediata, proxima ibid. caussa remota ibid. prognosis. ibid.
Apparatus magnus ad vulnera curanda non requiritur. 10
Appetitus prostratus 58. caussa ibid. Cura. 59
Apoplexia 252. caussa proxima ibid. respiratio quare manet 253. Prognosis. ibid. Curatio. ibid.
Aqua Cosmetica. 33
Astrorum efficacia ex vis in microcosmum. 23
Astrologia judiciaria justa Ephemerides veterum instituta quare saepissime fallit. 26

Asthma

Asthma. 270
Asthma caducum referri potest inter morbos convulsivos. 114. caussa proxima ibid. venaesectio est suspecta in curatione. 271
Asthma humidum pectorale curatur incidentibus, & expectorantibus. 271
Asthma caducum curatur aromaticis. 271
Asthma stomachale vomitoriis, & Carminativis. 271
Aulici quid 28. quam vitam agunt, ibid. quare saepe morbis chronicis laborant 29 in diaeta errores quos committunt? 29. Salutaris diaeta qualis esse debet? 36. sunt difficill. purgat. 30. Curatio morborum aulicorum qua attentione sit instituenda? 31. acidulae his prosunt. 32

B.

Barba plus recommendat Empiricum quam ratio peritum. 9

C.

Cacochymia. 47
Calor quid? 50
Cardialgia 147. caussa 147. curatio. ibid.
Catalepsis 190. 252. Phaenomena ibid. curatio 252. caussa 109. glandulae pinealis obstructio quomodo fit 110. caussa remota 112. Prognosis 112. Curatio. ibid. Praeservatio. 113
* Chalybs in calculos conversus. 448
* Chlorosis. 461
* Chirurgiae basis, & partium corporis nostri distributio. 398. praesidia non rejicienda. 379
* Clyster. 392
* Colica a frigore. 418
* Cosmetica. 408
* Crisis in praxi rara. 382
* Curiositas Grammatica. 390
Cuprum s. ♀ 282. Ens. 283. vitriolum 282. Spiritus 283. Arcanum contra vermes 284. Tinctura 284. Unguentum ibid. Ophthalmic. 284. dealbatio. 285
Calculus renum 197. situs renum ibid. cum quibus partibus connexi 199. substantia renum qualis. ibid. ren quot habet nervos 199. arteria Emulgens ex quo trunco originem habet ibid. In renibus nulla fit concoctio 200. materia quaenam separatur in renibus ibid. quomodo separatur ibid. urina per quas vias descendit a renibus ad vesicam urinariam 200. sanguis superfluus a secretione urinae per quos ductus refluit 200. calculus quomodo generatur in renibus 201. materia calculorum ibid. acidum non tantum est caussa calculi 201. caussae remotae ibid. signa diagnostica 202. ardor unde 200. vomitus nephriticorum unde 200. Prognosis 201. curatio duplex est alia in paroxysmo: alia extra paroxysmum 201. in paroxysmo ibid. post paroxysmum curatio itidem duplex. 201. quare pauci curantur 202. Medicamenta calculum diffrigentia an dantur. 202
Calor ignis an aliquid distinctum ab essentia ignis? 4
Calor Sanguinis refrigerantibus extingui non potest. 17
Cancer occultus quomodo tractandus. 14
Caput prae aliis partibus defluxionibus est obnoxium. 19
Cartesius non fuit Medicus. 2
Catarrhi sedes 6. an aliquid a cerebro in catarrho suffocativo descendit. ibid. 17
Catarrhalis defluxio. 17
Catarrhorum caussa proxima 17. remota 18. definitio 18. humor catarrhalis per quas

vias fluit 18. frigida ac humida intemperies cerebri e caussa catarrhorum 18. per os cribriforme destillat materia catarrhalis 18. refutatur haec sententia solide 19. catarrhorum tempora 19. Catarrhus frigidus 20. febris in Catarrhis unde 21. urina pallida 21. prognosis 21. indicationes, curat. ibid.
Chirurgus Cartesianus revivisčit. 8
Chirurgorum multorum eruditio laudatur. 8
Chirurgi fere omnes non intelligunt caussam inflammationum. 9
Chirurgi castrenses castigantur. 12
Chirurgorum errores unde. 14
Chirurgi ministri sunt Medicorum. 16
Cholera 146. caussa. ibid. divisio. 147. curat. 147
Chylus quid? 41
Chylificatio quomodo fit. 54
Chylus an manet in ventriculo. 59
Chylificationis tempus. 43
Circulatio sanguinis est primum vivens, & ultimum moriens. 9
Circulatio sanguinis in omnibus vulneribus semper conservanda. 10
Circulatio chyli. 43
Circulatio sanguinis. 44
Coeliaca passio. 148
Colica 151. caussa ibid. prognosis ibid. indicatio curatoria ibid. dolor ventris unde 182. flatuum generat. ibid. urina pauca. ibid. dolor lancinas unde 182. obstructio alvi 183. bilis flava quae vomitu ejicitur 183. caussae remotiores ibid. differentia ibid. curatio primae speciei 184. cura alia est in paroxysmo alia extra ibid. in paroxysmo. ibid. topica cum cautela sunt applicanda 185. antiscorbutica remedia laudantur in hoc affectu. ibid. cordialia prosunt. 186
Commercium aëris inter hominem, & aërem. 70
Commercium mentis cum corpore. 110
Cometarum effectus. 27
Concoctio ciborum, 42
Cruditas duplex. 139
Cruditas acida 140. caussa ibid. Signa diagnostica ibid. mater variorum morborum ibid. indicatio curatoria ibid. Nidorosa 141. caussa ibid. quos parit morbos ibid. curatio. ibid.

D.

* Digitus amputatus iterum crescit. 447
* Dysuria ab ulcere. 433
Daemon quomodo potest ululatus perversosque alios gestus in corpore obsessorum excitare. 112
Dentifricia. 33
Diaeteticon haemoptoicorum rationale. 122. 123. 124
Diarrhoea 148. caussa ibid. divisio. ibid.
Dolor & calor non attrahunt humores. 15
Dysenteria 149. caussa proxima ibid. copiosus humor unde ibid. diagnosis ibid. Divisio. ibid. prognosis. ibid. curatio. 150. diaeta 151. maligna 170 subjectum 171. Sphacelo pereunt, qui pereunt dysenterici ibid. vomitus unde? caussa proxima ibid. morbus contagiosus 173. quomodo propagatur contagium ibid. quare non omnes homines ut quidam tam facile inficiuntur ibid. causae remotae. ibid. astra an in haec inferiora venenosos exspirant halitus. ibid. differentia ibid. diversitas caussarum. ibid. urina dysentericorum qualis 174. prognosis ibid. curatio ibid. Specifica anti dysenterica 175. dolor acerbissimus quibus mitigandus ibid. opium laudatur ibid.

clysma-

clysmata recommendantur. 176. curationes magneticae ibid. diaeta praescribitur dysentericis ibid. saccharata nocent. ibid. somnus conducit 177. curatio prophylactica. ibid. observationes variae rariores practicae. ibid.

E.

Effervescentiae caussa. 61
Errores Chirurgorum terra tegit. 9
Errores sepultos Auctor ingeniose, & erudite satis detegit 9. 10. & subsequentibus.
* Empiricus. 384
* Errhina. 389
* Errores Medicor. 420
Epilepsia 113. 254. Definitio. 114. subjectum ibid. & 116. caussa proxima 117. 254. remota. 116. caussae praeter naturales ibid. Epilepsia quotuplex. ibid. signa diagnostica. 117. prognostica 118. 255. haereditaria curatu difficilis. 118. curatio duplex, in & extra paroxysmum in paroxysmo. 119. 255. extra paroxysmum 119. remedia ex fonte Chirurgico quaenam. ibid. in largis haemorrhagiis est prodromus mortis. 255
Empyema 268. paracenthesis quomodo instituenda. ibid.
Ephemera 242. Signa diagnostica. ibid.
Excerpta Medic. 52

F.

Facultatibus certis carent partes solidae. 4
Facultates imaginariae partium solidarum describuntur. 4
Famis & appetitus caussa. 57
Fames canina 142. differt a bulimia, caussa ibid. remedia. 143
Facultas assimilatrix. 71
Febrium essentia in quo consistit 47. 241. differentia unde desumitur ibid. curatio quibus absolvitur. ibid. venae sectio an prodest in febribus. ibid.
* Febris inflammatoria. 409. puerperarum. 410
Febris. 33. caussa 34. cura. ibid.
Febris vulneraria unde. 10
Febres intermittentes, in aulicis cur saepe degenerant in malignas. 34
Febres intermittentes quare certis temporibus suas repetunt periodos. 243. rigor unde. ibid. causa. 244. curatio. ibid. malignae 246. caussa. 247
Febricitantibus frigrida non commendanda. 6
Febrifugum Med. Angl. 35
Fermenti ventriculi origo 43. Natura. 56
* Fluor albus, 466
* Foetus mortuus. 470
Fonticulorum abusus. 22
Fonticulus. 28. 39
Frigus & calor se invicem excipiens in febribus unde. 48
Frigus quid. 50
Frigida puerperis non propinanda. 7

G.

Generatio. 213. 221. An totus homo generatur ib. anima an per traducem communicatur foetui. 213. 219. mentis cum corpore conjunctio unde. 213. corpus quomodo generatur. 214. Harvaei opinio de generatione ibid. Aristotelis. ibid. vesiculae quae in testiculis mulierum reperiuntur an sunt vera ova. 215. ibid. ova quomodo descendunt per tubas Fallopianas in uterum 215. quare descendunt. 217. ibid. an homo fit in ovo. 215. cicatricula quae in vitelli superficie observatur quid. 216. ova

quare quaedam carent vitello. ibid. *conceptio in quo consistit* ibid. *quomodo fit* 217. 221. *an in germine ovi omnes animales partes existunt* 217. *seminalis aura seminis Masculini quid confert ad generationem* ibid. *membranae Ambucon & chorion quomodo generantur* 218. *Placenta uterina quomodo* ibid. *Humores in membranis* ibid. *Punctum saliens quid*. ibid. *an foetus sang. materno nutritur* ibid. *gemelli quomodo generantur*. 224. *an uno concipiuntur coitu*. ibid. *an infans in utero propriam vivit vitam*. 226

Glandula pinealis est sensorium commune 103. *ubi sita* 206. *qua cincta membranula*. 207. *textura* ibid. *substantia* ibid. *color*. ibid. *figura, magnitudo, usus* ibid. *Praeternaturalis*. 210

* *Glandularum nova Inventio*. 447

Guttae rosaceae caussa 32. *cura*. 33

H.

HEderae arboreae facultas. 27

Haemorrhagia narium 37. *caussa proxima*. 38. *romota* ibid. *cura* 39. *Apertio vasorum*. 37. *differentia*. 38. *signa diagnostica & prognostica* 39. *Indicat curat*. ibid. *cautelae medicae circa curam haemorrhag*. 40. *diaeta*. ibid.

Haemorrhoides. 154. *caussa* 155. *curatio*. ibid.

Haemorrhoidum fluxus 319. *definitio* ibid. *subjectum* 320. *caussa* 321. *Signa diagnostica* 324. *prognostica* 325. *Curatio* 327. *Diarrhoea* 328. *Dioeta*. 330

Haereditarii morbi. 46

Haemoptysis 268. *quotuplici modo aperiuntur vasa*. ibid. *caussa antecedens* ibid. *indicat. curat*. ibid. *diaeta*. 269

Hectica quare insequitur reliquas febres male curatas 242. *signa diagnostica, & prognostica* ibid. *curatio*. 243

Hemicrania quid 251. *dolor proprie dicendo ubi; dolor quotuplex* ibid. *curatio*. 252

Helmontius purgantium laudem describit. 4

Hepar sanguificat: Officina 63. *Argumenta*. 63. 64

Hepatis structura 63. *figura* ibid. *officicium*. 64

Hippocrates unde famam sibi acquisivit. 3

Homines quinam exoptata fruuntur valetudine. 30

Homo quid 102. *conjunctio mentis cum corpere*. 103. *sedes animae* ibid. *mens quomodo imperium suum exercet in corpus*. ibid.

Humores an sub illo schematismo in corpore delitescunt uti ope cathartici excernuntur. 4

Hydrops. 187. *caussa* 189. *vasa pellucida quaenam sunt illa*. 187. *officium horum vasorum*. ibid. *lympha quid*. 188. *lympha in hydrope ubi colligitur*. ibid. *quot sunt species hujus morbi*. ibid. *caussae remotae*, 189. *Hepatis intemperies frigida non est caussa Hydropis* ibid. *signa diagnostica*. 190. *respiratio in hoc affectu quare difficilis*. 191. *appetitus quare prostratus*. ibid. *tussis hydropicorum unde*. ibid. *sitis*. ibid. *obstructio alvi*. ibid. *urina hydropicorum qualis*. ibid. *macies partium superiorum*. ibid. *prognosis* 192. *curatio quo ad tres indicationes est instituenda*. ibid. *remedia ex fonte Chirurgico quaenam* ibid. *Pharmaceutico*. 193. *a quibus incipienda cura*. ibid. *emetica nocent*. 194. *clysteres recommendantur* 195. *in diureticis solatium hydropicorum* ibid. *in nimiis vigiliis quid agendum* ibid. *diaeta hydropicorum*. 196. *quid sentiendum de paracenthesi*. ibid.

I.

* *IMaginatio in gravidis*. 389

* *Intestina perforata*. 388

Ignorantia sociorum habet Invidiam. 1

Ignorantia ferro ac igne multos neci tradunt aegrotantes. 8

Iliaca passio 152. caussa remota ibid. enemata quare fiunt in hoc affectu emetica. ibid vera ibid.& seq. symtoma quondam pessimum. 153. diaeta. ibid.
Incubus 254. subject. ibid. curatio. 255
Inflammatio resolventibus curatur. 5.10
Instrumenta argentea non faciunt eruditiorem Chirurgum. 8
Irae caussa. 104

L.

* Lactis excretio per os. 393
* Lac absumentia medicamenta 405. Symptomata ab acido. 406
Lactis vitium 24. generatio. 82. utendi modus 89. testimonia varia variorum cl. virorum de usu lactis. 91
Lapis infernalis 282. Philosoph. 277
Laesio fermentationis. 299
Lethargus 252. curatio. ibid.
Lienteria. 148. subject. ibid. caussa ibid. curat. ibid.
Lien ubi situs. 202. cum quibus connectitur partibus. ibid. membranas quot habet. ibid. quam habet substantiam. ibid. quae habet vasa. ibid. usus lienis 203. ex obstructione lienis quinam oriuntur morbi. ibid. an possidet fermentum, ibid. variorum Virorum opiniones de munere lienis leguntur 204. an absque vitae, & sanitatis dispendio potest exscindi. ibid.
* Liquor ♀ in Lunam mutans 397. in Variolarum curatione probatissimus. 436
* Lochiorum fluxus nimius. 473
* Lochiorum suppressio. 473

M.

Mania 102. 106. 260. subjectum ibid. caussa 104. 107. 260. curatio. 107
Maniaci quare loquuntur de illis rebus quae nobis rara videntur. 105. quare sine febre 106. robur unde 106. 206. ferre possunt frigus intensum. 106. 111
* Medici requisita 376. Voluptas 376. Sapientia unde cognoscenda 377. Errores 420. excerpta. ibid.
Medicamenta Specifica non dantur. 5
Medicamenta pus & carnem generantia non dantur. 10
Medicus ad aegrotum vocatus ad quid attendere debet. 180
Medicina quare sterilis veterum temporibus. 205
Melancholia 259. non est ex liene 7. caussa 259. remota ibid. subjectum ibid. Haereditaria quare raro curatur. ibid. cura. ibid.
* Mensium nimius fluxus. 465
* Mensium suppressio. 463
* Mictio involuntaria post partum. 411
Mistio sang. 45
* Mola. 475
Monita medica circa opii & opiatorum usum. 125
Monstra quid 220. caussa. 223. 227. 228. 229. 230. 231. seq.
Morbi Chronici ex qua parte radicaliter pullulant. 139
* Morbus ex incantatione. 408
* Motus cordis 426. utilis 382. sanguinis. 408
Mucus narium unde. 19
Mulieres quare facile fiunt arthriticae. 84
Muysi Viri Excellent. Observat. chirurgis commendantur. 12

N.

Natura 19. Vocabulum. 21

O.

* OBstructio (Vasorum 408.) lymphatica 409. inflammatoria. ibid.
Opiata quid. 125. an vim habent somniferam. ibid. qualitas opiatorum. 126. in quibus affectibus raro & tuto exhibentur. 128. operandi ratio. 127.73
Opinio facit doctos. 2
Oleosa, & pinguia nocent in vulneribus. 11

P.

PAracenthesis qua cautela instituenda. 10
* Panacaea. 381
Paralysis definitio 350. Caussa. 351
Partes luxatae quomodo reponi debent. 16
Paralysis. 255. pars paralytica quare contabescit. 256. caussa proxima. ibid. prognosis. ibid. curatio. ibid. seq.
* Partus difficilis. 467
* Passio hysterica. 476
Passio uterina unde habet natales. 30
Peripateticorum ignorantia detegitur. 3
Peripatetici si resurgerent quid agerent. 3
Peripatetici, qualitates medicamentorum non intelligunt. 6
Pernio 49. definit. 50. subject. ibid. caussa proxima. 51. remota ibid. prognosis. cura. ibid. 52
Pestis 92. 247. venenum pestilentiale unde ibid. malignitas quomodo progapatur. ibid. unde bubones 248. contagiosus morbus 93. symptomatum caussa. 94. symptomata. 101. sang. tantum conturbatur in hoc morbo. 95. sitis caussa. ibid. 248
Praeservatio quomodo instituenda. 96. quibus remedis 97. 98. 248. curatio. 99. 249. vomitatoria prosunt purgantia nocent. 99. alexipharmaca, & sudorifera optima. 100. amuleta quare juvant. 248. 249.
Pharmaca multa in gratiam pharmacopoeorum praescribuntur. 4
Pharmacopolii portatilis descriptio curiosa. 35
Philosophiae ignorantia peperit in medicina varios errores p. 2. 3. 4. est caussa quare veteres non profecerint in illa. 5
Philosophia vero practico summe necessaria. 2
Philosophia verbali non tolluntur errores. 2
Philosophia Cartesiana alto somno stertentes excitati peripatetici. 2
Philosophia Cartesiana docet naturam fermentat. 5
* Phosphori descriptio. 448
Primum vivens, & ultimum moriens quid. 298
Phrenitis 257. Subjectum ibid. caussa proxima ibid. caussa remota. 258. diagnosis. ibid. prognosis. ibid.
* Phthisis cura. 433
Phthisis. 162. definit. ibid. subject. ibid. caussa proxima. ibid. febres malignae, variolas quare excipit saepissime phthisis. 163. acidulae phthisis caussae. ibid. Bacchus phthisin producit. 161. signa diagnost. 165. prognostica 166. temp. 165. curatio. 167. fumus candelarum, pleuritis male curata funestas has tragoedias excitare possunt 167. constrictio vestium nimia caussa phthisin. ibid. amatores felium incidunt in phthisin. ibid. cura. ibid. diaeta. 169
Pica & malacia 143. caussa ibid. an ventriculis similia an dissimilia appetit 544. prognosis ibid. curat. ibid.
Podagra 82. caussa 83. cura 86. amuletis an curari potest 85. podagra an laborare possunt Eunuchi pueri, & nondum menstruatae puellae 84. quare moriuntur. 92

Potare in multam noctem an conducit. 136
* Potus theae 407. innocuus 418 nocuus. 451
Purgantiis febres curari nequeunt. 49
Purgantiis turbatur massa sang. 49
* Purgantium e foro Medico proscriptio. 378.384.405
Purgationis nomen est impostorium. 3. seq.
Purgantia communicant sang. aetherem peregrinum. 6
Pus in vulneribus unde. 10

Q.

Qualitas & operandi ratio medicamentorum docte explicatur. 5. occulta unde originem trah. 6
Qualitas, & officia discipulorum Chirurgiae jocose & dextre describit Auct. 9

R.

* Ratiocinium Sylvii de febribus. 398
Receptaculum sang. commune. 43
Remediorum Alexipharmacorum operandi ratio. 73
* Remedium antivariolosum 386. arthritic. 396
Repellentibus inflammationes non curantur. 5.10

S.

Saliva 41. 55. diversitas ibid. fontes commisceri debent cum cibis masticatis. ibid.
Sal volatile cor. cer. an sang. massam turbat. 34
Sanguis quot modis degenerare potest a statu suo naturali. 47
Sanguis quare tam facile turbatur. 47
Sanguificatio. 62
Sanguis cribratur in Cerebro. 181
Sanguis an ex quatuor, ut veteres voluerunt, componitur humoribus. 240
Sanguis quando naturaliter, & legitime est dispositus. 240
Sanguinis motus unde. 240
Sanguis qua sanguis an nutrit. 241
Sanguis uno tempore magis agitatur quam altero. 241
* Sanguis quomodo e Corde propellatur. 432
* Sanitas in quo consistat. 376
Sanitas in quo consistit. 132
Saporum divisio 55. acris in quo consistit. 55. Amarus 56. Salsus ibid. Acidus ibid. austerus vel adstringens ibid. dulcis. 56
* Scarificatio. 407
Scorbuti affectus 331.341. definitio 337. subjectum ibid. caussa 334. seqq. differentia 344. signa prognostica 338.344. symptomata 349. curatio 338.346. seqq. diaeta. 340
* Secundina retenta. 469
Semina morborum 3. in quibus partibus quaerenda. 24. seq.
Sensus tantum unicus. 181
* Setacea. 380.387.396.407
* Sinus cerebri quid. 448
Sitis 147.21. caussa ibid. curat. ibid. 149
Siderum influxus in quo consistit. 25
Singultus. 145. caussa immediata. 146
Soda 146. caussa ibid. prognos. ibid. curat. ibid.
Somni & vigiliarum caussa. 104
Solidae partes ex lacte trah. originem.
Spina ventosa. p. 15. & 16

Spiritus animales quid. 103. ubi eleborantur. 103
* Sphacesus. 393
* Spiritus Cephalicus 397. 408. contra quartanam. 434
* Sputum lacteum. 405
* Sterilitas 478
Studiosi quare scabiosi. 137
Studiosis an nicotiana conducit. 137
Succi pancreatici officium. 59. ex quibus consistat particulis. 60. 61
Succi biliaris officium. 60. ex quibus constat particulis. 60
Substantia hominis quadruplex. 109. 110
Suffocatio in catarrhis. 20

T.

* THeae & Coffee experimentum 396. potus incommoda. 381. Herba. 387
* Theae potus 285. ortus 286. usus 287. 288. Virtus 289. ibid. seqq. laudatur in febribus. 292
* Thermae. 379
* Tinctura ♁ii 434. Auri. 388. 408
* Transpiratio sensilis Sylvii. 402
* Termina post partum. 472
* Tumor aquosus in linguae margine 406. labri monstrosus. ib. pedum in gravidis. 434
* Tussis convulsiva. 410
Tussis 269. subjectum ibid. Epidemica caussa. ibid.
Tussis quotuplex. 269. Tussis humida quibus curatur. ibid. in Tussi epidemica nocent volatilia. 270. in Tussi per consensum ex ventriculo egregie prosunt emetica. 270

V.

VAriolae 250. caussa ibid. & 24. prognosis. 250. curatio. ibid. seq. & 25. sudoriferis non curandae. 5
* Variolarum curatio. 416
* Venae-sectio 393. usus. 407. 449. in Dysenteria 433. noxa in suffocatione hypochondriaca. 433
* Vis elastica Cordis. 429 quomodo restituatur in ♂ ibid. quare venae non pulsent 430 quare non plus sanguis e Corde effluat per arterias, quam per venas refluit. 430
* Vita quid 376. Mentis. 426
* Urinae suppressio in gravidis. 434
* Vulnera vasorum lymphaticorum. 418
Vita nostra corporea in quo consistit. 41
Vita nostra quam diu durat. 183
Venenorum generat. 69
Venenum quomodo nocet corporibus nostris. 70
Venenum pestilentiale. 68. unde ortum. ibid. 71. quare quidam cito, quidam tarde inficiuntur. ibid. praeservatio. 72
Vertigo 254. curatio. ibid.
Vomitus. 144 caussa proxima 145. divisio ibid. prognosis. ibid.
Vulnera absque acidum absorbentibus non curantur. 11. Sclopetorum non sunt omnia venenata. 12
Vulneraria medicamenta recensentur. 13
Vulneris dolor unde. 13

FINIS.

